L

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
17 — G
59 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

1.2.8.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# DIVINÆ ORATIONIS SIVE A DEO INFVSÆ METHODVS, NATVRA, ET GRADVS.

## Libri quatuor:

Quibus mirabilis Dei, in promouendis ad veram, pacatam, diuinamque ac fruitiuam vnionem animabus, methodus & via oſtenditur: ac præterea quàm plurima diuinarum internarumque affectionum ac Myſticæ Theologiæ arcana, clariori ac pleniori ſtylo, ad mentem Scripturarum & SS. Patrum, explicantur:

Auctore
R. P. F. THOMA A IESV, Carmelitarum Excalceatorum per Belgium & Germaniam Exprouinciali.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem Moretum & Viduam Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.
M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

R^dis^ IN CHRISTO PATRIBVS

CHAR^misq.^ FRATRIBVS

# CARMELITIS EXCALCEATIS

*qui in deſerto ſancti* IOSEPH, *vulgariter* BATVECAS *nuncupato, commorantur, ceteriſq; ſacræ Religionis noſtræ* EREMITIS,

IN D. N. IESV CHRISTO

SALVTEM ET OMNE BONVM.

QVARTVS modò annus agitur, Reuerendi in CHRISTO Patres, Fratreſque chariſsimi, quòd primum meæ per ſeptennium in ſacra veſtra Eremo ſolitudinis de Diuina Contemplatione fetum RR. VV. nuncuparim : prodit ecce modò ſecundus de Diuina ſiue à Deo infuſa Oratione, ab eodem parente,



Digitized by Google

te, eodémque in loco conceptus; quídni igitur ſub eodem orationum veſtrarum patrocinio lucem aſpiciat? quippe qui multis nominibus à me latiùs in illa nuncupatoria prioris Libri Epiſtola recenſitis iure merito vobis debeatur: à quibus prætereà de manu mea auidiſſimè exſpectatus, & à me ſæpiſſimè promiſſus eſt; vt non potuerit nec debuerit, ſine aliqua ingratitudinis nota, aliis quàm vobis inſcribi. Spero etiam breui, ſi per vires licuerit, Deo votis meis aſpirante, edere alium quoque Tractatum de variis perceptionum mentalium affectibus; cuiuſmodi ſunt, raptus, viſiones, reuelationes, locutiones, aliæque ſimiles diuinæ illuſtrationes, mentiſque affectiones, quas Deus puris quibuſdam animabus communicare ſolet, quò vniuerſam Orationis mentalis doctrinam, ab ipſo vitæ ſpiritualis exordio, vſque ad omnimodam illius perfectionem, à me digeſtam habeatis. Nam vt latiùs in ſubſcripta totius Operis diſtributione explica-

plicatur, tres ſunt Orationis ſpecies: vna acquiſita, quæ procedit vel ab habitu fidei, vel à virtute morali infuſa Religionis; & de hac breuem Tractatum ad ſpiritualem eorum, qui tunc vobiſcum in ſacra illa Eremo degebant, directionem compoſui, quibus tunc tamquam paruulis lac dedi. Poſteà tranſmiſi Librum de Diuina Contemplatione. Nunc autem prodit de Diuina ſiue à Deo infuſa Oratione, quæ eſt ſecunda Orationis ſpecies, quæ dimanat à Donis Spiritus ſancti. Quem Deo dante ſubſequetur alius & vltimus de Perceptionibus mentalibus; & ſic ſpero, abundantiſſimè veſtro, res iſtas, naturâ ſuâ ſatis difficiles, penitiùs introſpiciendi & experimentaliter deguſtandi deſiderio ſatisfactum iri. Tractatum intereà hunc, non tam meum quàm veſtrum, vtpote vobiſcum & apud vos ferè elaboratum, ſicut & alium, beneuola manu in perpetuum ſingulariſſimi mei erga VV. RR. affectus mnemoſynon ſuſcipite, & mei

apud Deum Optimum Maximum in veſtris ſacrificiis memores eſtote. Bruxellis, in Conuentu noſtro ſanctæ Mariæ de Monte Carmelo. Kalendis Ianuarij M. DC. XXIII.

*R. R. V V.*

*humilis in Chriſto ſeruus*

F. Thomas à Ieſu.

AD

Digitized by Google

# AD LECTOREM.

## TOTIVS OPERIS DISTRIBVTIO.

QVIA *arduam paucisq́; intellectam, paucioribus verò tritam (non ſine iuſto timore & reuerentia) Orationis ſupernaturalis & infuſæ viam ingredimur, naturam, methodum, proprietates, graduſq́; illius ſcrutaturi, viſum fuit in ipſo huius Operis limine, pro pleniori eiuſdem Operis claritate, breuiter Orationis Infuſæ Diuiſionem præmittere. Orationem verò infuſam ( vt breuiter vocis explicemus notionem) eam appellamus, quam Deus liberaliter ac ſupernaturaliter nobis infundit, vti pleniùs primi huius Operis parte exponemus.*

*Hæc igitur in triplex diſtribuitur genus: quorum vnum ab infuſæ Religionis virtute; alterum à Spiritu ſancto, mediis donorum habitibus ſpecialiùs mouente; tertium immediatè ab ipſo Deo, ſine habituali alicuius Doni interuentu, per modum actus procedit. Quæ omnia, in partes ſuas diſtincta, fuſiùs decurſu Operis proſequimur.*

*Horum autem graduum Orationis diſtantiam & differentiam metiri perſpicuè poſſumus, tum ex parte principij, tum ( vt Scholaſticorum loquamur more ) ex parte modi tendendi in ſua obiecta. Prioris equidem generis Orationis infu-*

*ſæ principium, homini in ipſa iuſtificatione, ſimul cum reliquis virtutibus moralibus ſupernaturalibus infunditur, vt communis eſt Theologorum doctrina cum D. Thoma* 1. 2. *q.* 63. *art.* 3. *Actus namq; Orationis infuſæ huius generis, elicitur ab habitu virtutis Religionis moralis infuſæ. Quia tamen humano modo, labore videlicet induſtriaq́ue noſtra acquiritur, acquiſita Orationis nomine meritò proprieq́ue venit intelligenda, quamuis acceptione latiori Infuſa quoque meritò dici poſſet.*

*Alter Orationis infuſæ gradus priore ſublimior, à Spiritu ſancto, peculiariter animam eminentioribus & vberioribus auxiliis (mediis tamen & præinfuſis habitibus, quos Spiritus ſancti nuncupamus dona) excitante & mouente, procedit: de quo luculenter Apoſtolus ad Galatas* 4. Quoniam, *inquit*, eſtis filij; miſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra clamantem: Abba Pater. *Et ad Rom.* 8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus; ſed Spiritus ipſe poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Longè profectò, quàm præcedens ille, nobilior hic fecundiorq́ue orandi modus, quo ſancti Spiritus peculiari ductu ac ſingulari magiſterio, abundantiori repleti gratia, & clariori illuſtrati luce; quid & qualiter petere debeamus, perſpicuè erudimur, atque ad congruè dignéque petendum diuinis illuſtrationibus atque efficacibus inſpiratio-*

*rationibus, tamquam validiſsimis quibuſdam adminiculis præmouemur, atque adiuuamur, quibus ea quæ tum dæmones tum paſsiones noſtræ exercitio Orationis obiiciunt & ingerunt impedimenta, validè viriliterq́ debellantes & ſuperantes, ad ſublimem Diuinorum aſſurgimus intuitionem.*

*Aliquando denique Diuina clementia, ineffabili dignatione ſua, ( atque hoc eſt tertium Orationis genus) ſanctiſsimas ac purgatiſsimas quorumdam animas, ad altiorem & ſublimiorem Orationis & Contemplationis modum ſiue gradum, immediatè tangendo, ac ſplendidiſsimo quodam ſui luminis fulgore irradiando, dignatur eleuare. Quo quidem Orationis genere præcedentibus multo nobiliore atque perfectiore, neminem Deus, vt eo tamquam habitu vtatur, donare ſolet: eamq́ ob cauſam, ad gratias gratis datas meritò reducitur. Quā profectò Orationis ſublimem gratiam, per Prophetas ſuos promiſerat Deus liberaliſsimè ſe legis Euangelicæ tempore donaturum atque effuſurum: hoc eſt enim quod prædicit Zachariæ* 12. Effundam ſuper domū Dauid & ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum. *Effundam, inquit, abundantiam, copiam, exceſſum, exuberantiam ſignificans: nam vt benè notauit S. Hieronymus ad Hedibiam q.9. verbum effuſionis ſignificat gratiæ largitatem: quæ abundantia non habitualem ſolùm, quam gratum facientem voca-*

 *mus,*

*mus, ſed & gratis datam ſiue actualem cumulũ largitatis ſuæ complecti videtur, vt apertiùs prædixit Ioël cap.* 11. Poſt hæc, *ait*, effundam Spiritum meum, & prophetabunt filij veſtri, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & iuuenes veſtri viſiones videbunt. *Manifeſta verba ſunt de genere gratiarum, quas gratis datas vocamus, cuiuſmodi ſunt, Prophetiæ, reuelationes, viſiones, aliæq; mentales perceptiones.*

*Atque hæ ſunt tres Orationis infuſæ ſpecies, ſecundùm quas pleniſsimam Orationis & Contemplationis diſtinximus diſputationem. Nam, cùm vna harum, vt modò dicebamus, à virtute infuſa morali Religionis, altera à Spiritus ſancti dono, tertia à gratia gratis data, promanet: operæpretium videbatur, vnamquamque ſeparata explanare tractatione. Atque adeò prioris illius, quam etiam acquiſitam (induſtriâ nimirum humanoq; labore, non ſine opera tamen Spiritus ſancti comparabilem) nuncupabamus, de qua plurimi tam antiquorum quàm modernorum pleniſsimè diſputarunt, nos breui ac plano compendio tractationem abſoluimus. Nunc, ſublime iſtud ſecundi generis Orationis donum à Spiritu ſancto diuino potiùs quàm humano modo promanans ſermone proſequimur: ad quod etiam meritò reducitur tractatus ille de Diuina contemplatione nuper à nobis in lucem editus, & typis Plantinianis Antuerpiæ excuſus. De ſublimiſsima, ſaltem quantum ad modum,*

*illa*

Digitized by Google

*illa tertij generis Orationis gratia gratis data, nemini ob ſuam dignitatem & nobilitatem habitualiter conceſſa, poſteà, diuino aſpirante Numine, tractaturi ſumus; ſimul admirabilem in ſpirituali vita latentem cæleſtis harmoniæ concentum, quo diuinas operationes, earumq́ incredibilem connexionem non obſcurè coniicere atque æſtimare liceat, dilucidè exponentes.*

*Scimus certè, & libenter agnoſcimus, non ſufficere exilitatem noſtram præ hebetudine cordis noſtri, ad perſpicienda, multoq́ minùs ad ſermone & ſtylo proſequenda vniuerſa harum Orationum genera, mirabilemq́ earum ſeriem & contextum: tanta enim & tam ſublimia ſunt hæc, vt non niſi magna animi puritate ac rerum ſpiritualium experientia & ſancti Spiritus illuminatione comprehendi vllatenus poſſint. Attamen diuino freti auxilio, etſi non quantum expoſcit tantæ rei dignitas & magnitudo, ſecundùm experientiæ noſtræ mediocritatem (quam fatemur eſſe exiguam) vtcumque digerere tentabimus; conantes pro ingenij noſtri tenuitate, natura ſua difficilem, arduam, myſticam & obſcuram hanc tractationem, ab obſcurioribus & ſymbolicis Myſticorum terminis & dicendi modis, quibus obuoluta & obtenebrata horrorem contraxit multiſq́ incuſſit, vindicatam & expurgatam, ad faciliorem & omnibus notam ac fermè Scholaſticam loquendi phraſim reducere: enitentes in primis, ſine vllo argumentorum*

ſtre-

Digitized by Google

ſtrepitu ac diſputatione, myſticam hanc ſcientiam in ſolida Scripturæ ſacræ ac ſanctorum Patrum fundare doctrina, quam, claram ſinceramq́; & Scholaſticæ Theologiæ principiis optimè cohærentem, periti Theologi probè cognoſcant, minùs etiam docti facilè & ſine obſcuritate inuenire atque percipere valeant.

Porrò intentionis noſtræ acies eò tendit, vt animam ad Deum à ſæculi vanitate conuerſam, à primis Orationis rudimentis, atque ab ipſo ſpiritualis ſuæ natiuitatis exordio, vſque ad perfectam eiuſdem vitæ ætatem perducamus; & viam, media, modum, quibus clementiſſimus Deus eam per omnes ætates ſpirituales, de virtute in virtutem, de gradu in altiorem Orationis gradum, quouſque in Sion nudis ſe præbeat videndum oculis, veluti manuducit, exponamus, & digito (vt aiunt) demonſtremus. In ſacris enim Scripturis ac ſanctorum Patrum libris, ſi attentè eorum doctrina recolatur, conſtat non obſcurè ea quæ ad ſpiritualem doctrinam pertinent deduci: ſunt enim reconditæ quædam venæ atque aurifodinæ vberrimæ, è quibus pretioſiſſimum aurum Myſticæ Theologiæ eruatur, licet non ſine aſsiduo lectionis ſtudiiq́; frequentis labore, atque ob nimiam eiuſmodi myſteriorum profunditatem & intellectus noſtri tenebras, non ſine particulari diuinæ irradiationis luce. Et quidem fateor, me in eruendo theſauro iſto per quadraginta aut circiter annorum ſpatium



Digitized by Google

*tium (conſultis quàmplurimis, tam noſtræ, quàm aliarum Religionum, inſigni harum ſupernaturalium rerum experientiâ præditis, à quibus quamplurima diſcere potui) me totum, multis etiam laboribus & moleſtiis exantlatis, impendiſſe: & quamuis non cum omnimoda plenitudine omnes, de quibus hîc ago, experimentaliter guſtauerim materias, de micis tamen quæ aliquando cadunt de menſa Domini, quid ille cæleſtis panis ſapiat, facilè poteſt coniici, & ex modico vino quod prælibatur, & ad probationem gratis propinatur, maiorem copiam emere cupientibus, facilè, diuina adiuuante gratia, diſcerni poteſt, quanta ſit illius ſpiritualis vini dulcedo & ſuauitas, quod in cella vinaria penitiùs reconditum aſſeruatur, ad ſolius quidem ſponſæ, cui ſoli ad cellam patet ingreſſus, plenarios vſque ad ebrietatem vſus: cuius tamen hauſtus aliquot vini Dominus aliis, quibus expedire iudicauerit, propinare ſolet; iuxta illud:* Bibite amici, & inebriamini chariſſimi. *Amici ad ſobrietatem, chariſſimi ad ebrietatem.*

*Fateor etiam, maioribus cum laboribus & diligentius inſudaſſe me annis pluribus, vt è diuinis illis ac ſupernaturalibus theſauris aliquid non ſine magno labore depromerem, quo Religioſis aliiſq; ſpiritualibus viris; Deo eorum animos intus inſtigante, calcar adderem indeſeſſè & ſtrenuè cæleſtis has perquirendi diuitias abundantis gratiæ Dei, quæ etiam à ſe*

*perc-*

*peregrinantes in hac vita ſeruos ſuos, ſecum intimè vniens, totos, vt ignis ferrum, in ſe transformat.*

*Summa certè gloria eſt & ſummũ decus (rariſſimis licet conceſſum) tam immediatam ſupremæ Diuinitatis, in hac mortali peregrinatione, etſi per modum tranſeuntis, poſſeſsionem attingere. Licet enim non ita clarè ac continuè, ſicut in patria, ſeipſum Deus in via exhibeat: patitur tamen, in ſuo lectulo recumbens, ſe ſub inuolucris & velamento fidei nonnumquam inueniri, tangi, & amoroſis amplexibus, mira quadam ac ineffabili ſponſæ voluptate detineri, ſibiq; tot votis & deſideriis expetitum, tot laboribus, moleſtiis, & afflictionibus, quæſitum figi permittit oſculum, veri amoris ſigillo feliciſsimè ſignatum.*

*Deſiderium autem tanto ſtudio inueſtigandi Orationis ſinu recondita bona, ingeſsit mihi lectio librorum S. Matris noſtræ* TERESIÆ *à* IESV. *Peculiariùs tamen occaſionem huic Operi præbuit locus ille, vbi de ſupernaturali hac ac diuina agit cum Deo vnione, & de indeficientibus qui ex illa promanant theſauris, quámque liberaliter illos locupletet Deus, qui in veritate illi famulari conantur, quæ me ad Religionis ſuſcipiendum habitum præcipuè incitarunt, ſummopere deſiderantem atque vnicè optantem ſupernaturales illas opes, & abſconditum inueſtigare theſaurum, atque ad ſapidiſsimum illum,*

*con-*

Digitized by Google

*ntinuos etiam per labores, pertingere aquam viuentium fontem. Fateor tamen, & quidem libenter, etiam euolutis diligentiſſimè plurimorum virorum doctorum ſcriptis, non poſſe me per annos pluſquam viginti, ſpeculatiuè etiam, percipere, quidnam eſſet ſuprema & cæleſtis hæc animæ cum Deo vnio, tot SS. Patrum encomiis ac laudibus celebrata, tot Myſticorum Doctorum ſcriptis mirificè commendata: nec tandem diuina illa bonitas, lumen, quod ſapientibus abſconditum tenebat, aliqua data occaſione, aliquantiſper mihi reſerauit; quo quidnam iſta ſit vnio, & in quo præcipuè conſiſtat, percipere poſſem. Confido quoque quòd per diuinæ bonitatis gratiam aliis (rudiori licet ſtylo) eam aliquatenus explicare & aperire potero, vt cognita atque perſpecta hac ſupernaturalium diuitiarum abundantia, ſummaq; Dei erga fideles ſeruos ſuos liberalitate & munificentia, toto omnes animo ferantur ad cæleſtes illas aquas auidiſſimè hauriendas.*

*Atque hac ſpe & fiducia fretus, æternæ ſapientiæ theſauros exponere in publicum atque omnium vtilitati erogare ſum auſus: poteſt enimque Deus noſter, quod vult, per quem, & ut vult manifeſtare.*

*Ad te, ô Sapientia, recto curſu redit & tendit omnis hic noſter labor. Tu quæ in excelſo reſides cælorum throno, ô Verbum, per quod facta ſunt omnia, adeſto mihi, largáque liberaliſſimæ*

*manus*

*manus tuæ benedictione in me gratiæ bonitatis tuæ fluenta profunde: vt & ego ad ſancti tui nominis exaltationem, amoris tui ſanctiſſimi ac dulciſſimi arcana & veneranda myſteria, in alios effundam, atque ſpiritualis caſtiſſimique connubij tui delectabilia gaudia depromam. Tu intereà, amice Lector, labore noſtro, quem ſanctæ Matris Eccleſiæ iudicio ac doctiorum cenſuræ ſubmitto, lubens fruere; & vale, mei apud Deum Optimum Maximum memor.*

DE

Digitized by Google

# DE ORATIONE DIVINA SIVE A DEO INFVSA LIBER PRIMVS:

*De natura, gradibus, effectibus, obiecto & fine Orationis diuinæ.*

## PROLOGVS.

AMPLISSIMA eſt diuinæ ſeu à Deo infuſæ Orationis materia; nec vllis facilè limitibus, ſi ſingulos illius effectus, circumſtantias & commoda enumerare voluerimus, comprehendenda. Hæc enim à Deo nobis infuſa Oratio, eſt illa quam olim Deus per Iſaiam Prophetam (c. 58.) animabus iuſtis promiſerat. *Et implebit* (inquit) *Dominus ſplendoribus animam tuam, & eris quaſi hortus irriguus, & fons aquarum cuius non deficient aquæ.* qua mediante Spiritus ſanctus vniuerſas animæ no-



Digitized by Google

ſtræ potentias, diuinis ſuis illuſtrationibus, ac mira amoris & ſuauitatis ſuæ abundantia, quaſi quibuſdam ſplendoribus, copioſiſſimè perfundit. Cuius naturam & mirabiles effectus D. Bonauentura de Profectu Religioſ. cap. I. præclarè expoſuit. Primò enim (inquit) memoriam ſanctis cogitationibus imbuit, & in recordatione Dei ſtabilitatem impertit, omnem euagationem excludit, corporales imaginationes expellit, perfectam obliuionem rerum mundanarum immittit, & quaſi vnum ſpiritum nos cum Deo facit. Secundò, intellectum ad intelligentiam Dei, & eorum quæ ipſius ſunt, & ad eum conſequendum conferunt, illuminat, Dei beneplacitum illi patefacit, inter virtutes ac vitia diſcernere docet, vias virtutum & remedia vitiorum ad propriam meditantis vtilitatem detegit, admirationem ſapientiæ, bonitatis & potentiæ Dei, & aliarum perfectionum in diuinis operibus elucentium infert, & circa quamcumque rem quam recogitat, lucidiſſima cogitatione replet. Tertiò, voluntatem ſanctis & deuotis erga Deum & multiplicibus affectionibus perficit, fiduciam erigit, charitatem adauget, deſiderium Deo in omnibus placendi & bonam voluntatem ingerit, mentis alacritatem tribuit, ſpe remiſſionis peccatorum & aſſequendæ ſalutis exhilarat, amore erga Chriſti humanitatem &
com-

ompaſſione dolorum ipſius emollit, deſide-
o Regni cæleſtis, confidentia exauditionis,
affectu diuinæ familiaritatis ditat, & ad
norem proximorum, odium vitiorum, ſtu-
um virtutum, & curam bonarum actio-
m inflammat. Quartò, corpus ipſum com-
nit, ab impuris motibus purgat, ad ſeruien-
m ſpiritui promptum reddit, ita vt ſpiritui
omnibus bonis obediat, non recalcitret,
c ſi exerceatur obmurmuret, facilè ſuſti-
it ſi ad laborem inſtigetur ne torpeat, ſi
tigetur ne inſoleſcat, ſi parcè ſuſtentetur
laſciuiat. Hæc denique ſuauitas dat maxi-
m homini in bonis operibus, quantumli-
de ſe laborioſis & in conſideratione diui-
um, & reliquis ſpiritualibus exercitiis
ſolationem; ita vt in illis quietem & in-
am animæ iucunditatem, in aliis verò
uſcumque rebus à vera ſpiritus perfe-
ne alienis quaſi tribulos & ſpinas inue-
. Hæc ille.

Huius autem diuinæ ſeu à Deo infuſæ
tionis auctor & præcipuus præceptor eſt
Deus, qui quos vult, & quando & quo-
lo vult, cæleſtem hanc docet ſapientiam:
nim, quia à nobiliſſimo ſapientiæ dono
cipaliter dimanat, eiuſmodi Orationem
tò vocare poſſumus; quam qui à Deo
ere merentur, de rebus cæleſtibus ac di-
mirabiliter inſtruuntur. Nam etiamſi

alia Orationis mentalis genera animam perfectè illuminent, & diuini amoris ignem accendant, longè tamen inferiora ſunt, ſi cum hac, quæ diuina & infuſa dicitur, comparentur.

Ampliſſimam igitur nec minùs difficilem huiuſce Orationis materiam, quàm potero breuiſſimè, ac pro maiori illius intelligentia perſpicuè, diuina Sapientia duce, hoc primo Libro explicare conabor; ita vt quid ſit Oratio ſupernaturalis, quæ eius neceſſitas, quotuplex illa ſit, qui in ea gradus inueniantur, & quæ ſit eius efficiens cauſa, quale obiectum, & denique quàm præſtantes ſint illius effectus, omnibus clariſſimè oſtendam, ſequentibus deinde Libris de tribus huius Orationis gradibus dicturus.

## CAPVT I.

### *Quid ſit Oratio diuinitus infuſa.*

ORATIONIS infuſæ, quæ ſupernaturalis frequentiùs à Myſticis vocatur, naturam ac definitionem vix vſquam apud veteres Patres explicatam inuenies. Sanctus Ioannes Damaſcenus Fidei Orthodoxæ lib. 3. c. 4. Orationem abſolutè & ſimpliciter definiens, dixit eſſe *Aſcenſum mentis in Deum.* Quæ deſcriptio latiſſima eſt, vtpote quæ omne Orationis genus complectitur, tam illud quod à virtute Religionis, quàm quod ab aliquo Spiritus ſancti dono ſeu gratia gratis data promanat.

Digitized by Google

nat. Quærenda eſt igitur nobis alia Orationis infuſæ deſcriptio, quæ illi propriè conueniat; vt ſic ſpiritualem athletam, ad diuini huius chariſmatis poſſeſſionem ſedulò ſerioque aſpirantem, clariùs de eiuſdem Orationis genere informare poſſimus. Oratio ergo à Deo infuſa non incongruè definiri poteſt, quòd ſit *ſupernaturalis, libera & prompta mentis noſtræ ad Deum ſiue cæleſtia capeſſenda eleuatio, à Spiritu ſancto, medio aliquo habituali dono, promanans.*

Hoc Orationis genere cor noſtrum in Deum celerrimè fertur, interdum illi, vt vnico totius boni noſtri auctori & principio, humilem, deuotum tamen & reuerentialem honoris cultum reddendo, noſtraſque neceſſitates ei cum omni ſubmiſſione patefaciendo; interdum verò ad cæleſtia & diuina, aliaſque pias cogitationes ſiue affectus, mentem erigendo.

Reſtat nunc, vt ſingulas huius definitionis partes breuiter explicemus. Inprimis Oratio infuſa dicitur *prompta mentis eleuatio*, vt ab Oratione acquiſita clarè diſcernatur. Acquiſita namque, quæ ſcilicet eſt virtutis moralis Religionis acquiſitæ, lento gradu ac paulatim in Deum conſcendit: debet enim mens materiam aliquam, circa quam verſetur, præuenire, & nonnullas quoque regulas obſeruare, ac propriâ induſtriâ (quamuis non ſine cooperante gratia) ad cæleſtia aſſurgere. Quando verò hoc Orationis infuſæ deſuper dono illuminamur, mens noſtra celeri motu, Spiritu ſancto illam tangente, ad diuina ſubleuatur.

Additur prætereà in definitione illa, particula *ſupernaturalis*, vt indicetur aliud diſcrimen, quod inter Orationem acquiſitam & infuſam reperitur.

Illa enim eſt actus virtutis Religionis acquiſitæ, quæ licet interdum ab auxilio ſupernaturali & diuino procedat, non ideò tamen dicenda eſt ſupernaturalis, neque infuſa, eo ſenſu quo nos de infuſa & ſupernaturali Oratione in præſenti ſermonem inſtituimus, vtpote quæ ab habitu aliquo infuſo & ſupernaturali non procedat.

Dicitur vlteriùs in præfata deſcriptione, *à Spiritu ſancto, medio aliquo habituali dono, promanans*; vt excludamus illud Orationis ſupernaturalis genus, quod à virtute morali Religionis infuſæ proficiſcitur: hoc quippe non immediatè ab ipſo Spiritu ſancto, per dona ſupra ordinarium gratiæ curſum operantem, ſed ab habitu potiùs virtutis moralis infuſæ, originem ducit. Addita prætereà fuerunt eadem proximè allegata verba, *medio aliquo dono*, ne quis putaret, nos hîc illud Orationis genus comprehendere, quod ad gratias gratis datas pertinet: nam licet vtrumque Orationis genus à Spiritu ſancto diuinitus & ſupra humanum modum animam tangente deriuetur, eſt tamen magnum inter illa diſcrimen: nam hoc quod gratia gratis data nuncupatur, Deus non impertitur medio habitu, ſed immediatè ſolùm per modum actus tranſeuntis; aliud verò largitur mediis habitibus donorum mentem ſupernaturaliter, imò ſupra ordinarium gratiæ curſum (vti diximus) illuminans & excitans ad vſum habitualium donorum. Porrò habitus iſti donorum, à quibus Oratio hæc ſupernaturalis & infuſa profluit, ſunt præcipuè illa; nempe ſapientiæ, intellectus, conſilij, ſcientiæ: quorum actus effectuſque infrà pleniùs explicabimus.

Conſultò etiam verbum illud, *libera*, in definitione poſitum fuit; vt aliâ iterùm notâ Orationem

quæ

Digitized by Google

quæ à Spiritus ſancti dono, ab ea quæ à gratia gratis data dimanat, ſecernamus: nam hæc quæ mediis illuſtrationibus diuinis, tranſeuntibus tamen, in anima cauſatur, plerumque libera non eſt: neque enim in noſtra poteſtate ſitum eſt, rapiente Deum animam ad cæleſtia, ipſam non rapi, ac extra ſenſus actam liberè operari, vt pleniùs lib. 6. de Contemplatione diuina oſtendimus. In Oratione verò infuſa mens à Spiritu ſancto liberè agitur ac mouetur, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Aguntur verò, Spiritu ſancto mouente & exhortante, vt eruditè D. Anſelmus, in illum Apoſtoli locum, *Aguntur*, ait, *Spiritu Dei, vt & ipſi quod agendum eſt agant, & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: Spiritus enim Dei, qui eos agit, agentibus eſt adiutor & ductor. Aguntur ergo vt agant, & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant; vt hoc ſicut agendum eſt agant, id eſt, cum dilectione & delectatione iuſtitiæ: quia qui Spiritu Dei aguntur, charitate aguntur & excitantur. Non ergo litterâ ſed ſpiritu, non lege præcipiente, minante, promittente, ſed Spiritu exhortante, illuminante, adiuuante aguntur: non quia ipſi nihil agant, ſed ne nihil agant boni, à bono aguntur vt agant.* Ita Anſelmus.

Demum illa verba, *ad Deum, ſiue cæleſtia capeſſenda*, in noſtra definitione addidimus, vt intra Orationis infuſæ latitudinem, omnem pium affectum piámve cogitationem, immediatè vel mediatè in Deum tendentem, comprehenderemus, non tantùm ſcilicet ipſius Dei contemplationem, amorem & guſtum, ſed & ceterarum creaturarum, vt ad Deum auctorem & principium referuntur, cognitionem, nobiliſſimoſque aliarum virtutum actus, ſupernaturaleſq; affectus eadem definitione com-

plectentes. Quare meritò hæc Oratio *aſcenſus mentis* dicitur: mens enim tam intellectum quàm voluntatem, ac vtrinſque potentiæ operationes denotat. Nam in hac eleuatione non ſolùm intellectus, ſed & voluntatis affectus & deſideria concurrunt. Vnde Hugo lib. 1. de Arca, *Hoc eſt*, inquit, *ad Deum tendere, & ad ipſum pertingere, ſemper eum per deſiderium quærere, per cogitationem inuenire, & per guſtum tangere.*

Cùm igitur Oratio ſit mentis aſcenſus, quo tam per cognitionem quàm per affectum in res ſupernas euehimur; non incongruè Patres Orationem mentalem definientes, nunc eam per intellectus, nunc per affectus operationes explicarunt. S. Auguſtinus Serm. 230. de Tempore: *Quid autem*, inquit, *eſt Oratio, niſi aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium?* Et lib. de Spiritu & anima, cap. 50. *Oratio eſt conuerſio mentis in Deum per pium & humilem affectum.* Bernardus verò lib. de Scala clauſtrali, cap. 1. *Oratio*, ait, *eſt deuota cordis intentio in Deum pro malis amouendis, & bonis adipiſcendis.* & Epiſt. ad Fratres de Monte: *Eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio.*

Hæc ergo duplex mentis functio, tam cognitionis quàm amoris, qua mens, medio aliquo pio affectu, ad cæleſtia diuino ac ſupernaturali modo per dona ſubleuatur, Oratio mentalis à Deo infuſa nuncupatur. Iuxta hanc Orationis infuſæ acceptionem, variæ iuxta varios effectus illius deſcriptiones tradi poſſunt. Prima, quòd ſit quidam Spiritus ſancti in animas noſtras influxus, quo anima mirificè illuſtratur, & ſuauiſſimo affectuum ſupernaturalium imbre quodammodò irrigatur. Oratio ergo intu-

Digitized by Google

infuſa nihil eſt aliud, quàm mentis ſupra ſe & omnem rem creatam eleuatio, ac ineffabilis quædam ſuauiſſimaque animæ cum ipſo Deo rebuſque cæleſtibus & diuinis copulatio; vel denique ſaporoſa in immenſum diuini amoris pelagus abſorptio. Iterùm: Oratio infuſa & ſupernaturalis, eſt mutuus Dei & animæ intuitus, quo ipſa in illum fertur, adſpectu quodã humili & reuerentiali; ille verò animam in ſe venientem benigniſſimè ſuſcipit & complectitur. Ex hoc autem diuino aſpectu maior in anima lucis & virtutum fecunditas reſultat, quàm reſultare ſoleat in inferioribus his, ex benigno vniuerſorum Planetarum ſiderumque cæleſtium adſpectu.

Hæc item Oratio infuſa eſt cathedra quædam ac ſpiritalis ſchola, in qua anima ſedens ad pedes infinitæ illius Maieſtatis, audit ſermones iucundiſſimos, omnique ſuauitate plenos: ibi ſponſus eius, nempe Spiritus ſanctus, loquitur ad cor eius, ac vberrimos diuinarum gratiarum influxus immittit, quibus vulnerata clamat cum ſponſa, Cant. 5. *Anima mea liquefacta eſt, vt locutus eſt dilectus.*

Per hanc Orationem (vt ait S. Bonauentura de Septem gradibus contemplationis) *Deus animã ſuo amore ſuccendit, & diuina gratiæ ſuæ balſamo inungit, quæ ſic inuncta extra ſe rapitur, extra ſe rapta, contemplatur, contemplando amat, amando guſtat, guſtando requieſcit, & in hac quiete conſiſtit conſummatiſſima ſua felicitas quam in via habere poteſt.* Hæc Oratio eſt verbum illud abſconditum, de quo Iob cap. 4. cuius ſuſurrum ſecretiores animæ aures ſuſceperunt. Quod verbum (teſte S. Gregorio lib. 5. Moral.) *nihil eſt aliud quàm allocutio intimæ aſpirationis, quæ humanam mentem tangendo ſubleuat, &*

*temporales cogitationes deprimens, æternis hanc deſideriis inflammat, vt nihil iam ei, niſi quæ ſuperna ſunt, libeat, & cuncta, quæ inferiùs de humana perſtrepunt cogitatione, contemnat. Abſconditum ergo verbum audire, eſt locutionem Spiritus ſancti corde concipere.* Hæc Gregorius, qui & alibi, 30. ſcilicet Moral. ſic ait: *Loquitur quippe Deus hoc nobis intrinſecus, quod ſilenter ſonat inuiſibilis lingua compunctionis, quam tantò pleniùs audimus, quantò ab exteriorum deſideriorum ſtrepitu perfectiùs auertimur*, vt ſcilicet veraciter poſſimus dicere cum Regio Pſalmiſta: *Audiam quid loquatur in me Dominus*: ita vt hoc Orationis genus nihil aliud ſit, quàm motio Spiritus ſancti, quæ varios in animabus noſtris producit affectus, omnino ſupernaturales & diuinos. Ad hanc Orationem toto cordis affectu anhelabat ſponſa, dum diceret Canticorum 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* In illius enim infuſione propriiſſimè conſiſtit mutuum animæ & Dei oſculum. Hæc Oratio eſt illud balſamum, quo tantis deſideriis petebat inungi Regius Propheta, vt poſſet Deum ex toto cordis iubilo laudare & benedicere, dum aiebat Pſalmo 61. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Hæc eſt vnicum animæ delicium, hæc ſuauiſſimus Dei animæque complexus. Hæc ſpirituale quoddam Sabbatum, in quo Deus cum anima recreatur. Hæc immenſa cordis noſtri dilatatio; ac denique expeditiſſima facillimaque ad mandatorum diuinorum obſeruationem ſemita.

Si tamen ſermo ſit de Oratione infuſa & in omni rigore ſumpta (ſecundùm quam acceptionem S. Auguſtinus Serm. 230. de Tempore, aliique Doctores Orationis nomine petitionem intelligunt, dicen-

icentes, Orationem eſſe petitionem decentium à
)eo) poſſumus in hàc forma eam definire: Oratio
nfuſa eſt quædam Spiritus ſancti efficax motio, cu-
us virtute faciles ac prompti reddimur, ad fiducia-
iter & efficaciter poſtulandum ea quæ nobis ſunt
d ſalutem neceſſaria, diuinæque voluntati magis
onformia. Et hac quidem diuina Spiritus ſancti
notione excitati, Deo tamquam Patri & auctori
onorum omnium cultum & famulatum exhibe-
nus, ac coram ipſo corda noſtra effundimus, no-
traſque ei neceſſitates pandimus, vt latiùs infrà
ap.7. exponemus.

Orationis igitur infuſæ in vtroque ſenſu acceptæ
ieceſſitatem, partes, effectus, & alias circumſtan-
ias deinceps, Deo fauente, explicabimus.

## CAPVT II.

### *Neceſsitas Orationis infuſæ & ſupernaturalis.*

EST quidem mentalis Oratio naturâ ſuâ valdè
difficilis, & quò excellentior & diuinior, eò
lifficiliùs exercetur: nam, vt nunc prætermittam
xternos Orationis hoſtes, dæmones ipſos, qui om-
ibus viis & modis quibus poſſunt orantes impu-
nant, vt eorum orationem fructumq; impediant;
int etiam alia impedimenta, quæ hoc Orationis
xercitium ſatis difficile reddunt. Hæc autem ad
uo genera reducuntur. Nam, vt egregiè D. Tho. 1.
.q.114. art.4. ad 2. docuit, ea quæ reddunt diffi-
ile exercitium alicuius actionis, duplicia ſunt.
Quædam pertinent ad ipſam actionem; cuiuſmodi
int obiectum & eius excellentia, aut magnitudo
intenſio, aut continuatio actionis. Alia pertinent
d defectum & imbecillitatem operantis; ſicut ve-
hemen-

hementia paſſionum reddit ſanè difficile exercitium operationum virtutum moralium, ad quam quidem agentis imbecillitatem meritò ignorantia reduci poteſt.

Ex hoc igitur duplici capite in Oratione mentali maxima oritur difficultas, vt apertè Apoſtolus ad Rom. 8. inſinuauit, dicens: *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* In quibus verbis non obſcurè Apoſtolus ſignificat illud duplex difficultatis genus, quod anteà propoſuimus. Alterum, quod ſe tenet ex parte orantis, nempe infirmitas, animique imbecillitas; quæ tanta eſt, vt non ſimus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis. Accedit autem huic infirmitati paſſionum noſtrarum pondus & multitudo; quæ cùm effrænes ſint & inordinatæ, ita ſpiritum ipſum perturbant, vt rerum cæleſtium conſiderationẽ penitùs impediant, niſi priùs reprimantur & mortificentur. *Volo viros* (inquit Paulus 1. ad Timoth. 2.) *orare, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* Nullus enim accedens ad orationem ſiue contemplationem, à paſſionibus non purgatus, neque dignè neque conuenienter orare poterit aut contemplari. *Non videbit me homo, & viuet,* Dominus dixerat Moyſi, Exod. 33. quaſi clariùs diceret, vt S. Gregorius lib. 8. Moral. c. 28. exponit: *Nullus Deum ſpiritaliter videre poterit, & mundo carnaliter viuere; mori igitur neceſſe eſt propriis carnis cupiditatibus, ſi vis Deum pura mente orare.*

Sunt etiam alij ex parte orantis hoſtes interni, qui eum ſummopere ab Orationis ſtudio retardant, quos S. Bernardus ad quatuor capita reduxit Sermon. 24. in Cant. nempe *culpa mordens, ſenſus agens, cura pungens, & irruentia imaginum corporea-*

rum

Digitized by Google

um phantaſmata. Peccata enim orantes mordent, ffrænes carnis paſſiones, turbant; ſuperfluæ ſæculi uræ, pungunt; & inordinata imaginum phantaſmata illos cruciant, opponuntque obſcuriſſimam nubem inter animam & ipſum Deum; de qua quidem nube Ieremias loquitur Threnor. 3. *Oppoſuiſti*, inquit, *nubem tibi, ne tranſeat oratio*. Sicut enim è terra ad mediam aëris regionem craſſi vapores aſcendere ſolent, in qua condenſati conuertuntur in nubes, quæ ſolis aſpectum impediunt: ita (vt auctor eſt Gregorius) permittit Deus ex paſſionibus inordinatis, quæ in corde noſtro terreno reſident, aſcendant ad ſpiritum vapores & nebulæ, quibus ille obſcuratur, & ita torpet, vt nec poſſit contemplari Solem iuſtitiæ, nec radiis lucis eius & amoris diuini frui, nec demum eius Oratio tali grauata pondere ad Deum aſcendere poteſt. Quare meritò Auguſtinus in Soliloquiis ita clamat: *O fons vita! moriar, vt te videam; mortificem me, vt te fruar; abnegem me, vt liceat loqui tecum.*

Demum, eſt aliud quoque impedimentum, quod ex parte orantis Orationem difficiliorem reddit, nempe ignorantia: nam quid oremus, neſcimus. Etſi enim multis petendi forma & modus ſpeculatiuè noti ſint, practicè verò quamplurimis ignoti: efficax enim & congrua petitio pendet ex multis circumſtantiis, quæ impoſſibile ferè eſt vt praxi ipſa à nobis attingantur, niſi ſpeciali Spiritus ſancti illuſtratione doceamur, ac eius motione adiuuemur. A qua quidem ignorantia neque ipſe Apoſtolus alienus omnino fuit; nam, vt inquit Auguſtinus Epiſt. 121. ad Probam, cap. 14. Tom. 2. ter Dominum rogauit, vt ſtimulus ille carnis auferretur ab eo. Quare experientia ipſa edoctus Apoſtolus

lius ipſe (vt rectè aduertit Chryſoſtomus Hom. 14. in cap. 8. Epiſt. ad Rom. Tom. 4. explicans eadem verba Pauli) *vt ne ampliùs diſcipulum ignorantiæ pudeat ſuæ, palàm facit & magiſtros in eadem ignorantia verſari. nec enim dixit, Non nouiſtis; ſed, Non nouimus. ac quòd ea non dixerit modeſtiam præſeferens, per alia indicauit: nam indeſinenter in precibus ſuis Romam videre orabat, nec cùm precaretur id aſſecutus eſt. Prætereà & pro ſtimulo ſibi in carne dato, hoc eſt pro periculis, ſæpenumerò preces fudit, ac omnino voti incompos euaſit. Quin & Moyſes in veteri Lege obſecrans Palæſtinam vt videret, & Ieremias pro Iudæis ſupplicans, & Abraham pro Sodomitis.* Hæc Chryſoſtomus.

Hæ ſunt difficultates, quæ ex parte orantis hoc Orationis exercitium ſatis difficile oſtendunt, præter quas ipſum etiam exercitium Orationis non paruam præ ſe fert difficultatem, quod non obſcurè ex illis verbis Apoſtoli, *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus*, colligitur. Vbi expendenda ſunt illa verba, *ſicut oportet*, quæ actionem ipſam Orationis, quam circumſtantiæ plurimæ neceſſariò comitantur vt fiat ſicut oportet, denotant: huiuſmodi circumſtantiæ ſunt, fiducia in Deum, reuerentia in petendo, locus & tempus, propria diffidentia, debita attentio: deinde, quid ſit petendum, & quomodo petendum: demum (quod forſan difficilius eſt) in petendo perſeuerantia.

Accedit etiam his difficultatibus ſiue circumſtantiis alia non minor, nempe obiectum Orationis, ipſe inquam Deus, præcipuum huius exercitij obiectum. Deus autem naturâ ſuâ eſt inuiſibilis, noſtrumque captum noſtramque cognitionem in infinitum excedens. Quæ quidem omnia Orationis

ıis actionem ſatis arduam ac omnes humanas vires :xcedentem omnino reddunt.

Has ſanè difficultates Apoſtolus Paulus cùm ſuperioribus verbis ſignificaſſet, ne fortè in hoc pio ıc ſaluberrimo exercitio difficultatibus obruti deiceremus, noſtram fiduciam volens erigére, addit: *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Et deinde: *'pſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrailibus.* Quæ quidem verba de Spiritus ſancti motione & peculiari adiutorio apertè loquuntur, ac iuſdem Spiritus ſancti motionis & influxus in aninas noſtras neceſſitatem & indigentiam declarant. Quis enim poſſet abſque hac diuini Spiritus illutratione & impulſu dæmonum tentationibus reſitere, ac impedimenta omnia, quæ ſeſe in Oratione am ex parte orantis quàm ex parte exercitij ipſius offerunt, omnino vincere aut ſuperare? Quare à ſpiritu ſancto, medio aliquo dono potiùs quàm à ıoſtra induſtria prouenit, vt feruenter, & ſicut oortet, in excelſo hoc Orationis exercitio nos haeamus: reddunt enim Spiritus ſancti dona aniıam noſtram promptam, mobilem, facilem, & mnino expeditam, vt inferiùs cap. ſequenti diſſeːmus, ita vt prædictis omnibus ſuperatis difficulːtibus, circa Deum orando vel contemplando opeːtur. Quem quidem effectum, nec habitus virtutis .eligionis etiam infuſæ, imò nec Theologicarum ɾæſtare queunt. Quare vt huiuſmodi Orationis ıfuſæ neceſſitas, vt à Spiritus ſancti manſione meiis donis dimanat, clariùs vberiuſque explicetur, peræpretium erit breuem aliquam tractationem e horum ſancti Spiritus donorum neceſſitate, diinctione & numero inferiùs inſerere.

CA-

## CAPVT III.

*Efficiens & præcipua Orationis infuſæ cauſa eſt ipſe Spiritus ſanctus, medio donorum influxu.*

VT huius Orationis ſupernaturalis neceſſitas, de qua ſuperiori capite aliqua prænotauimus, ampliùs conſtet, ex D. Thoma 1.2.q. 108. art. 1. & 2. & in 3.diſt. 34.art. 1.ad 2.notare oportet, quòd nec virtutes morales, nec Theologicæ, ſcilicet fides, ſpes, vel charitas, ſine particulari motione Spiritus ſancti ſint ſufficientes hominem perfectè & plenariè in finem vltimum ſupernaturalem dirigere. Quamquam enim illarum medio Deum cognoſcat, & de illius virtute nonnihil participet, ita vt poſſit diuina illius mandata debito modo adimplere, & alias res ſupernaturales & diuinas aggredi; nihilominùs ſine hac Spiritus ſancti motione non poterit in altam & ſublimem diuinę maieſtatis contemplationem aſſurgere, & alios actus heroicos & omnino ſupernaturales inchoare, aut exactum illorum exercitium continuare. Nam, vt egregiè docet D.Tho.art.2.vt ſuprà in corpore, virtutes Theologicæ imperfectè poſſidentur ab homine in hac vita, in qua imperfectè diligimus & cognoſcimus Deum: & quod imperfectè habet naturā aliquam, vel formam, aut virtutem, non poteſt per ſe operari, niſi ab altero moueatur: quemadmodum Sol, quia eſt perfectè lucidus, per ſeipſum poteſt illuminare; Luna autem, in qua eſt imperfectè natura lucis, non illuminat niſi illuminata. Quare ipſa ratio etiam informata virtutibus Theologicis non poteſt perfectè moueri in ordine ad aſſecutionem finis ſupernaturalis, niſi deſuper adſit inſtinctus & motio

ↄ Spiritus ſancti ſecundùm illud, Rom. 8. *Quicum-te Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Et quamuis ;atia ex ſe ſola hæc omnia præſtare poſſit, quia ta-en limitantur eius vires per rationis imperium, ıius nutu & arbitrio homo regitur; fit vt non tan-ım ex illius influxu ſubſidium percipiat, ac ſi im-.ediatè ab ipſo Deo ad huiuſmodi opera aggre-enda moueretur. Vnde vt ad ſupremam, quæ in a haberi poteſt, de Deo notitiam, & alia opera om-no ſupernaturalia potens reddatur, eſt neceſſarius fluxus agentis ſuperioris ſiue potentioris, per ıem anima noſtra perfectè moueatur ad conſecu-ↄnem vltimi finis, in quem eſt à Deo optimo ma-mo creata. Inde colligit S. Thomas vbi ſuprà 1. 2. 68. art. 2. in corpore, eſſe neceſſaria ſeptem do-ι Spiritus ſancti. *Quibus* (vt ipſius verbis vtar) *mo diſponitur ad hoc quòd benè ſequatur inſtinctum uinum,* vt ſic eiuſdē Spiritus ſancti impulſu adiu-s, actus virtutum, quos anteà minùs efficaciter tpote à limitatis illarum habitibus procedentes) .ciebat, in poſterum quàm poteſt fieri intenſiſſi-os & perfectiſſimos producat.

Hinc patet, quæ ſit differentia inter hanc Spiritus ıcti motionem, actuſque per illam elicitos, & tus virtutum Theologicarum. Quamuis enim ıiuſmodi virtutes, ſi ſpectes illarū radicem, ſub-ntiam, & obiectum (quod eſt ipſe Deus) ſint vir-:es & habitus ſupernaturales nobis à Deo infuſi uod eſt de fide,) modus tamen quo ipſæ operan-:, quantum ad propoſitam materiam attinet, à Thoma aliiſque Theologis dici ſolet humanus: ia etſi procedat à gratia, hæc tamen limitata eſt à ione humana, quæ humano modo per diſcurſum :ratur, non aliter ac vbi exercetur actus pruden-



Digitized by Google

tiæ, vel fidei; in vtrolibet enim illorum intelligit & operatur homo per diſcurſum, cùm ſit illi connaturalis per creaturas tamquam per ſpeculum cognitio. Fides verò hanc obſcuram & vmbratilem hominis de Deo cognitionem ſupernaturaliter eleuat, & ſic eleuata, eius actus redditur ſupernaturalis. Prudentia verò procedit per coniecturas & ſcrutinium eorum quæ frequentiùs euenire ſolent, vt quid in præſenti materia ſit ſeligendum vel relinquendum, non tamen ſine anxietate & futuri euentus ancipiti ſucceſſu. Verùm vbi affulſerunt diuini Spiritus ſancti radij, quibus illuſtrata anima, medio Intellectus dono, quod fidei virtuti ſuperadditur, eleuatur ad altiſſimam veritatum ſupernaturalium cognitionem; taliter, vt illarum quidditatem & certitudinem ſimplici quodam intuitu penetret, nec non rerum mediante dono Conſilij peragendarum quamdam veluti euidentiam acquirat. Hæc omnia quis non videat anguſtos rationis noſtræ limites ſuperare, & ad ſupernaturalem ac diuinum operandi modum pertinere?

Hæc verò Spiritus ſancti dona correſpondent omnibus actibus virtutum, non minùs moralium, quàm Theologicarum, & à Deo animabus iuſtorum inſtillantur, ſeu transfunduntur, vt per illa intenſiſſimos, & quantum humana patitur fragilitas, efficaciſſimos virtutum actus elicere valeant, medio agentis ſuperioris, ſcilicet Spiritus ſancti, influxu. Quæ dona, ſicut & operationes quæ illis reſpondent, non tantùm ſunt ſupernaturales, ob ſupernaturalem Spiritus ſancti agendi modum, ſed omnino neceſſariæ, vt anima noſtra in exercitio virtutum intellectualium moralium & Theologicarum perfectiſſimo quo in hac vita fieri poteſt modo perficia-

ciatur. Sicut ergo ad omnigenam virtutum illarum perfectionem ſunt neceſſaria (vt modò vidimus) dona Spiritus ſancti particularia, à quibus omnem ſuum decorem & perfectionem emendicent: ita etiam vt virtus religionis, quæ vna eſt ex primis inter morales, à qua exercitium acquiſitæ Orationis dimanat, omnino perfectè à nobis acquireretur, neceſſariò illi etiam debuit correſpondere particulare donum Spiritus ſancti, nempe donum Pietatis, ſeu potiùs Intellectus & Sapientiæ, quorú iugi influxu diſponeremur ad ſuperuenientem Spiritus ſancti motionem, & cultu ac amore puriſſimo, perfectiſſimaque cognitione Deum honoremus, amemus, & cognoſcamus. Quæ omnia fiunt mediâ Oratione, quæ à Spiritu ſancto infunditur. Vide ergo, quanta ſit neceſſitas Orationis infuſæ & ſupernaturalis.

Hæc autem Spiritus ſancti motio ſiue influxus, quantum ad Orationem infuſam attinet, fit mediâ omnium donorum operatione: nam cùm intra Orationis infuſę latitudinem, vt ſuperiùs cap. 1. annotauimus, omnem non ſolú intellectus in Deum eleuationem, ſed & omnem pium affectum immediatè vel mediatè in Deum tendentem comprehenderimus, non tantùm Dei contemplationem, amorem, & guſtum, ſed aliarum virtutum nobiliſſimos actus, ſupernaturaleſque affectus complectentes: hinc eſt quòd omnia dona nunc vnum, nunc aliud ſeorſum, nunc aliqua ſimul ad Orationem infuſam concurrere neceſſe eſt, quibus ad res cæleſtes contemplandas ſiue amandas vi horum donorum efferamur: quorum quidem quædam ad contemplationem infuſam, vt Sapientia & Intellectus, quibus adde Conſilium & Scientiam: alia verò, vt Fortitudo, Pietas, & Timor, potiùs ad actionem pertinent.



Digitized by Google

His igitur donis adiuta & eleuata Oratio noſtra, fit quantum ad modum ſupernaturalior, omnem ſuperans humanum agendi modum, & ideò verè Infuſa dicitur.

Quamuis verò omnibus iuſtis ſimul cum gratia & charitate donorum habitus infundantur, & licet eorum vſus, in his quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, eis non denegetur; tamen in his rebus, quibus humana mens eminentiori modo ſupra humanam induſtriam (etiam gratiâ adiuta) ad capeſſenda ſiue contemplandá diuina eleuatur, illis tantùm conceditur, quos Deus vel ob vitæ puritatē, vel ob ſuam liberaliſſimam clementiam ad hoc Orationis infuſæ genus præelegit. Huius rei ea ratio reddi poteſt, quia donorum habitus afficiunt potentias, eaſque reddunt expeditas & faciles, non vt moueantur à ratione humana (etiam habitibus ſupernaturalibus condecoratâ) ſed potiùs vt moueantur immediatè ab ipſo Spiritu ſancto, quando & quomodo vult. Et quia iſta motio non prædeterminatur à noſtra ratione ſeu diſcurſu, ſed immediatè ab ipſo Spiritu ſancto dimanat; ideò fit modo magis ſupernaturali & diuino, ipſo Deo immediatè noſtras potentias habitibus donorum informatas tangendo, ac eleuando ad operationes altiores & nobiliores, vtpote à nobiliori principio. Eminentiori enim modo mouet Spiritus ſanctus per ſeipſum mouendo, quàm cùm per rationis diſcurſum mediatè mouet.

Quare meritò D. Thomas, vt ſuprà, operationem etiam virtutum infuſarum comparauit lumini Lunæ; eam verò, quæ à Spiritu ſancto mediis donorum habitibus dimanant, Solis luci: quia ſicut lumen Lunæ totum eſt à Sole participatum, & ideò illud eſt magis obſcurum, ſeu potiùs minùs clarum

Solis

Solis lumine, quia non immediatè oritur à ſuo principio, ſicut lux Solis; ita operationes à Deo, mediis etiam habitibus infuſis, cum rationis humanæ limitatione procedentes, imperfectiores ſunt illis quæ à Spiritu ſancto immediatè animam noſtram, habitibus donorum condecoratam, facilem & expeditam illuſtrante, procedunt. Tunc enim à nobis elicitur Oratio pinguior atque perfectior, quia Spiritus ſanctus potentiùs & eminentiùs intellectũ illuſtrat, ac notitiam diuinorum myſteriorum penitiorem ac profundiorem confert, & voluntatis affectus excitat, ex quibus mira ſuauitas ac iucunditas in anima ſentitur. Illud tamen noſſe oportet, quòd etiam deficiente hoc lumine ſupernaturali, ſiue Orationis dono, iuſtorum oratio erit meritoria; tamen, vt aſſerit Richardus apud Bonau. 2. Itiner. æter. diſt. 5. art. 4. ordinariè cor hominis, niſi à Deo ſupernaturaliter iuuetur & illuſtretur, mille patitur phantaſias; & niſi intellectus noſter diuinitus eleuetur & inſtruatur de modo, tempore, & ordine, & aliis circumſtantiis in Oratione obſeruandis, remiſsè operabitur; neque talis Oratio regulariter erit impetratoria, vtpote ſuperno deuotionis igne ac Spiritus ſancti impulſu & illuſtratione deſtituta. Eſt enim proprium Spiritus ſancti officium, modo quodam ſupernaturali & planè diuino ſuggerere res in Oratione poſtulandas, reuerentiam, fidem, ſpem, feruorem, ſuſpiria, lacrymas, aliaſque conditiones, ſine quibus nequit Oratio noſtra eſſe eorum quæ poſcimus impetratoria. Sciunt quidem iuſti, de quibus & qualiter ſit Deus exorandus; tamen, vt benè aduertit diuus Thomas in caput octauum Epiſtolæ ad Romanos, lect. 5. multoties, cùm ad praxim & particularia deſcendunt, penitùs



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nitùs ignorant quid ſibi priùs quid poſteriùs petendum : & ſic fit vt frequenter non obtineant orationis ſuæ effectum. Ex quibus apertè coniicitur, quantum ſit in Oratione neceſſaria ſpecialis aliqua Spiritus ſancti motio, quam nos Orationem infuſam appellamus.

Sed quia præcipua dona, quæ in Orationem infuſam frequentiùs influunt, ſunt donum Sapientiæ, Intellectus, Conſilij, & Scientiæ; ideò breui ſermone de his quatuor donis diſſeremus.

## *De dono Sapientiæ.*

### §. I.

SANCTVS Bonauentura lib. de Donis Spiritus ſancti, in Tractatu de Dono Sapientię, cap. I. Sapientiæ donum in hunc modum deſcribit: *Sapientia eſt contemplari Deum, non quocumque modo, ſed ex dilectione, cum quadam experimentali ſuauitate & affectu.* Vnde obiectum doni Sapientiæ principale eſt Deus, non ſub ratione veri abſolutè, ſed ſub ratione veri cum relatione ad rationem boni, vt eſt excitatiuum voluntatis ad eius ſaporoſam dilectionem. Ex quibus apparet, quòd donum Sapientiæ, vt ibidem colligit D. Bonauentura, eſt habitus ſupernaturalis animæ à Spiritu ſancto infuſus ad Deum cognoſcendum, & ſaporosè diligendum. Quare Sapientiæ donum, vt benè aduertit Dionyſius Carthuſianus Tract. 2. de Donis Spiritus ſancti, cap. 9. triplicem continet actum. Primus eſt, Diuinorum clara cognitio. Secundus, Iudicialis de omnibus diſcretio. Tertius, Dulcis affectio, ſeu ſaporoſa guſtatio.

Primus actus ſiue effectus Sapientiæ eſt, Conferre intellectui cognitionem ſimpliciſſimam & altiſſi-

tiſſimam Dei, & rerum diuinarum, & cæleſtium quarumcumque, quibus ad vnionem cum Deo altiſſimam promouemur. Hæc verò clarior rerum cæleſtium notitia ideò in intellectu naſcitur ex ipſa Sapientia, quia hæc fides lucem perficit & eleuat, & modo poſſibili huic vitæ clariorē reddit; & ſicut in cubiculo, vbi erat lumen tantùm Lunæ, ſi Solis radij ingrediantur, mirum in modum omnia clariùs quàm anteà illuſtrantur; ita dum in nocte huius vitæ, fidei luce, quæ exigua eſt in anima iuſti, ſol ſapientię accenditur, myſteria fidei multò magis quàm anteà clariora redduntur.

Secundus actus ſiue effectus eſt, Iudicialis diſcretio, hoc eſt, connaturalis quædam diſcretio rationis, per quam intellectus iuſtorum de diuinis ſub fide cadentibus rectum ſortitur iudicium. Per Sapientiam enim ſpiritualis homo iudicat de diuinis, ac ceteris rebus, non ſolùm per rationis clarum intuitum, ſicut fit per Sapientiam, quæ eſt habitus Theologicus, quæ ſine charitate haberi poteſt, & ſolùm reſidet in intellectu: ſed etiam iudicat per connaturalitatem ſeu conformitatem interni affectus ad Deum, quod fit per ſapidum guſtum, ac ſecundùm experimentalem ac ſapidam de Deo notitiam. Quod quidem pręſtare nequeunt illi qui præditi ſunt habitu Theologicæ ſapientiæ, quia ille tantùm poteſt iudicare ſecundùm iudicium intellectus ſpeculatiuum, non tamen per iſtam connaturalitatem interni affectus, vel per ſapidum diuinorum guſtum. Nam quamuis vtriuſque Sapientię, ſcilicet acquiſitæ & infuſæ, ſit Deum cognoſcere, diuina diſcernere, atque per ea de ceteris iudicare; valdè tamen inter ſe differunt. Dupliciter enim ferri poteſt de rebus iudicium: nam & aliter de morbo iu-

 dicat

dicat ipſe ægrotus,& aliter medicus. Aliter quoque de ſobrietate & caſtitate iudicat, qui ipſas virtutes morales adeptus eſt, & aliter qui ſolam moralem ſcientiam habet. Vno ergo modo iudicatur de re per plenum vſum rationis, ſeu clarum intuitum intellectus ipſam veritatem cernentis, ſicque de diuinis ac aliis iudicat Sapientia naturalis, quantum ad ea, quæ naturaliter cognoſcuntur; & Sapientia ſupernaturalis, quantum ad ea quæ in ſacra Scriptura traduntur. Alio verò modo iudicium fertur per connaturalitatem ſeu conformitatem iudicantis ad ipſas res, quæ vtique conformitas in diſpoſitione affectus conſiſtit; quemadmodum caſtus de caſtitate optimè iudicat: ſic quoque per donum Sapientiæ iudicatur de diuinis quæ fidem reſpiciunt,& deinceps de aliis omnibus ſecundùm rationes regulaſque diuinas. Hæc verò conformitas mentis ad diuina credenda ab ipſo ſapido guſtu ſeu ſapientiali ſapore diuinorum efficitur, dum ipſi credenti veritates diuinæ ſub fide cadentes non ſolùm clariſſimè per donum Intellectus innoteſcunt,ſed inſuper dulciter ſapiunt: ſicque veriſſimæ eſſe diſcernuntur,ac ſecundùm eam aliæ veritates regulantur & mirificè ordinantur, ipſæ verò falſitates & perfidiæ refutantur. Et hæc omnia mediante Sapientiæ dono fiunt, vt 2. cap de Diuinis nomin. princeps Theologorum beatiſſimus Dionyſius de S. Hierotheo teſtatur,qui fuit in diuinis perfectus,non ſolùm diſcens, ſed etiam vt patiens, id eſt guſtans, ſeque diuinis per affectum conformans.

Tertius Sapientiæ actus, Interior eſt guſtus, ſeu oblectatio mentis. Hic autem ſapor ſiue dulcedo naſcitur ex charitate, cui coniuncta eſt hæc diuina Sapientia: quæ charitas primò palatum mentis ſanat,

nat, vt illi diuina dulceſcant; & Deo mentem vnit, vt illi, quæ Dei ſunt, tamquam ſibi congrua ſapiant. De iſta palati animæ ſanitate optimè Bernardus Serm. 85. in Cant. *Et fortè*, inquit, *ſapientia à ſapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam velnti condimentum ſapidam reddat, quæ per ſe inſulſa quodammodò & aſpera ſentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, ſi quis Sapientiam ſaporem boni definiat. hunc ſaporem perdidimus ab ipſo penè exortu generis noſtri.* Et infrà: *Et nunc aſsiduè ſapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intrauerit, ſaporem mali, quem illa inuexit, ſapore exterminans meliori. Intrans ſapientia dum ſenſum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum ſanat & reparat. Sano palato ſapit iam bonum, ſapit ipſa ſapientia, qua in bonis nullum melius.* Hæc Bernardus.

De gradibus doni Sapientiæ, ac de diſcrimine huius doni à dono Intellectus, inferiùs diſſeremus.

## *De dono Intellectus.*

§. 2.

SICVT Sapientiæ donum eſt habitus rationem ſuperiorem perficiens, vt de diuinis rectè vereque iudicet per connaturalitatem, ſiue coaptationem ad ipſam, hoc eſt, per conformitatem ac guſtum eorum; ſic Intellectus donum eſt habitualis perfectio rationem ſuperiorem illuſtrans, vt omnium rerũ quæ cadunt ſub fide veritates clarè perſpiciat, intimè penetret, fideique rationem profundiùs agnoſcat. Per hoc enim donum humana mens eleuatur, vt conſpiciat pulcherrimam connexionem ac conuenientiſſimum ordinem horum, quorum eſt fides, ac ſingulorum rationes ſubtiliùs pe-

netret; videlicet, qualiter noua Lex veteri conſonat, qualiter tota Scriptura ſibi concordat, quomodo vnus articulus fidei ex alterius conſideratione credibilior fiat & rationabilior appareat, quomodo indignum nihil de Deo affirmat: imò quòd omnia quæ Scriptura ſacra complectitur, ad magnificentiam, honorem, ac laudem Domini pertinent. Quędam enim bonitatem & miſericordiam eius præſertim commendant, vt Incarnatio Verbi atque redemptio mundi: quædam ſapientiam Dei attollunt, vt quòd fides docet, eum vniuerſorum habere certiſſimam & diſtinctiſſimam notitiam, ac prouidentiam generalem ac ſpecialem: quædam verò teſtimonia fidei diuinam iuſtitiam ſummè affirmant, vt quòd pro vno mortali peccato non pœnitentibus æternam infligit pœnam.

Hoc quidem donum latiſſimum eſt & nobiliſſimum, omnem quæ de Deo in hac vita haberi poteſt cognitionem comprehendens. Nam vt rectè D. Bonauentura Tom. 1. de Donis Spiritus ſancti, cap. 3. & 4. ſcribit, hoc donum ſe extendit ad omnes veritates neceſſarias ad ſalutem, quæ ſunt nobis abſconditæ & quaſi velatæ tam in rerum naturis ſenſibilibus, quàm Scripturis, ſiue in diuinis Sacramentis & figuris, donec ingrediamur ad veritatis puras illuminationes & contemplationes. Puræ autem veritatis illuminationes (inquit ille) ſunt, quando veritas ſine imaginibus & figuris per ſemetipſam percipitur. Item Spiritus ſanctus per donum Intellectus facit nos penetrare & contemplari omnia velamina veritatis incarnatæ, & veritatis etiam increatæ.

Diuus etiam Thomas 2. 2. q. 8. art. 1. inquit proprium eſſe doni Intellectus, ſub accidentibus naturam

ram rei ſubſtantialis, ſub verbis ſignificata verborum, ſub ſimilitudinibus & figuris latentem veritatem, & in cauſis effectus latentes, & econuersò, contemplari. Vbi Caietanus, explicans mentem D. Thomæ, ita ſcribit: Retine ſenarium numerum eorum in quibus & quæ legere facit donum Intellectus; hæc ſiquidem omnia comprehendere videntur, quæ intellectus per fidei donum penetrare poteſt: nam vel in accidentibus, vel verbis, vel figuris ſimilibus, vel ſenſibilibus, vel effectibus, vel cauſis latent, quæcumque latent, adeò vt nihil prætermiſſum occurrat. Extendit ſe donum Intellectus ad penetrandum omnia, ad quæcumque iudicanda vel applicanda Sapientia & Scientia & Conſiliũ ſe extendunt, & rurſus ad omnia quibus fides aſſentit.

Ex quibus non obſcurè colligitur, nihil latêre eorum, quæ fidei ſunt, lumen hoc ſupernaturale Intellectus: extendit enim ſe ad contemplandum ea omnia, quæ in Deo ex creaturis, ex Scripturis, ex veritate incarnata poſſunt cognoſci: deinde ſine creaturarum ſcala immediatè veritatem increatam, & myſteria beatiſſimæ Trinitatis abſcondita, ea luce & claritate, quæ in hac vita permittitur, intuetur. Vnde fit, vt irradiationes diuinæ, quibus contemplatiui cæleſtibus inſiſtunt theoriis, ſiue mediatè per creaturas, aut ſenſibilia alia ſigna, ſiue immediatè ad contemplationem aſſurgant, ab Intellectus dono promanent.

Illud quoque notandum occurrit, quòd licet Intellectus dono omne genus cognitionis, ſiue contemplationis, quod ſupernaturaliter euenire poſſit, attribuamus; non tamen ab Intellectus conſortio Sapientiæ donum nobiliſſimum excludimus: quia cùm hæc contemplatio infuſa & ſupernaturalis ſit,

ac

ac ab amore Dei procedens, ſit vt ſimul Sapientiæ donum vt plurimùm cum intellectu concurrat; nam quæ intellectus ſuo acumine penetrat & intelligit, ſapientia guſtat, ac cum delectatione percipit.

Differt autem Intellectus donum à dono Sapientiæ. Primò, vt benè aduertit Dionyſius Carthuſianus de Donis Spiritus ſancti, tract. 2. cap. 31. Quia Sapientiæ eſt, per ſaporem ſeu guſtum de rebus diuinis certiſſimè iudicare: intellectus verò doni eſt, ipſam veritatem clarè cognoſcere. Itaque Intellectus eſt apprehenſio; Sapientiæ verò, iudicium. Secundò, Quoniam ſapientia eſt finis ac fructus doni Intellectus: intellectus enim præcedit ſapientiam, & eſt veluti ad eam introductio, quemadmodum cognitio præcedit iudicium, & ſpeculatio ſaporem vel guſtũ. Vnde hæc duo dona in hoc diſtinguuntur, quòd Sapientia eſt per guſtum, quę ſunt ſapida, ſapienter iudicare; Intellectus verò, per clarum intrinſecumque intuitum veritatem agnoſcere. Ex quibus clarè infertur, donum Sapientiæ, Intellectus donum includere, & inſuper addere rectum ſapidumque iudicium eorum quæ percipit intellectus.

### *De triplici Orationis infuſæ gradu, à triplici doni Intellectus ſiue Sapientiæ irradiatione dimanans.*

§. 3.

QVEMADMODVM cæleſtes Hierarchiæ penes plenioris & vniuerſalioris luminis irradiationem, ac maiorem ad ipſius lucis fontem approximationem meritò diſcernuntur, vt pleniùs lib. 2. de Contemplatione cap. 1. & ſequentib. docuimus; ita gradus eorum, quorum mentes ad ſimilitudinem cæle-

cæleſtis Hierarchiæ in via, Oratione infusâ ſiue contemplatione purgantur, illuminantur, & perficiuntur (quæ pænè diuinæ & cæleſtes nuncupari poſſunt) ex maiori aut minori, puriorive aut perfectiori diuinæ lucis participatione meritò diſtingui debent. Quare oportebit gradus diuini luminis à dono Sapientię & Intellectus profluentes diſcernere: nam ex eorum maiori aut minori nobilitate & perfectione, deſumenda eſt Orationis infuſæ nobilitas & excellentia. Nobilitas verò luminis ex duplici capite penſari poteſt. Primò, ex parte ſubiecti: nam quò nobiliori animæ parte recipitur ac ſubiicitur, eò excellentior ac præſtantior eſt. Quare ſublimior erit ea Oratio ſiue contemplatio, quæ in ratione, eâ quæ in imaginatione recipitur; & quæ in intelligentia, quæ ſuperior eſt animæ pars, nobilior illâ, quę ratione aut imaginatione comprehenditur.

In his tribus animæ viribus, nempe imaginatione, ratione, & intelligentia, in quibus omnis cognitio ſiue contemplatio etiam ſupernaturalis recipitur, Richardus lib. 3. de Contempl. cap. 8. tres cælos, ſiue tres orbes, aut contemplatiuorum Hierarchias cõſtituit. *Ibi*, inquit (id eſt, in homine interiori) *ſua quædam terra ſuũ habet cælum; nec vnum tantùm, ſed ſecundum poſt primum, & tertium poſt primum & ſecundum. Et vt hoc triplex cælum congrua poſsimus diſtinctione diſcernere, primum dicatur imaginale, ſecundum rationale, tertium intellectuale. Tenet itaque imaginatio vicem primi cæli, ratio ſecundi, intelligentia verò vicem tertij. Et horum quidem primum, ceterorum comparatione, groſſum quiddam atque corpulentum, & ſuo quodam modo palpabile atque corporeum, eò quòd ſit imaginarium atque phantaſticum, poſt ſe trahens & in ſe retinens formas & ſimilitu-*

*litudines rerum corporalium. Reliqua verò duo huiuſmodi comparatione admodum ſubtilia, & omnino incorporea, & ab eius craſsitudine multùm longinqua. Sic ſanè cælum hoc exterius, quod nos dicimus firmamentum, abſque vlla dubitatione conſtat eſſe viſibile atque corporeum, & ipſum quidem primum, & omnium infimum. Quod autem eſt terra ad hoc viſibile cælum, hoc eſt ſenſus corporeus ad illud internum phantaſticum & imaginarium cælum. Nam ſicut hoc viſibile cælum, omnium quæ terra gignit atque nutrit multitudinem ſinus ſui magnitudine comprehendit: ſic omnium, quæ ſenſus attingit, appetitus ſuggerit, ſimilitudines intra ſinum ſuum imaginatio includit. In primo itaque cælo comprehenduntur omnium viſibilium imagines & ſimilitudines: ad ſecundum verò pertinent viſibilium omnium rationes, definitiones, & inuiſibilium inueſtigationes: ad tertium autem ſpectant ſpiritalium, ipſorum etiam diuinorum, comprehenſiones & contemplationes.* Hæc Richardus.

In his igitur tribus cælis, qui in ampliſſimo interioris hominis orbe latent, quorum anteà in alio propoſito meminerat ſanctus Auguſtinus 12. ſuper Geneſ. ad literam, tres Orationis infuſæ ſiue contemplationis gradus inferiùs lib. 2. 3. & 4. nobis erunt conſtituendi: ita vt quilibet in Deum optimum maximum, ſecundùm lucem minorem aut maiorem ab ipſo infuſam, celeri curſu ferantur.

Iuxta hanc cælorum tripartitam diuiſionem, triplicem Orationis ſiue cognitionis infuſæ gradum D. Bonauentura de Myſtic. Theol. cap. 3. part. 4. ex comparatione ad Solis radios conſtituit. *Sicut enim claritas Solis*, ait ille, *tribus modis percipitur; primò, in obiecto, vt in pariete, ligno, vel alio materiali obiecto, Sole inquam ſplendente ſuper aliquod horum; ſecundò,*

*cundò, in radiis ipſis ſolaribus exiſtentibus in aëre; tertiò in ſeipſo, id eſt in globo vel rota ſolari: ſic diuinæ lucis radij mentibus humanis tripliciter ſe manifeſtāt.* Quod etiam exemplo ignis Opuſc. 61. declarat D. Thomas, qui in materia terrea eſt carbo; in aërea, flamma; in propria ſphæra, ignis.

Vnde colligit idem S. Doctor, triplicem eſſe Dei cognitioné. Vna eſt, qua per ſpeculum creaturarum ſenſibilium ad cognitionem inuiſibilium aſcendimus. Alia, quæ intelligentiæ exercitio per immiſſionem ſpiritualium radiorum, docet primam cauſam perfectè cognoſcere, de qua D. Auguſt. in lib. de Magiſt. & ver. relig. ſæpè facit mentionem. Alia verò eſt iſtis multò excellentior per amorem ardentiſſimum vnitiuum, quæ actualiter, ſine omni medio animum diſponente, ardentiſſimè facit in dilectum ſuis extenſionibus ſurſum actiuis conſurgere, quæ myſtica Theologia ſiue conſurrectio per ignorantiam dicitur; quia remoto omnis imaginationis & rationis actu, per vnitionem ardentiſſimi amoris id ſentit in præſenti, quod intelligentia capere non ſufficit.

Hac triplici cognitione omnis quæ de Deo haberi poteſt cognitio comprehenditur, & ſecundùm quemlibet horum trium graduum ab Intellectu, ſiue Sapientiæ dono (ſi contemplatio ſit ſupernaturalis) prouenire debet: quia hæc dona humanam mentem diuinitus illuſtrant ad diuina conſpicienda, non ſolùm in rebus ſenſibilibus aut ſignis, qui eſt primus cognitionis gradus; aut in intelligibilibus formis, quibus Deus in attributis & perfectionibus diuinis, quales ſunt bonitas, ſapientia, iuſtitia, &c. cognoſcitur, quæ pertinent ad ſecundum; verùm etiam ad perfectiorem Dei cognitionem,

quæ

Digitized by Google

quæ per remotionem aut negationem dicitur, contemplando aſſurgimus; quæ myſtica Theologia, ſiue pura contemplatio in caligine vocatur, quæ ſupremum ſibi vendicat locum, vt pleniùs & latiùs lib. 4. edocebimus.

His igitur præmiſſis, iuxta triplex animæ cælum, & triplicem radiorum Solis lucem, nempe in obiecto materiali, in radiis ſolaribus, aut in ipſo globo cæleſti, triplicem etiam doni Intellectus ſeu Sapientiæ irradiationem ſiue gradum debemus diſtinguere.

Primò, quando Spiritus ſanctus hoc dono mentem illuſtrans facit eam contemplari ex creaturis ſenſibilibus Creatoris potentiam, ſapientiam, ac infinitam bonitatem. Nomine autem creaturarum intelligo omnia iſta ſenſibilia, quibus manu ducimur ad intuendas Dei mirabiles perfectiones, quales inquam ſunt, iſte mundus ſenſibilis, tam maior quàm minor, homo ſcilicet microcoſmos meritò nuncupatus, & omnia quæ in eo continentur; Scripturæ ſacræ, veritas incarnata, & alia ſimilia quæ corporalia ſunt, vel ad illa reducuntur. Iſte verò eſt infimus gradus doni Intellectus, & qui in imaginatione tamquam in primo cælo ſiue animæ regione præcipuè conſiſtit: quia ab his, quę imaginatio concipit, mens erigitur, & veluti gradibus ad ſuperiora conſcendit, de quo inferiùs lib. 2. pleniùs dicemus.

Secundò, medio Spiritus ſancti dono diuinus contemplationis radius in intellectu quaſi immediatè recipitur ac fulget, quo mens contemplantis, ſemotâ imaginationis manuductione ſuſpenſa, inuiſibilia & æterna contemplatur. Talia ſunt illa, quæ de diuinitatis natura, & illa ſimplicis eſſentiæ vnitate ac de beatiſſima Trinitate, fide credimus, & diuina-

uinarum Scripturarum auctoritate probamus. Et ſicut per ſolares radios in aëre reſplendentes oculus materialis ad Solis contemplationem erigitur: ſic oculus intellectualis per immiſſos radios à Sole iuſtitiæ, non per aliquam creaturam ſenſibilem, ſcientiam aut induſtriam humanam, ſed per fidei & intellectus radium ad ſupercæleſtium ſecretorum agnitionem eleuatur. Hinc B. Dionyſius ad Timotheum ſcribens ait: *Verte te ad diuinum radium.* quaſi diceret: Non quæras alium Doctorem, nec aliud exemplar aſſumas ad diuina percipienda; ſed te ipſum ingredere, & eleuando omnes vires tuas ſuper creata omnia, per radios tibi deſuper infuſos ad contemplationem diuinorum te extendas. Spectat verò etiam iſte cognitionis gradus ad donum Intellectus, in quantum per ipſum Deum in intelligibilibus & ſpiritualibus imaginibus ac ſpeciebus contemplamur, reſidetque in ſecundo cælo ſiue animæ regione.

Tertiò denique, claritas iſta, ſiue radius cæleſtis, contemplatiuorum mentibus ſe planiùs manifeſtat; quod dupliciter fieri contingit. Primò, Quando doni Intellectus illuſtratione ad puram Dei contemplationem ſine vlla ferè phantaſmatum admixtione ſublimamur, aut quando diuinam ingreſſi caliginem, Dei incomprehenſibilem lucem oculis caligantibus contemplamur. Secundò, Quando Deum per intimam, ineffabilem, & fruitiuam vnionem, animæ illapſum (quod numquam ſine ecſtaſi fieri contingit) eminentiori modo, quàm à creatura mortali concipi poſſit, intuemur. Quę Dei cognitio ſiue contemplatio omnibus aliis meritò à Myſticis iudicatur ſuperior ac nobilior: in ea enim, vt inferiùs latiùs annotabimus, huius vitæ felicitas ſita

eſt ac futuræ gloriæ inchoatio: ibi enim anima ingreſſa ipſam diuini ſolis ſphæram, non tam per ſolares radios menti immiſſos, quàm Deum in ſeipſo & per ſeipſum ſuauiter guſtare ac quaſi contrectare incipit. Hæc verò nobiliſſima & pura contemplatio in tertio cælo ac ſuprema animę regione cõuerſatur.

Hic igitur triplex gradus cognitionis, eſt illa via trium dierum in ſolitudinę, hæc triplex illuminatio vnius diei; & prima eſt ſicut veſper; ſecunda, ſicut manè; tertia, ſicut meridies. Hæc denique triplicem reſpicit rerum exiſtentiam, ſcilicet in materia ſenſibili, in intelligentia, & in eſſentia diuina.

Secundùm ergo triplicem doni Sapientiæ ſiue Intellectus gradum, nempe infimum, medium, & ſupremum, quorum primus ad imaginationem præcipuè, ſecundus ad intellectum, qui non ita purè veritates ac nudè contemplatur vt ſolet intelligentia, pertinet; tertius ac ſupremus in pura intelligentia, & mentis apice, quæ Deum oculo puro ac ſimplici ſine phantaſmatum incurſione, vel ſaltem tam parua ac tenui eorum expreſſione, vt percipi vix queat, recipitur; triplicem Orationis infuſæ ſiue contemplationis gradum diſtinximus.

Hic demum triplex Orationis infuſæ gradus, quorum primus à dono Sapientiæ ſiue Intellectus ſecundùm eius infimum gradum; ſecundus & tertius, qui ab eodem dono ſecundùm medium & ſupremum gradum procedunt, tres iuſtorum ſtatus, incipientium, proficientium, & perfectorum meritò complectitur. Sunt enim (vt inferiùs pleniùs annotabimus) in Oratione infuſa tres viæ ſupernaturales. In prima, quam purgatiuam ſupernaturalem vocamus, Incipientes. In ſecunda, quę illuminatiua ſupernaturalis dicitur, Proficientes. In tertia, quæ vni-

vnitiuæ ſupernaturalis nomen vendicat, Perfecti, quaſi veterani milites recenſentur. Ad hos tres ſtatus ſiue vias, Orationis infuſæ gradus omnis à nobis erit reducendus, & omnino diſtinguendus penes maiorem aut minorem diuini luminis participationem, hoc eſt penes infimum, medium, & ſupremum doni Sapientiæ ſiue Intellectus gradum.

Illud prætereà aduertere oportet, hîc nos indiſcriminatim loqui de dono Sapientiæ & Intellectus; primò, quia mens in hac infuſa Oratione, vt ad diuinorum ſaporoſam cognitionem aſſurgat, ab hoc nobiliſſimo Sapientiæ dono illuſtrari debet: quod quidem donum, vt ſuperiùs aduertimus, Intellectus donum includit. Prætereà, hoc Intellectus donum rarò ſine guſtu & ſapore, qui ad Sapientiam pertinent, inuenitur. Vnde horum donorum operationes inter ſe connexæ ferè ſemper inueniuntur.

## *De dono Conſilij & Scientiæ.*

§. 4.

CONSILIVM, prout donum Spiritus ſancti vocatur, eſt habitus ſupernaturalis à Spiritu ſancto infuſus, quo in operationibus noſtris mouemur ſecundùm conſilium Spiritus ſancti; id eſt, ſecundùm directionem eius, qua noſtra conſilia in finem vltimum dirigit; vel certè viciſſim præueniendo inſpirat. Quare iſtud Spiritus ſancti Conſilium mentem humanam reddit mobilem & expeditam, vt ſe ad Dei inſpirationes facilè accommodet, vt quid in vnaquaque re ad mentis puritatem ſeruandam & augendam, & quid agendum fugiendúmve, in particulari diſcernat. Nam, vt Sap. 9. dicitur, *quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore*, & quia *cogitationes mortalium timidæ* ſunt, *& incertæ prouidentiæ*

*noſtra*, propter innumerabilia contingentia, & ſingulares euentus, quæ paſſim poſſunt occurrere; ideò neceſſariò indiget homo Dei conſilio, quo ad finem vltimum ſeu vitam æternam in cunctis dirigatur. *Deus enim*, vt optimè D. Bonauentura lib. de Donis, cap. 2. de Conſilij dono docet, *liquidè & apertè, tamquam ille qui optimè omnia nouit, nos de ſingulis ad perfectionem ſpectantibus conſulit, & vires ad exequendum præbet.* Hæc ille. Imò & Deus frequentiſſimè iuſtum cum magna certitudine de ſingulis rebus ab ipſo peragendis erudit. Oportet autem, vt ad percipienda diuina conſilia omnino interiores ſimus, & vt in nobis diuina conſilia inſtillentur, ad Deum conuerſi, Spiritum intelligentiæ & lucis cum magna humilitate petamus, vt in nobis illud Eccleſiaſtici cap. 39. adimpleatur: *Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum: & ipſe tamquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino: & ipſe diriget conſilium eius, & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur.* Id eſt, ſemper Deum de rebus agendis, ſiue paruis ſiue magnis, conſulet, & Deus Spiritu intelligentiæ replebit illum. Et hæc de dono Conſilij. Reſtat vt de dono Scientiæ aliquid dicamus.

Donum Scientiæ eſt notitia à Spiritu ſancto intellectui infuſa credendorum, agendorum, vel dimittendorum, ita vt non deuiet homo à via iuſtitiæ: eſt enim Scientia hæc, ſupernaturalis quædam diſcretio, per quam edocemur exercere omnes virtutes morales in vera perfectione, dans veram cognitionem omnium virtutum. Eſt autem iſtud donum ad intellectum pertinens, & ad duo neceſſarium. Primò quidem, vt ſimilitudinibus proportionatis

res

res fidei per creaturas percipiat, nec in illis hærens, ad ipſum Deum contemplandum, & quaſi ex huiuſmodi inuolucris eruendum tranſcendat, inueſtigando. Secundò, vt ſupremam cuiuſque virtutis agnoſcat perfectionem, omneſque virtutes ac earum actus ſummopere æſtimet, illarumque exercitio ſtudiosè vacet, & ipſas non deſinat frequenti oratione poſtulare. Iſtud donum præcipuè illuſtrat & ordinat hominem exteriorem, ſicut donum Intellectus interiorem, quem etiam ad cęleſtia dirigit.

Huius doni effectus ſiue actus egregiè deſcribit Carthuſianus tract. 3. de Donis Spiritus ſancti, cap. 25. Primus intimuſque effectus huius doni eſt, Oſtendere ac erudire intellectum, quid de rebus creatis ſentire ſecundùm diuinæ legis ſeu fidei documenta debeat. Secundus doni huius effectus, Quòd facit abſtinere à malis, id eſt, in medio nationis prauæ atque peruerſæ laudabiliter verſari. Tertius eſt, Temporalium rerum adminiſtratio debita & efficax. Et hos duos effectus, inquit Carthuſianus, attribuit Auguſtinus, & poſt eum Magiſter, dono Scientiæ. Quartus eſt, Compendioſiorem & efficaciorem proficiendi viàm, & ſummam in cunctis agendis diſcretionem oſtendere; quam Scientiæ perfectionem adipiſcuntur, qui exercitatos habent ſenſus ad diſcernendum inter bonum & malum, qui cum Apoſtolo 2. Corinth. cap. 8. de hoſte antiquo dicere queunt: *Non ignoramus cogitationes eius.*

Pertinet etiam ad huius Scientiæ gradum, eodem Dionyſio auctore, eſſe in his quæ vitam actiuam ſpiritualem concernunt adeò exercitatum, expertum, atque perfectum, vt in omni tentatione ſciat conſulere aliis, in omni modo ſpiritualiter conuerſandi ſciat inſtruere alios, in omni quoque dubioſo

euentu perplexoque caſu ſciat veriſſimè, promptiſſimè, ac ſaluberrimè iudicare, cauſas peccatorum elicere, rationes negligentioris pigrioriſque vitæ diſſerere, ad temporalium contemptum inducere, ad ſerioſiſſimam atque infatigabilem ſpiritualium profectuum conuerſationem attendere. Et hæc de donis, quæ præcipuè mentem humanam ornant & eleuant ad Orationem infuſam & ſupernaturalem. Cetera verò dona potiùs actioni quàm mentis eleuationi deſeruiunt.

## CAPVT IV.

*Quotuplex ſit Oratio diuinitus infuſa; & de diſcrimine Orationis, quæ eſt donum Spiritus ſancti, ab aliis, quæ infuſæ etiam nuncupantur.*

TRIPLEX eſſe Orationis infuſæ genus, in Proœmio totius Operis prænotauimus. Aliud, quod à virtute morali infusâ religionis: aliud, quod à donis, ſiue à Spiritu ſancto, mediis habitibus donorum: tertium verò, quod non ab aliquo habitu, ſed potiùs immediatè ab ipſo Deo per modum actus dimanat; quod gratia gratis data meritò nuncupatur. Quæ non tam ex materia aut obiecto (nam omnia circa eamdem materiam & obiectum, nempe ipſum Deum verſantur,) quàm ex principiis, ſeu potiùs ex modo operandi ſeu tendendi in eum apertè diſtinguuntur. Nam quæ procedunt ab habitu religionis virtutis moralis infuſæ, & ſimiliter à virtutibus Theologicis, humano modo tendunt, ſcilicet per diſcurſum rationis, in proprium obiectum: Operationes verò, quæ à Spiritu

ſan-

ſancto mediis habitibus donorum procedunt, ſupra humanum modum diuina attingunt, vt ſuprà pleniùs diſſeruimus. Operatio verò diuina, quæ à Deo per modum actus tantùm animæ communicatur, & quæ gratia gratis data communiter appellatur, altiori & eminentiori modo ad cæleſtia capeſſenda ſubleuatur, vt lib. 6. de Contemplatione, in principio pleniùs declarauimus.

Ex quibus facilè conſtare poteſt, aliam eſſe Orationem infuſam, quam Spiritus ſanctus diuino & ſupernaturali modo in nobis operatur, ab aliquo inquam ex ſeptem Donis profluentem; aliam verò quæ humano modo, id eſt, per diſcurſum rationis, etiam cooperante gratiâ aliiſque virtutibus ſupernaturalibus, ab habitu virtutis religionis infuſo procedit; quæ quidem in ſuo ſenſu ſupernaturalis meritò poteſt & debet appellari: ſed quia ratio humana, etiam virtutibus Theologicis affecta & condecorata, humano modo mouetur, nempe per diſcurſum, ac propriâ induſtriâ innixa, aliam demum, quæ vſque ad ſummam gratiæ arcem ſubleuari ſolet. quæ quidem eſt omnino diuina.

Hoc triplex Orationis genus expreſſit D. Bonauentura Tom. 1. 5. p. Breuiloq. c. 4. 5. & 6. vbi explicans gradus fidei infuſæ, inquit, quòd Primus eſt, Credere ſimpliciter: ſecundus, Intelligere & penetrare credita: tertius, Videre intellecta. In primo gradu, inquit, reædificatur anima per virtutes morales & Theologales: in ſecundo, per habitus donorum redditur expedita: in tertio verò, per habitus beatitudinum dicitur videre intellecta, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Poſſumus deinde hunc triplicem Orationis infuſæ gradum ſequenti comparatione non incon-

gruè explicare. Si conſideremus, animam veram Chriſti ſponſam habere triplicem ornatum quo ſe exornet, vt ſponſi ſui oculis grata appareat. Primus eſt, qui ſibi datus eſt in ſubſidium ſiue dotem matrimonij cum ſponſo celebrandi, cuius quidem veram & legitimam, vt in propriis bonis, habet poſſeſſionem. Talis eſt gratia habitualis, virtutes cum illa infuſæ, & alia auxilia ſupernaturalia eidem gratiæ proportionata: cuius quidem ornatus cùm ſponſa plenum habeat dominium, poteſt, quoties voluerit, ſe illo ornare, & in dies ſingulos in conſpectu ſponſi pulchrior apparere. Horum monilium pretioſus ornatus comparari poteſt actibus orationis, à virtute religionis morali infuſa promanantibus, quibus quælibet iuſtorum anima ornata, poteſt quotidie Deo ſacrificium laudis, honoris, ac gratiarum actionis offerre, iuxta illud Pauli: *Semper gaudete, ſine intermiſsione orate.*

Alius tamen ornatus eſt longè nobilior in arca ſponſi incluſus, cuius quidem poſſeſſionem vel vſum liberum, licet non in principio ſponſationis, aliquando tamen, expertâ maiori ſponſæ fidelitate ac mentis puritate, indulgere ſponſus ſolet. Iſte ornatus meritò comparari poteſt Orationi infuſæ à Spiritus ſancti donis promanante, cuius exercitium & vſus liber licet in principio iuſtificationis (etiamſi dona tunc omnibus conferantur) non omnibus pleniùs permittatur; temporis tamen progreſſu, laborantibus, ac orationis & mortificationis ſtudio incumbentibus, à Deo habitualiter ac ferè liberè & plenè concedi ſolet.

Tertius demum ornatus (adhuc aliis duobus pretioſior) ſemper in ſponſi arca manet incluſus, de quo loquitur Iob cap. 36. dicens: *In manibus abſ-*

*con-*

Digitized by Google

*condit lucem, & præcipit ei vt rurſus adueniat*, &c. Hæ ſunt operationes gratiarum, quæ gratis datæ nuncupantur; quæ quidem animam in hoc genere Orationis infuſæ (de quo in præſenti loquimur) ſummopere ornant, eamque ad diuiniſſimas theorias ſubleuare ſolent. Ad hunc igitur ornatum nullus patet aditus, niſi ex mera ſponſi liberalitate arca reſeretur, & latentium in illa monilium vſus, ſponſæ, tranſeunter ac per modum actus tantùm, permittatur. Videnda ſunt alia, quæ libro 1. de Contemplatione, cap. 5. diſſeruimus, & quæ ſuperiùs, ſtatuentes inter Dona & virtutes diſcrimen, adduximus.

## CAPVT V.

*De triplici Orationis infuſæ gradu, nempe purgatiua, quæ incipientibus; illuminatiua, quæ proficientibus; vnitiua, quæ perfectis adaptari ſolet.*

COMMVNIS eſt Patrum ſententia, in Charitate, in qua Chriſtiana perfectio poſita eſt, tres gradus ſeu ſtatus diſtingui; incipientium, proficientium, & perfectorum. In primo ſtatu, quaſi tyronum agmen; in ſecundo, proficientes, quaſi tyrocinium prætergreſſi; in tertio perfecti, quaſi veterani milites recenſentur. Tria hæc agmina, quibus conſtat terribilis Eccleſiæ acies, meritò etiam Orationi mentali & infuſæ applicantur. Incipientes viam purgatiuam ſupernaturalem, proficientes illuminatiuam, perfecti vnitiuam ingrediuntur, habentque ſingulæ viæ ſiue ſtatus ſua peculiaria exercitia, quæ vnumquemq; à reliquis apertè ſeiungũt.

Incipientium enim Oratio in eo potiſſimùm verſatur, vt à peccato doceat recedere, & paſſionibus quæ illi obluctantur, validè repugnat. Quare non immeritò eorum inſtitutum, via purgatiua vocatur; quoniam ad peccatorum purgationem, & affectuum ordinationem deſtinatur. Vnde via purgatiua ſupernaturalis & infuſa in eo conſiſtit, vt incipientes peculiari Spiritus ſancti illuſtratione & motione purgentur à vitiis, animæque affectiones ſeu paſſiones reformentur, ita vt animæ caro promptè deſeruiat, rationique ſenſualitas pareat, atque diuinis mandatis volútas obediat. hoc autem aliud prorſus non arbitror, niſi ad originalis rectitudinem iuſtitiæ animam reformare atque reducere.

Proficientium verò ſtudium ad viam illuminatiuam ſpectat. Via autem illuminatiua in hoc conſiſtit, vt poſtquam anima à vitiis fuerit emundata, à paſſionum immoderantia reformata, à peccatorum reliquiis, quæ ſunt pronitas & inclinatio ad peccandum, defæcata, factaque capax illuſtrationis supernæ; fulgore contemplationis diuinitus infundatur, ac ad æternorum & diuinorum ſpeculationem ſubleuetur: in hoc enim ſtatu menti noſtræ ſummæ lucis ſplendor infulget atque irradiat, vt diuinæ ſapiẽtiæ particeps effecta, ea quæ fidei ſunt, medio intellectus dono, ſincerè intendat, ſubtiliter penetret, profundè concipiat, ac demum ea quæ fidem corroborant, articulorum quoque ipſius rationes nexum ac ordinem acie contempletur ſerenâ. Eſt enim hoc viæ illuminatiuæ proprium ſtudium, ſeu occupatio mentis, (vt rectè Dionyſius Carthuſianus de Fonte lucis, art. 8. ſcribit) circa contẽplanda ſublimia Dei, vt latiùs inferiùs in Tractatu viæ illuminatiuæ, ſiue libro tertio diſſeremus.

Per-

Perfectorum autem opus ad viam vnitiuam ſiue perfectiuam ſpectat. Perfecti quidem dicuntur, non qui ampliùs in ſpiritu perfici nequeunt, (hoc enim viatoribus repugnat;) ſed qui virtutibus moralibus & infuſis in optimo gradu comparatis, magnâ ſcilicet puritate mentis adeptâ, meritò ad oris oſculum ab ſponſo admittuntur. Via autem vnitiua, (vt idem Carthuſianus de Fonte lucis, cap. 12. adnotauit) eſt ſtudium, occupatio, ſeu actio. In hoc gradu in amorem transformatur agnitio, ipſaque Sapientiæ doni intuitio ſiue contemplatio in charitatis affectum reſoluitur, atque à ſemetipſa mens contemplatiua deficiens, ac à ſenſu abſtracta, ab intellectu ſuſpenſa, in amore liqueſcit & moritur.

Horum verò trium ſtatuum primus (vt diximus) purgat, ſecundus illuminat, tertius perficit; qui quidem ſunt tres actus Hierarchici, & Angelicæ Hierarchiæ familiares. Tres quippe, (vt Dionyſius ait) ſunt actiones Hierarchicæ, purgare, illuminare, & perficere. Et hæc quidem in cæleſti primò Hierarchia; hinc verò per imitationem in Eccleſiaſtica quoque Hierarchia reperiuntur; verumtamen diuerſimodè valdè: ſiquidem in cæleſtibus illis ordinibus non eſt purgatio ab immunditia aut culpa, ſed, vt Dionyſius docet, ab habitu diſſimilitudinis, minoratione que luminis. Itaque præinducta via triformi ad Angelicarum aſſimilationem operationum attollimur, & ad ipſarum vitæ huic poſſibilem conformitatem proficiſcimur atque leuamur. Omnem equidem mentem ſupernam Deus ſublimis & benedictus purgat, illuminat, & perficit, ſeu vnit; non tamen purgat (vt iam faſſus ſum) à culpa, neque illuſtrat ad fidem & ſpem, nec vnit ad charitatem ſuſpirantem, ſed feruentem atque completam: mens

mens verò viatrix proportionaliter purgatur à culpa, illuminatur in fide, perficiturque in dilectione tendente.

Sanctus Bonauentura 5.p.Breuiloq.cap.10.aſſignat tres operationes, quas charitas & gratia in anima iuxta hanc triplicem viam exercet. Primam nuncupat virtutis vigorem: ſecundam, veritatis ſplendorem: tertiam, charitatis ardorem. Prima operatio ſiue affectus eſt Virtutis vigor & energia, propterea quòd mediante vigore gratiæ, anima purgatur & emundatur à ſuis peccatis; quod ad viam purgatiuam pertinet: & quia ad hoc opus eſt dexterâ Excelſi, vocat hanc operationem virtutis vigorem. Veritatis ſplendor ſiue contemplatio, viæ illuminatiuæ attribuitur; quia, mediante peccatorum mortificatione, magnam lucem ad diuinorum cognitionem anima ſibi conciliat. Ardor denique charitatis ad viam vnitiuā ſpectat, in qua viâ tranſformatiui amoris, anima in Deum transformatur.

Purgatiuæ eſt, purgare ac perficere ſenſus; illuminatiuæ, rationem; vnitiuæ, ſpiritum ſeu mentem, quæ eſt ſuperior animæ pars. Primùm etenim à Deo purgatur ipſe ſenſus & pars inferior, quæ ſunt inſtar atrij & porticus ipſius animæ; inde ratio, quæ eſt murus ipſe & ciuitas; poſtremò intellectus & voluntas, quæ ſe habet tamquam Præſes & Regina, dominaque totius hominis. Hoc quoque pacto Deus dominiū adipiſcitur totius hominis eiuſque regni, elucidans & tergens tres haſce partes, quæ per iniquitatem fuerant inquinatæ. Vltimò iraſcibilis & concupiſcibilis etiam defæcantur per contemplationem omnipotentiæ & iuſtitiæ Dei quem offendit, & per ſtudium humiliationis propriæ, & contritionis de peccatis in eum commiſſis. Cete-

rùm,

rùm, potentia rationalis purior & luce plenior euadit conſiderando ſapientiam diuinam; voluntas verò, diligendo eius bonitatem : ſicque purgatiuæ correſpondet omnipotentia, illuminatiuæ ſapientia, vnitiuæ bonitas diuina.

Purgatiuæ munus eſt, per lacrymas & contritionem eliminare peccatum; itaque ſcopus eius eſt puritas animæ & integritas: illuminatiuæ, veritas & cognitio Dei: vnitiuæ autem, amor. Purgatiua appropriatur Deo Patri, cui etiam ſolet attribui poteſtas & iuſtitia: illuminatiua, Deo Filio, tum quia eſt Sapientia Patris, tum quia via hæc in imitatione Chriſti præſertim ſtabilita eſt: vnitiua Spiritui ſancto, cuius proprius effectus eſt, ardor & charitatis incendium. In purgatiua cognoſcit homo ſeipſum; in illuminatiua, Deum; in vnitiua ſtudet vnioni & transformationi in ipſum. Vniuerſa Orationis exercitia ad hæc tria puncta referuntur ſecundũ D. Bonauenturã de Paruo bono: quid ſit Deus, quid homo, & qualiter hæc duo ſint copulanda. Id eſt, quid eſt Deus, & quid ſum ego, & quomodo vnum quid efficiemur per amorem. Vbi pauculis verbulis Sanctus hic complexus eſt omnem viæ ſpiritualis ſubſtantiam.

Vbi aduerte, quòd etſi tres haſce vias penes tria diſtinguamus officia & exercitia, puritatis ſcilicet, lucis, & amoris; non id tamen eo ſenſu capiendum eſſe, quaſi in ſingulis viis ſingula aliarum exercitia & actus non exerceantur. Manifeſtum quippe eſt, in purgatiua non modò vigere dolorem & expurgationem peccatorum, ſed etiam notitiam veritatum, & Dei amorem: in illuminatiua ſimiliter non ſolùm lumen, ſed & purgationem ac diuinum amorem: at in vnitiua cumulatiùs multò hæc reperiri

atque

atque perfectiùs. Idcircò tamen vnicuique ſtatui ſuum deſtinamus ſpecialiter exercitium, vt compertum ſit, illud eſſe ipſi magis eſſentiale, cõgruentius, ac magis proprium, quodque plerumque ſubire eum oportet qui illum ſtatum tenet: quocircà in ſingulis viis & ſtatibus ſingula reliquarum exercitia includuntur. Enimuerò in vnaquaque reperire eſt purgationem, lucem, amorem; & quantò excellentior via eſt, tantò excellentiùs fiunt iſti actus. Verùm notandum, quòd in qualibet via ceterarum exercitia ordinari debeant conformiter ad ſpecialem ipſius ſcopum ſiue exercitium: vt verbi gratia, in purgatiua, lux & amor ad purgationem: in illuminatiua, amor & purgatio ad lucem, & virtutum exercitium: in vnitiua, puritas & lux ad amorem. ſicque in ſingulis ſtatibus datur principium, medium, & finis: id eſt, gradus maioris minoríſve perfectionis, vt clariùs patebit, cùm de cuiuſque viæ exercitiis differemus.

## CAPVT VI.

### *De ſubiecto, fine, materia ſiue obiecto Orationis infuſæ.*

CAVSAM Orationis infuſæ agentem, ipſum eſſe Spiritum ſanctum latè declarauimus; reſtat iam, vt ſubiectum, finem, ac Orationis infuſæ obiectum tradendum aggrediamur. Cùm Oratio infuſa & ſupernaturalis ſit aſcenſus ſiue eleuatio mentis in Deum, ei debitum cultum & reuerentiam exhibendo, vel eius bonitatem & maieſtatem intuendo ac contemplando; conſequens eſt, vt Oratio in intellectu tamquam in connaturali centro reſideat.

ſideat. Vnde quacumque acceptione Oratio ſumatur, ſiue pro petitione, ſiue pro mentis eleuatione, vt egregiè conſiderat D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 1. in corpore, ad intellectum pertinet.

Ita tamen Orationem infuſam in intellectu docemus conſiſtere, vt eam in voluntatem influere neceſſe ſit: nam, vt rectè docuit D. Thomas vt ſuprà, Oratio ſæpè à charitate imperatur, quamuis ipſa per ſe in intellectu ſubiectetur; quare Oratio, licet cauſam ſiue originem habeat in voluntate, ſcilicet Dei amorem, quo impellimur ad orandum ſiue petendum, effundendo corda noſtra coram ipſo Deo: propriè tamen Orationis actus ad intellectum ſpectat.

Pręcipuus Orationis finis, vt teſtatur D. Thomas loco ſuprà citato, eſt vnio animæ cum Deo; hoc eſt, noſtræ voluntatis cum diuina conformitas, ita vt vtriuſque voluntatis ſit vnum velle & nolle: Orationis verò diuinæ Spiritu ſancto agente mentibus noſtris infuſæ finis eſt, non quælibet vnio animæ cum Deo, ſed intima & transformatiua, & illa feliciſſima quæ eſt immediata animæ cum Deo, de qua inferiùs lib. 4. diſſeremus. Nam cùm hoc orandi genus ſit longè nobilius & diuinius alio orandi modo, qui à virtute religionis procedit; neceſſe eſt etiam vt ipſe finis ſit perfectior, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum vnionis, vt fuſiùs infrà libro 4. De hoc Orationis ſupernaturalis fine præclarè tractat S. Bonauentura Proceſſu 7. Religionis, cap. 15. in hæc verba: *Hac eſt hominis in hac vita ſublimior perfectio, ita inhærere Deo, vt tota anima cum omnibus potentiis ſuis & viribus in Deum collecta, vnus fiat Spiritus cum eo, vt nec meminerit, niſi Deum; nihil ſentiat vel intelligat, niſi Deum; &*

*omnes*

Digitized by Google

*omnes affectus in amoris gaudio vniti, in ſola Conditoris fruitione ſuaniter quieſcant. Imago enim Dei in anima & tribus eius potentiis expreſſa conſiſtit, ſcilicet in ratione, memoria, & voluntate. Quamdiu iſta non ſunt ex toto Deo impreſſa, non eſt anima Deiformis. Forma enim animæ, Deus eſt, cui debet imprimi ſicut ſigillo ſignatum. Hoc plenè numquam fit, niſi cùm ratio perfectè iuxta capacitatem ſuam illuminatur ad cognitionem Dei, qui eſt ſumma veritas; & voluntas perfectè afficitur ad amandam ſummam bonitatem, & memoria plenè abſorbetur ad intuendam & tenendam & fruendam ſummam felicitatem. Et quia in eorum conſummata adeptione conſtat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria; liquet, quòd iſtorum perfecta inchoatio, eſt perfectio viæ in hac vita. Quamuis autem omnes virtutum conatus ad hanc perfectionem tendere videantur, tamen ſpecialiter Orationis ſtudium ad hoc nititur, vt anima toto intellectu, & affectu, & memoria in Deum feratur; quia aliis poſtpoſitis, ſoli Deo anima inhærere deſiderat cum oratione. Vnde Orationis perfectio eſt, cùm id obtinet anima, ad quod orando tendit, vt tota ab infimis abſtracta, ſolùm vniatur diuinis, nec volens nec valens aliud ſentire niſi Deum. Ibi verò quieſcit anima, ibi deliciatur in ſplendore lucis, in amœnitate diuina dulcedinis, & in ſecuritate pacis. Hæc autem ſpiritualis amœnitas non poteſt per aliquas imaginabiles deſcribi ſimilitudines, nec per ſenſibilium depingi comparationes; quia purè ſpiritualia tantum differunt à ſenſibilibus, ſicut & ſpiritus à corpore.* Hucuſque Bonauentura. Et ibidem breuiùs in initio capitis, explicans finem Orationis, *Omnis*, inquit, *ergo Orationis fructus & finis eſt, Deo inhærere, & vnum cum Deo ſpiritum fieri per liquefactionem puriſſimi amoris, & ſpecu-*

*ſpeculationem ſereniſſimæ cognitionis, & abſconſionem in Dei vultu ab omni mundanorum ſtrepitu per exceſſum quietiſſimæ fruitionis, vbi omnes vires animæ & potentiæ à ſuis diſperſionibus ſimul collectæ, & in vnum verum, & ſimpliciſſimum, & ſummum bonum fixæ, in quamdam diuinæ conformationis & æternæ ſtabilitatis ſimilitudinem transformantur. Sunt autem quidam inferiores gradus quaſi ſcalares aſcenſus, quibus paulatim proficit anima, & illi fini appropinquat.* Hæc D. Bonauentura. Ad hanc verò arcanam & feliciſſimam vnionem conſequendam donum Orationis infuſæ animabus ſanctis Deus concedere ſolet.

Orationis infuſæ cauſam, ſubiectum, ac finem breuiter oſtendimus; reſtat vt de materia diſſeramus. Eſt enim Orationis infuſæ materia ampliſſima, quæ propter eius infinitam latitudinem, nullis ferè limitibus contineri poteſt. Loquimur nunc de Oratione ſecundùm eius latiſſimam acceptionem, vt comprehendit quemlibet mentis aſcenſum ſiue pium affectum in Deum; in qua quidem acceptione, infinita ferè ſunt, circa quæ Oratio diuina & infuſa verſari poteſt: huiuſmodi ſunt, Deus ipſe in ſeipſo, Chriſti vita, ac multiplex eius perfectio, vt bonitas, ſapientia, immenſitas, &c. ad quę etiam reduci poſſunt ea omnia, quæ ad Deum ipſum dirigi quoquomodò poſſunt. Sunt etiam aliæ innumeræ orandi formæ, quæ pro qualitate vitæ ac puritate cordis, Deus defæcatis mentibus infundit. Ac vt paucis immenſam hanc Orationis materiam explicem, ea omnia quæ ſub Pietatis & Conſilij, Intellectus aut Sapientiæ donis, imò & omnium donorum obiectis contineri queunt, ea inquam omnia Orationi infuſæ materiam præbent.

## CAPVT VII.

### *Quid ſit petitio, quam Deus animæ infundit, & quanta eius in impetrando efficacia.*

RESTAT iam, vt de Oratione infuſa in ea acceptione, qua pro petitione nuncupatur, diſſeramus. Eſt autem huiuſmodi Oratio ſpecialis Spiritus ſancti influxus, quo anima mirabiliter excitatur, vt fiducialiter petat, & efficaciter impetret à Deo quæ poſtulat. De hoc Orationis genere expreſſè loquitur Paulus ad Rom. 8 dicens: *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* id eſt, mouet nos ad poſtulandum ſicut oportet. id eſt, cum fiducia magna, ineffabilibus gemitibus, ac ceteris circumſtantiis ad impetrandum neceſſariis. Sic interpretantur hunc locum cõmuniter Patres. Hæc autem petitio numquam ſolet eſſe inanis & vacua, propter infinitam principij à quo procedit, quod eſt Spiritus ſanctus, dignitatem, cuius virtute cælos penetrat. Nam, vt benè S. Bernardus Serm. 59. in Cant. docet, *quomodo ſui Spiritus vocem irritam faciet Deus?* Cuius rei ratio eſt perſpicua: nam cùm Spiritus ſanctus ſit ipſamet increata Dei ſapientia, quotieſcumq; nos efficaciter mouet ad poſtulandum, certiſſimò nouit nos in tali oratione exaudiẽdos, ac demũ deſideriis noſtris ſatisfactum iri. Vnde fit vt excitet nos ad illa poſtulanda, quæ nobis per orationes noſtras donare decreuit. Hoc idem innuit idem Apoſtolus eodem cap. in his verbis: *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus.* Et reddit rationem, cùm ait: *Quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.* quia nimirum

mitum Spiritus per preces, quas ſanctis ſuggerit, illis poſtulat ea quæ ſunt ſecundùm Deum, quæque illi grata & accepta ſunt.

Et certè, ſi promiſſa Dei, tam multis ſacræ Scripturæ & Euangelij teſtimoniis nobis patefacta, tam variis parabolis inſinuata, tot ſimilitudinibus & figuris expreſſa, (vt ſcilicet petamus, & felicem eorum, quæ petimus confidenter, exitum expectemus) aliquando debent compleri; quonam tempore magis apto id fieri poteſt, quàm vbi ipſe Spiritus ſanctus poſtulat pro nobis: ſeu, quod idem eſt, facit vt velimus, & efficaciter petamus? Quis enim ſine ſpeciali Spiritus ſancti auxilio poterit confidenter preces ſuas tam immenſæ Maieſtati offerre? Quis ex ſe habebit fidem illam viuam, toties nobis in Sacris litteris commendatam, quâ certiſſimò credat ſe à Deo exaudiendum? Ac denique quis ceteras conditiones, ſine quibus oratio noſtra nequit eſſe efficax, & eorum quæ poſtulamus impetratoria, adiiciet, niſi is qui omnia poteſt? & ita gemitus ipſius inenarrabiles (de quibus loquitur S. Paulus) vel vt meliùs dicam, noſtri, quos ipſe in nobis cauſat, numquam poſſunt à Deo non exaudiri. Et hæc quidem oratio verè dicitur facta cum Spiritu, quia ipſius ſancti impulſu viuificatur, diuiniſſimo illius calore fouetur, ac ipſius Potentis dexteræ brachio ſuſtentatur. Orare enim in ſpiritu, nihil eſt aliud, quàm poſtulare gemitibus inenarrabilibus, cum affectuoſo cordis deſiderio, cum viua fide, ea quæ nobis ſuggerit Spiritus ſanctus. Hoc orandi modo vſa eſt Anna Samuelis mater 1. Reg. 1. quæ cùm eſſet amaro animo, orauit ad Dominum copiosè flens, & totaliter effundens in conſpectu illius animam ſuam, ita vt ex abundantiſſimo Spiritus ſancti



Digitized by Google

influxu extra ſe rapta tales geſtus externos eliceret, vt Heli ſummus Sacerdos exiſtimaret eam temulentam: nec omnino temerè, erat enim; ſed non ex hoc materiali, vt ipſe putabat, ſed ex fortiſſimo dulcedinis ſpiritualis muſto, quo ſolet Spiritus ſanctus fideles ſibi animas inebriare. Talis etiam fuit oratio Moyſis, quæ adeò erat feruens, vt contra ipſum met Deum præualeret, ac ferè ſemper ea quæ per eam poſcebat, obtineret. Quid dicam de oratione ſanctiſſimi Patris noſtri ac Prophetæ Eliæ, qui (vt habetur Iacobi 5.& 3.Reg.cap.17.& 18.) quando popoſcit à Deo, vt non plueret ſuper terram per tres annos, idque cum tanto ſpiritus feruore & efficacia præſtitit, vt omnia euenerint iuxta verbum illius. Cuius orationis efficaciam admiratus ſanctus Pater Chryſoſtomus Tom.1. Serm.2. de Elia, ſic inquit: *Stabat Elias medius inter Deum & populum, aduocationem populis cunctis praſtaturus. Coniungit Dominum populo, & Deo populum. Fit per Eliam vna concordia inter Deum & hominem, inter populum & genitorem, & vt vniuerſi dicerent: Verè Dominus Deus, ipſe eſt Deus. Clauis cæli fit ſermo Eliæ ſanctiſſimi. Iubet enim, & clauditur; orat poſtmodum, & aperitur. Claudit inquam cælum, & aperit; ligat, & ſoluit; reſerat quod concluſit, vt ſanctorum meritum monſtraretur non ſolùm in terris poſſe quod voluit, ſed & in cæleſtibus poſſe impetrare quodcumque petierit.* Hæc Chryſoſtomus.

Notandum eſt tamen, animas noſtras per mirabilem diuini huius Spiritus influxum non ſemper eumdem petendi modum ſeruare: aliquando enim infundit animæ feruentiſſima deſideria conſequendi ea, pro quibus Deum interpellet, ita vt moræ impatiens, ſemotis quibuſcumque rerum tempora-

lium

lium impedimentis, gemebundâ voce & multis ſuſpiriis clamet ad Deum, vt ea quæ ad ſuam vel proximorum ſalutem faciunt, concedat.

De his animæ ardentibus deſideriis loquitur Pſalmiſta: *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Nam cùm hæc præparatio ſit ipſe Spiritus ſanctus, qui talibus deſideriis animam diſponit; quoties tales diſpoſitiones inducit, toties etiam ea quæ petimus nobis liberaliter ſolet elargiri. Tunc verò dicimur petere deſideriis, quando in conſpectu Domini profuſis cordibus aliquod donum ſiue gratiam ardenter deſideramus. Deſideria namque ſunt in auribus Domini potentiſſimæ voces, illum ad exaudiendum nos excitantes. *Deſiderium tuum*, inquit S. Auguſtinus in Epiſtola ad Probam, *oratio tua: continuò deſideraſti, continuò oraſti.* Et idem Auguſtinus Epiſt. 121. cap. 9. *Quod ait Apoſtolus* 1. *Theſſal.* 5. *Sine intermiſsione orate, quid eſt aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſsione deſiderare. Ipſa ſitis terræ, quæ veluti aperitur vt aquam excipiat, vox eius eſt; & ipſa fames auicularum, quæ cibũ eſuriunt, clamor earum eſt.* Hic orandi modus verè non eſt aliud, quàm effundere cor vel animam in conſpectu Dei; ipſa enim petitio eſt quaſi quædam cordis deſideriorum expanſio. Ita Anna, poſtulato filio à Domino, inquit: *Effudi animam meam in conſpectu Domini.* & Dauid: *Effundite coram illo corda veſtra.*

Aliquando etiam (vt affirmat Caſſian. Collat. 9. cap. 14. 24. & 26.) *mouet Spiritus ſanctus animam adinſtar velociſsimæ ignis ardentis faculæ, per quam inflammata mens atque ſuccenſa, ad orationes puras ac feruentiſsimas modo quodam incomprehenſibili incita-*

*tur, & in inſtanti omnes ſua neceſsitates aliáque affe-ctus, qui aliàs per multum tempus ita coadunari ne-quirent, ſibi perfectiſsimè repræſentantur, & ita effun-dit in conſpectu Altiſsimi puriſsimam & odoriferam orationem ad omnia efficaciſsimam, quam Spiritus ſanctus, poſtulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus, tranſmittit ad Deum.*

*Interdum* (inquit Caſſianus) *anima in inſtanti ir-radiata lucidiſsimo Spiritus ſancti fulgore, ſe ad inte-riora cordis ſui recipit, internæ quieti vacans, in maxi-mo mundani tumultus ſilentio, cohibitis ſcilicet ad tempus ſenſuum & potentiarum operationibus; in hoc ſilentio deſideria ſua diuinæ maieſtati, mirabili modo pandens.*

Nonnumquã etiam videtur animæ ita oranti ſe à Deo benigniſſimè ſuſcipi, ſuaſq; preces per eum ex-audiri, idque aliquibus indiciis ſibi manifeſtari, ex quo magnam acquirit fiduciã, quæ ſolet eſſe (vt in-frà dicemus) euidens impetrationis argumentum.

Sunt alij Orationis modi, animabus noſtris per Spiritum ſanctum infuſi. Aliquando enim, vt docet Taulerus in Serm. S. Auguſtini, *quando homine ex toto cum Propheta ex ſolicitudine introuerſo, & ibi-dem manente, omníque cogitationum, formarum & imaginum ſedato tumultu, Deus & ſanctus Angelus repentè, velut in ictu oculi, amorem illi operantem in-ſpirant, mouentque illum ad orandum pro certa aliqua quam ſuggerunt cauſa, ſiue pro Eccleſia, ſiue pro vi-uis, ſiue pro defunctis. Hæc autem inſtar fulguris ei in mentem veniunt; facitque tunc Deus, tamquam illi oranti confeſtim diceret: Non opus eſt vt aliquid mihi dicas, ſcio quid velis, quid deſideres, & ſic eius deſide-rio ſatisfacit: hæc eſt oratio dilectiſsimi, quæ in Spiri-tu funditur.* Ita Taulerus.

Alius

Digitized by Google

Alius orandi modus eſſe ſolet, quando ſpiritus noſter ante Deum proſtratus, ab ipſo Spiritu ſancto quaſi impellitur, vt pro omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus vniuerſaliter, ſine vllo ad particulares perſonas aut neceſſitates deſcenſu, ardenter petat, adinſtar eius qui è ſupremo montis vertice ſimplici quodam aſpectu intuetur multitudinem hominum infrà ambulantium, neminem ſpeciatim proſpiciens aut diſcernens. Sunt enim ita animæ iuſtorum abſorptæ in profundiſſima Diuinitatis abyſſo, vt ſimpliciſſimo mentis intuitu omnes totius Eccleſiæ neceſſitates & miſerias perluſtrent, & hoc ſupernaturali Orationis modo diuinam maieſtatem pro illis interpellant.

Poſtremus tandem orandi modus eſt, quando videtur animæ feruenter oranti intra ſe reperiri Spiritum ſanctum vel Ieſum Chriſtum qui pro ſe loquatur,& apud Deum,quamuis ipſa ſileat,pro ſe interueniat: & per hanc orationem anima ex tam inuſitato rerum intra ſe geſtarum euentu tota in admirationem conuerſa ac confuſa,habet ſe quodammodò vt quid medium inter Patrem æternum & Ieſum Chriſtũ,vbi quodam modo ineffabili, quaſi in ſpeculo, repræſentantur ſibi omnia ſua deſideria ante Patris æterni conſpectum, ablatâ & ſeclusâ omni formidine,concipit ſpem certiſſimam ineffabiliter ſe ab eo exaudiendam. Quæ omnia,quia non ita benè explicari queunt, ſequenti patebunt exemplo.

Conſidera,obſecro,nutricem,cui à patre demandata eſt cura filij vnicè dilecti, quæ illum quandoque brachiis ſuis circumfert ante patris præſentiã, qui ad repentinum illius aſpectum totus amore flagrans in eius amplexus irruit, mille oſcula præbet,

& ſuauiſſimè in ipſo iucundatur: nutrix autem ex alia parte, ſummopere etiam ex tenerrimo patris in filiolum affectu delectatur, quippe quæ certò ſciat, ſe maximos ex illo patris in filium amore fructus reportaturam. Si autem poſteà contigerit, ipſam in aliquo patrem irritaſſe, & filius pro ipſa apud patrem intercedat; fieri nequit præ nimio eius in filium affectu, quin illi culpam remittat, & in omnibus morem gerat. Ex hac ſimilitudine colligi quoque poteſt, quid ſit Spiritum ſanctum poſtulare pro nobis. Nam cernens anima quantus ſit Patris æterni erga Filium amor, & ex alia parte quàm flebili voce & quantis gemitibus Filius in ara crucis Patrem pro ſeipſa interpellet; illius clamoribus confiſa conticeſcit, certiſſimò ſciens, eos plus apud Patrem poſſe, quàm petitiones ſuas.

## CAPVT VIII.

### *Fiduciam in petendo indicium eſſe exauditionis.*

HIc modus petendi per immediatam Spiritus ſancti motionem, de quo cap. præcedenti tractauimus, continet in ſe quamdam certitudinem & fidem viuam, quâ is qui orat, firmiſſimè credit Deum eſſe potentiſſimum, ſapientiſſimum, benigniſſimum, fideliſſimum, eumdemq; poſſe & velle facere ea pro quibus ipſum exorat, ex quo reſultat poſtulanti fiducia certiſſima, ſe à Deo in hac oratione exaudiendum.

Quanta verò ſit huius diuinæ fiduciæ vis & efficacia ad impetrandum, variis in locis docet ſacra Scriptura, vt Marc. 11. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia acci-*

*accipietis,& euenient vobis.* Iacobi 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, non æſtimet quòd accipiat aliquid à Domino.* Matth. 21. *Amen dico vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaueritis, ſi monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et illa fides toties in ſacris Scripturis inculcata, habet pro filia primogenita fiduciam: cuius (dummodò adſint aliæ conditiones à ſanctis Patribus requiſitæ) tanta eſt efficacia, vt infallibiliter impetret ea, pro quibus diuinæ miſericordiæ aures pulſamus. De hac loquitur S. Ioannes cap. 3. primæ ſuæ Epiſtolæ, cùm dicit: *Fiduciã habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.*

Hanc autem fidem, ſeu fiduciam, nemo ſine ſpeciali Spiritus ſancti auxilio habere poteſt, vt de facto nonnulli experiuntur, qui aliquando ſine vlla difficultate maximam fiduciam cõcipiunt, ſe à Deo exaudiendos pro aliqua re in oratione petita, quam tamen in alia vllo modo concipere nequeunt, etſi totis viribus in id incumbũt. Vnde patet, illam non eſſe in noſtra poteſtate, ſed eſſe donum Spiritus ſancti merè gratuitum, & priuilegium gratis conceſſum. Et cùm Deus vult noſtras petitiones exaudire, infundit nobis feruentiſſima petendi deſideria, fidem viuam, ac fiduciam certam; & ſic certiſſimò obtinemus ea pro quibus ipſum rogauimus. Quare vniuerſaliter ſancti Patres hanc fidem ſeu fiduciam (de qua ſuprà egimus) aſſerunt eſſe certiſſimum indicium futuræ impetrationis, vt benè aduertit Caſſianus Collat. 9. c. 31. his verbis: *Cùm orantes nos nulla interpellauerit hæſitatio, & fiduciam petitionis noſtræ quadam deſperatione deiecerit, ſed obtinuiſſe nos in ipſa orationis effuſione quod poſcimus*

*ſenſerimus, non ambigamus preces noſtras ad Deum efficaciter penetraſſe.*

Hoc etiam indicium confirmat S. Bonauentura de Proceſſ. Relig. Proceſſ. 7. cap. 19. dum inquit: *Eſt & alius modus reuelationum per Spiritum ſanctum, cùm homo ex Dei inſpiratione orat Deum pro aliqua ſpeciali cauſa propria, vel aliena, & per affectum deuotionis & fiduciam exauditionis intelligit ſe exauditum in hac petitione. Econtrariò, cùm non ſentit ſibi infundi fiduciam exauditionis, intelligit ſe non habiturum effectum ſuæ petitionis; licet non ſit in hoc omnino certus; quia neſcit an hoc ſit defectus deuotionis, vel indicium negatæ petitionis. In vtroque tamen aliquando quidam deuoti inueniuntur decepti: quia ſpiritus hominis, ex deſiderio rei quam diligit, cùm de illa ſtudioſè cogitat, hilareſcit, & etiam cùm in nulla priùs erat deuotione ad Deum, ita quòd aliquando pro deſiderio illius rei facilè prouocaretur ad lacrymas, maximè ſi eſt res, quæ ſpectat ad deuotionem qualemcumque; ſicut ſæpè etiam, cùm pro vana gloria quis optat gratiam benè prædicandi, vel prophetandi, vel miracula faciendi, vel aliud vnde mirandus videretur agendi; cor deluſum huiuſmodi phantaſmatibus hilareſcit, & in vanam affectionem pingueſcit. Quantò ergo magis cordis affectus exhilaratur, & deuotio afficitur in ſe, cùm cogitat & optat quod deſiderat, non ex lenitate vel vanitate, ſed ex maturitate & charitate, dum interim eſt in aliqua ſpiritus conſolatione, quæ facili occaſione poteſt per ampliora incitamenta deuotionis ſubleuari, tunc confidentia proprij ſpiritus loquitur, & putat loqui Spiritum ſanctum.* Hucuſque Bonauentura.

Ex hac ſancti Doctoris præclara ſententia videre licet, quàm ſit facile in hac re decipi, & quàm incerta

certa

certa ſit omnis huiuſmodi coniectura, ijs præſertim qui exiguam habent rerum ſpiritualium notitiam. Inſuper quàm multas technas nobis ordiatur vanitas, deuotionis tegumento palliata, dum nobis perſuadet, ardens deſiderium ortum ex infirmitate noſtra, à vera in Deum fiducia proficiſci.

Hæc autem vera fiducia oriri ſolet ex vehementi impulſu Dei, quo ad poſtulandum nos moueri ſentimus. Si enim liberaliſſimus Deus dare nollet quod petimus, numquam tantis gemitibus & ſuſpiriis, aut tanta fiducia ad petendum excitaret. Nam, vt rectè D. Paulus ad Rom. 8. *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis.* hoc eſt, quia Deus infundit nobis gemitus inenarrabiles, quibus ab ipſo nobis ſalutaria petamus; ideò Deus ſcrutator cordium approbat noſtram petitionem ab ipſo in nobis & per nos effuſam. Et Auguſtinus ait: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus inter nos petitor, & cum Patre dator, non vtique nos tantum hortaretur vt peteremus, niſi dare vellet; & cùm ille hac forti inſpiratione ad poſtulandum mouet, omnia ad obtinendum neceſſaria etiam donat.* Hinc tibi ſalutare conſilium colliges, cùm ſenſeris te ab Spiritu ſancto ſpeciali impulſu ad petendum moueri, nullatenus omittendam eſſe tibi ſimilem occaſionem, ſed inſtanter preces ad Deum effundas: nam, vt optimè Leo Papa ſcripſit, *Deus, quorum excitat mentes, adiuuat actiones.* Simili quidem Dei motione Iacob ad petendum excitatus, non ſolùm ab Angelo feruenter benedictionem poſtulabat, ſed quaſi ei vim inferens, ac cum eo luctans, ardenter expoſcebat. *Non dimittam*, aiebat, *niſi benedixeris mihi.* Ad quam verò luctam à Deo ipſo mouebatur, prouocabatur, ac quaſi diui-

diuinitus armabatur;ac demum hoc nouo pugnandi genere contra Deum in oratione præualuit. Similem vim Moyſis deprecatione ipſe Deus pati videbatur, cùm Exodi 32. quaſi vinctus clamabat: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus*. Sancta virgo Tereſia, vt in eius Vita Epiſcopus Tarazonenſis refert, cùm ſemel poſt Communionem coram cruenta Chriſti imagine fuiſſet genuflexa, ita aſpectu illius imaginis eius viſcera fuere commota, anteactæ vitæ propria peccata recolens, vt ſtatim diuino ac vehementi Spiritus ſancti impulſu tacta, feruentiſſimè ad Chriſtum ipſum pro vitæ & morum mutatione intimis ſuſpiriis ac gemitibus clamaret, dicens: Non diſcedam Domine ab hoc loco, niſi priùs mihi conceſſeris hanc, quam à te importunè poſtulo, gratiam. Nec quidem ſine fructu orauit: nam ſtatim ſenſit ex tenebris ſuperioris vitæ quaſi eripi, ac in nouam lucis regionem mirabiliter transferri.

Huiuſmodi prætereà orationibus Deum flecti, ac veluti cogi, docet Richardus in Cant. cap. 25 his verbis: *Anima talis* (loquitur de anima contemplatiua) *quædam poſtulata obtinet propter fidei ſuæ magnitudinem, quædam propter profundam humilitatem, quædam per importunitatem. Interdum deuotione & immenſi deſiderij feruore Deum cogit, interdum Deum flectit compoſitione verborum, & blanda ſiue cauta locutione; interdum oſtenſâ iuſtâ causâ miſerendi & ratione, ſuper aliquibus poſtulatis conſolationem accipit: ſuper aliquibus reuelationem, & nunc certam, nunc dubiam; interdum exauditam ſe intelligit, ſed modum neſcit*. Hæc ille. Ecce inter varias exauditionis cauſas ea annumeratur, quæ Deum ipſum cogit.

Quantò autem hæc fiducia eſt maior, tantò ſo-



Digitized by Google

let eſſe efficacior oratio. Nam, vt benè aduertit S. Thomas 2. 2. q.83. artic. 15. ad 2. & in 4. diſtinct. 15. q.4. art.7. in Oratione duplex valor reperitur. Primus eſt meritorius, qui in omni iuſtorum oratione locum habet, dummodò concurrant omnes conditiones ad meritum requiſitæ. Alius reſpicit id quod petitur; & iſte potiſſimùm fundatur in fiducia quam habemus nos fore à Deo exaudiendos; quæ quò maior eſt, eò maiorem tribuit orationi noſtræ efficaciam. Fiduciam autem comitari ſolent, Deo ſic agente, prærequiſita omnia quæ in oratione impetratoria à Patribus deſiderantur. Et quia fiducia eſt principalis conditio, & quæ alias ſub ſe videtur comprehendere, ideò fiduciæ Scriptura impetrationem attribuit. Prærequiſita autem ſunt, vt in primis is qui exaudiri cupit, petat ea quæ ſunt ſibi ad ſalutem neceſſaria, vel ad minus vtilia: deinde etiam, vt pro ſeipſo petat; nam oratio facta pro alio, non ſolet eſſe ita efficax & apta ad impetrandum, ſicut illa quæ pro ſeipſo fit: ac denique, vt perſeueranter petat.

Nonnumquam verò peccatores, quando orant, peculiariter mouentur à Spiritu ſancto ad fiducialiter & ſecundùm prædictas conditiones petēdum, & qui taliter petunt, infallibiliter exaudiuntur, vt multi ex ſanctis Patribus affirmant, inter quos D. Auguſtinus tract.44. in Ioan. & Epiſt. 105. contra Pelag. D. Thomas q.83. art.16. Caietanus ibidem. S. Bernardus Serm.4. de Quadrag. & lib. Sententiarum verſ. *Diximus de generibus affectionum.* Abulenſis in c.7. Matth. q.16. & 17. & alij plures. Clarius huius rei argumentum præbent Publicanus ille Euangelicus, bonus latro, Maria Magdalena, qui breuiſſima (efficaci tamen, vtpote per Spiritum

ritum ſanctum ſpecialiter infusâ) oratione fuerunt exauditi. Nam, vt S. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 18. in Matth. docuit, *quando Chriſtus dicit in Euangelio, Petite, & accipietis; indifferenter loquitur, tam de iuſtis, quàm peccatoribus*: Nam cùm impetratio fundetur in ſola Dei liberalitate & miſericordia, non autem iuſtitia, aut merito petentis, fit vt illa ſit communis iuſtis & iniuſtis.

Fatemur tamen, gratiam habitualem iuſtorum, per quam facti ſunt amici Dei, multum conferre vt illis frequentiùs hic modus orandi infundatur, & per illam diſponi paulatim ad recipiendam hanc Spiritus ſancti motionem; cuius beneficio fiducialiter petere poſſint ea quæ ſibi ſunt ad ſalutem vtilia; & hoc innuit Apoſtolus Rom. 8. cùm ait: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater:) ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Quare miracula, quæ quandoque tam iuſti quàm peccatores operantur, fiunt in virtute huius fidei viuæ, ſeu fiduciæ; vt apertè docet D. Thomas de Potent. q. 6. art. 9. Et aliquando Sancti diuinitus certi de actuali huius gratiæ ſeu doni particularis præſentia, vt ſcribit Gerſon de D. Bernardo, quem dicit diuinitus certioratum fuiſſe, quoties aliquod miraculum à ſe patrandum erat. Et nos idem iudicium ferre poſſumus de aliis Sanctis, quòd ſcilicet, priuſquam aliquod miraculum operarentur, aliquibus indiciis huiuſmodi gratiæ præſentiam agnoſcerent, & quaſi (vt ita dicam) palparent. Nam alioquin, quis non diceret Prophetam Eliam tentaſſe Deum, ſi ſine aliquali huius diuiniſſimi doni experientia, tam ſtupenda & inſolita à Deo fieri poſtulaſſet: vt quòd ignis de cælo deſcenderet, vt non plueret per tot

annos

annos ſuper terram: quod non ſolùm Eliæ, ſed infinitis propemodum exemplis è Scriptura allatis verificari poſſet.

Hæc Oratio, quam fides illa viua comitatur, eſt gratia gratis data, & particulare Spiritus ſancti donum, ab homine, quantumuis iuſto, omnino independens: nam ſi in illius poſitum eſſet poteſtate, infallibiliter & ſemper per orationem impetraret ea quæ vellet. Et de hoc loquitur Auguſtinus Ep. 105. contra Pelagium, & alij Sancti, quando dicunt Orationem eſſe gratiam gratis datam. Neque enim poteſt dici hæc diuina Spiritus ſancti motio (quam fides illa viua ſeu fiducia comitari ſolet) à libero hominis arbitrio dependere, cùm quotidie videamus quamplurimos in gratia conſtitutos, multis laboribus & ordinariis gratiæ auxiliis nequiiſſe actus harum virtutum elicere, cùm tamen facillimè alios reliquarum virtutum, etiam ſupernaturales & eminentiſſimos, eliciant.

Neque oportet vt deterreantur iuſtorum aut peccatorum mentes à petitione, eò quòd iſtam diuini Spiritus motionem aut fiduciam non ſentiant; quia licet non ſemper adſit iuſtis iſta peculiaris gratia, adeſt tamē habitus virtutis religionis, quo excitantur, non ſine ſpeciali Dei auxilio, ad orandum. Et licet interdum non experiantur in ſe illam ſingularem fiduciā, quæ ab Spiritus ſancti motione procedit, obtinent nihilominùs aliquando ea quæ petūt, licet non ita infallibiliter, ſicut illi qui hac Spiritus ſancti peculiari motione excitantur: ſupplet enim Deus aliquando aliquam ex conditionibus ad orationē prærequiſitis, ac ſua infinitâ miſericordiâ noſtras petitiones benignè ſuſcipit: nam & Act. 11. legimus, Deum exaudiſſe Cornelium antequam fidem

dem explicitam,& veram Domini noſtri Ieſu Chriſti notitiam fuiſſet adeptus. Conſtat igitur,non minùs peccatores quàm iuſtos aliquando exaudiri, etiamſi aliqua illarum conditionum, quæ à Patribus deſiderantur,careant. Pręterea,petitio,in iuſtis maximè, eſt ſemper meritoria, ac eis vtiliſſima, cùm per illam actus virtutis nobiliſſimæ, ſcilicet religionis, & aliarum quæ illam comitantur,eliciant. Imò paulatim per continuum petitionis exercitium, ad recipiendum hoc ſupernaturale Spiritus ſancti donum magis diſponuntur.

Quare ſi non ſenſerimus in nobis illam exauditionis fiduciam,ſed potiùs cor noſtrum adhuc peccatorum ſpinâ compunctum, in orando hæſitet; non ideò frangamur: nam quàm plures ſunt aliæ exauditionis cauſæ, vt pleniùs Caſſianus Collat. 9. cap. 34. proſequitur, vbi enumeratis aliquibus exauditionum cauſis, vltimo loco importunitatem & perſeuerantiam in petendo ſequentibus verbis proponit. *Videtis ergo*, inquit, *quot modis obtineatur exauditionis gratia, vt nullus ad impetranda ea quæ ſalutaria ſunt & æterna, conſcientia ſua deſperatione frangatur. Vt enim miſeriarum noſtrarum contemplatione concedamus, nos omnibus illis, quas ſuprà memorauimus, penitùs deſtitutos eſſe virtutibus, & nec illam nos habere laudabilem duorum conſenſionem, nec illam fidem grano ſinapis comparatam, nec illa pietatis opera quæ Propheta deſcribit: tamen vel importunitatem, quæ omni volenti ſuppeditat, habere poſſumus: per quam etiam ſolam daturum ſe Dominus quidquid oratus fuerit, repromittit. Et idcircò abſque hæſitationis infidelitate precibus inſiſtendum eſt, obtenturoſque nos earum iugitate cuncta, quæ ſecundùm Deum popoſcerimus, minimè dubitandum. Hortatur enim nos Domi-*

*Dominus, volens ea quæ ſunt æterna cæleſtiaque præſtare, vt eum importunitate noſtra quodammodò coarctemus, qui importunos non modò non deſpicit nec refutat, ſed etiam inuitat & laudat, eiſque præſtiturum, quidquid perſeueranter petierint, benigniſſimè pollicetur, dicens: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Et iterùm: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis, & nihil impoſſibile erit vobis. Idcircò, ſi cuncta nos exauditionum, quas prædiximus, cauſæ omnino deficiunt, ſaltem animet importunitatis inſtantia, quæ abſque vlla vel meriti vel laboris difficultate, in cuiuſcumque volentis ſita eſt poteſtate; pro certo autem non exaudiendum ſe ſupplicans quiſque non dubitet, cùm ſe dubitauerit exaudiri. Quòd autem infatigabiliter Domino ſupplicandum ſit, etiam illo beati Danielis docemur exemplo, qui exauditus à prima die qua cœpit orare, poſt primam & vigeſimam diem conſequitur ſuæ petitionis effectum. Vnde nos quoque non debemus à cœpta orationum noſtrarum intentione ceſſare, ſi nos exaudiri tardiùs ſenſerimus; ne fortè aut exauditionis gratia diſpenſatione Domini vtiliter differatur: aut Angelus diuinum ad nos beneficium delaturus à facie Omnipotentis egreſſus, reſiſtente diabolo demoretur, quem certum eſt tranſmiſſum à nobis deſiderium inferre non poſſe, niſi nos à propoſita petitionis intentione ceſſare repererit: quod etiam ſupradicto Prophetæ proculdubio accidere potuiſſet, niſi virtute incomparabili in primum atque vigeſimum diem orationum ſuarum perſeuerantiam protelaſſet. Ab huius igitur fidei confidentia nulla penitùs deſperatione frangamur, cùm orationem noſtram nos obtinuiſſe minimè ſenſerimus; nec hæſitemus ſuper Domini ſponſione,*



Digitized by Google

*omnino inueſtigabiles viæ eius, vnde adeſſe norim. Viuum & efficax eſt, moxque vt intus venit, expergeſecit dormitantem animam meam: mouit, & molliuit, vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, & malè ſanum; cœpit quoque euellere & deſtruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, nec non & mittere praua in directa, & aſpera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Hæc Bernardus. Ex quibus facile eſt intelligere effectus orationis ſupernaturalis, omnes quidem dimanantes ab iſta motione Spiritus ſancti, quam hîc S. Bernardus vocat viſitationem ſponſi.

Non minùs eruditè explicat S. Auguſtinus quaſdam alias proprietates & effectus, quos in nobis producit Dominus ſuo ad animas noſtras deſcenſu. *Quis mihi dabit* (inquit lib. 1. Confeſſ. cap. 5.) *acquieſcere in te? Quis mihi dabit vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te?* Et lib. 8. cap. 4. clamat: *Age Domine, & fac, excita & reuoca nos, accende & rape, flagra, dulceſce; iam amemus, & curramus.* Ac denique lib. 10. cap. 27. ſic ait: *Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam; fragraſti, & duxiſti ſpiritum, & anhelo tibi; guſtaui, & eſurio, & ſitio; tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam.*

Sanctus demum Gregorius Homil. 14. in Ezechielem, loquẽs de effectibus contemplationis, quę eſt præcipua pars huius Orationis, ſic ait: *Contemplatiua vita, amabilis valdè dulcedo eſt, quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cæleſtia aperit; terrena autem debere eſſe contemptui oſtendit, & ſpiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abſcondit.*

Hos

Digitized by Google

Hos & plures alios enumerant SS. Patres Orationis à Deo infuſæ effectus, qui breuitatis gratia ad tres principaliores reduci queunt. Primus eſt, Mirabilis ſplendor lucis intellectũ diuinitus illuſtrans. Hunc quidem lucis ſplendorem operantur quatuor illa Spiritus ſancti præcipua Dona, quæ intellectum exornant. Primum & potiſſimum eſt Sapientiæ donum, vt eo præditi, ſapidam rerum ſublimium cognitionem aſſequamur. Prætereà donum Scientiæ, pro rebus inferioris ordinis diſcernendis. Donum Intellectus, vt oculis pluſquam lynceis diuina myſteria, ac eorum conuenientiã pulchritudinemque intueri ac contemplari poſſimus. Donum demum Conſilij, quo inter varias rerũ difficultates, animiq; perplexitates, ea quæ nobis agenda ſunt eligere ac diſcernere valeamus. Hæc autem plena & mirabilis lux, præcipuus eſt Spiritus ſancti effectus: in hunc enim finem miſſus eſt à Patre, vt nobis & veram lucem & doctrinam ſalutarem ſuo ſplendore & illuminatione edoceret. Hoc enim eſt quod olim per Iſaiam Prophetam cap. 58. animabus iuſtis Dominus promiſerat. *Et implebit*, inquit, *Dominus ſplendoribus animam tuam, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*

Omnes iſti diuini radij à gratiæ ſplendore procedentes, vnctio in Scriptura meritò vocantur. Quare quemadmodum oleum inter omnes liquores aptiſſimum eſt ad conſeruandum lumen, & ad curanda vulnera; ita diuina hæc vnctio, & noſtræ voluntatis medetur plagis, & tenebras intellectus noſtri illuminat. Illud eſt oleum, iſtud pretioſiſſimum omni balſamo præſtantius, de quo dicit Propheta Regius Pſalmo 25. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Certum eſt eum hîc locutum non de capite, nec de oleo ma-

*ſenſerimus, non ambigamus preces noſtras ad Deum efficaciter penetraſſe.*

Hoc etiam indicium confirmat S. Bonauentura de Proceſſ. Relig. Proceſſ. 7. cap. 19. dum inquit: *Eſt & alius modus reuelationum per Spiritum ſanctum, cùm homo ex Dei inſpiratione orat Deum pro aliqua ſpeciali cauſa propria, vel aliena, & per affectum deuotionis & fiduciam exauditionis intelligit ſe exauditum in hac petitione. Econtrariò, cùm non ſentit ſibi infundi fiduciam exauditionis, intelligit ſe non habiturum effectum ſuæ petitionis; licet non ſit in hoc omnino certus; quia neſcit an hoc ſit defectus deuotionis, vel indicium negatæ petitionis. In vtroque tamen aliquando quidam deuoti inueniuntur decepti: quia ſpiritus hominis, ex deſiderio rei quam diligit, cùm de illa ſtudioſè cogitat, hilareſcit, & etiam cùm in nulla priùs erat deuotione ad Deum, ita quòd aliquando pro deſiderio illius rei facilè prouocaretur ad lacrymas, maximè ſi eſt res, quæ ſpectat ad deuotionem qualemcumque; ſicut ſæpè etiam, cùm pro vana gloria quis optat gratiam benè prædicandi, vel prophetandi, vel miracula faciendi, vel aliud vnde mirandus videretur agendi; cor deluſum huiuſmodi phantaſmatibus hilareſcit, & in vanam affectionem pingueſcit. Quantò ergo magis cordis affectus exhilaratur, & deuotio afficitur in ſe, cùm cogitat & optat quod deſiderat, non ex leuitate vel vanitate, ſed ex maturitate & charitate, dum interim eſt in aliqua ſpiritus conſolatione, quæ facili occaſione poteſt per ampliora incitamenta deuotionis ſubleuari, tunc confidentia proprij ſpiritus loquitur, & putat loqui Spiritum ſanctum.* Hucuſque Bonauentura.

Ex hac ſancti Doctoris præclara ſententia videre licet, quàm ſit facile in hac re decipi, & quàm incerta



Digitized by Google

ta ſit omnis huiuſmodi coniectura, ijs præſertim
exiguam habent rerum ſpiritualium notitiam,
uper quàm multas technas nobis ordiatur vani-
, deuotionis tegumento palliata, dum nobis per-
det, ardens deſiderium ortum ex infirmitate no-
ı, à vera in Deum fiducia proficiſci.
Hæc autem vera fiducia oriri ſolet ex vehementi
pulſu Dei, quo ad poſtulandum nos moueri ſen-
ıus. Si enim liberaliſſimus Deus dare nollet
od petimus, numquam tantis gemitibus & ſuſpi-
s, aut tanta fiducia ad petendum excitaret. Nam,
rectè D. Paulus ad Rom. 8. *Qui autem ſcrutatur*
*da, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm*
*eum poſtulat pro ſanctis.* hoc eſt, quia Deus in-
ndit nobis gemitus inenarrabiles, quibus ab ipſo
ıbis ſalutaria petamus; ideò Deus ſcrutator cor-
um approbat noſtram petitionem ab ipſo in nobis
per nos effuſam. Et Auguſtinus ait: *Dominus*
*ſter Ieſus Chriſtus inter nos petitor, & cum Patre*
*tor, non vtique nos tantum hortaretur vt petere-*
*us, niſi dare vellet; & cùm ille hac forti inſpiratione*
*l poſtulandum mouet, omnia ad obtinendum neceſſa-*
*ı etiam donat.* Hinc tibi ſalutare conſilium colli-
's, cùm ſenſeris te ab Spiritu ſancto ſpeciali im-
ılſu ad petendum moueri, nullatenus omitten-
ım eſſe tibi ſimilem occaſionem, ſed inſtanter pre-
:s ad Deum effundas: nam, vt optimè Leo Papa
ripſit, *Deus, quorum excitat mentes, adiuuat actio-*
*s.* Simili quidem Dei motione Iacob ad peten-
ım excitatus, non ſolùm ab Angelo feruenter be-
:dictionem poſtulabat, ſed quaſi ei vim inferens,
: cum eo luctans, ardenter expoſcebat. *Non dimit-*
*m,* aiebat, *niſi benedixeris mihi.* Ad quam verò lu-
am à Deo ipſo mouebatur, prouocabatur, ac quaſi
diui-

diuinitus armabatur; ac demum hoc nouo pugnandi genere contra Deum in oratione præualuit. Similem vim Moyſis deprecatione ipſe Deus pati videbatur, cùm Exodi 32. quaſi vinctus clamabat: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus.* Sancta virgo Teresia, vt in eius Vita Epiſcopus Tarazonenſis refert, cùm ſemel poſt Communionem coram cruenta Chriſti imagine fuiſſet genuflexa, ita aſpectu illius imaginis eius viſcera fuere commota, anteactæ vitæ propria peccata recolens, vt ſtatim diuino ac vehementi Spiritus ſancti impulſu tacta, feruentiſſimè ad Chriſtum ipſum pro vitæ & morum mutatione intimis ſuſpiriis ac gemitibus clamaret, dicens: Non diſcedam Domine ab hoc loco, niſi priùs mihi conceſſeris hanc, quam à te importunè poſtulo, gratiam. Nec quidem ſine fructu orauit: nam ſtatim ſenſit ex tenebris ſuperioris vitæ quaſi eripi, ac in nouam lucis regionem mirabiliter transferri.

Huiuſmodi prætereà orationibus Deum flecti, ac veluti cogi, docet Richardus in Cant. cap. 25 his verbis: *Anima talis* (loquitur de anima contemplatiua) *quædam poſtulata obtinet propter fidei ſuæ magnitudinem, quædam propter profundam humilitatem, quædam per importunitatem. Interdum deuotione & immenſi deſiderij feruore Deum cogit, interdum Deum flectit compoſitione verborum, & blanda ſiue cauta locutione; interdum oſtenſâ iuſtâ cauſâ miſerendi & ratione, ſuper aliquibus poſtulatis conſolationem accipit: ſuper aliquibus reuelationem, & nunc certam, nunc dubiam; interdum exauditam ſe intelligit, ſed modum neſcit.* Hæc ille. Ecce inter varias exauditionis cauſas ea annumeratur, quæ Deum ipſum cogit.

Quantò autem hæc fiducia eſt maior, tantò ſolet

eſſe efficacior oratio. Nam, vt benè aduertit Thomas 2. 2. q.83. artic. 15. ad 2. & in 4. diſt. 15.q.4.art.7. in Oratione duplex valor reperitur. Primus eſt meritorius, qui in omni iuſtorum oratione locum habet, dummodò concurrant omnes conditiones ad meritum requiſitæ. Alius reſpicit id quod petitur; & iſte potiſſimùm fundatur in fiducia quam habemus nos fore à Deo exaudiendos; quæ quò maior eſt, eò maiorem tribuit orationi noſtræ efficaciam. Fiduciam autem comitari ſolent, Deo ſic agente, prærequiſita omnia quæ in oratione impetratoria à Patribus deſiderantur. Et quia fiducia eſt principalis conditio, & quæ alias in ſe videtur comprehendere, ideò fiduciæ Scriptura impetrationem attribuit. Prærequiſita autem ſunt, vt in primis is qui exaudiri cupit, petat ea quæ ſunt ſibi ad ſalutem neceſſaria, vel ad minus vtilia: deinde etiam, vt pro ſeipſo petat; nam oratio facta pro alio, non ſolet eſſe ita efficax & apta ad impetrandum, ſicut illa quæ pro ſeipſo fit: ac denique, vt perſeueranter petat.

Nonnumquam verò peccatores, quando orant, peculiariter mouentur à Spiritu ſancto ad fiducialiter & ſecundùm prædictas conditiones petẽdum, & qui taliter petunt, infallibiliter exaudiuntur, vt multi ex ſanctis Patribus affirmant, inter quos Auguſtinus tract.44.in Ioan. & Epiſt.105. contra Pelag. D. Thomas q.83.art.16. Caietanus ibidem. S. Bernardus Serm.4.de Quadrag.& lib.Sententiarum verſ. *Diximus de generibus affectionum.* Tolenſis in c.7.Matth.q.16.& 17. & alij plures. Clarius huius rei argumentum præbent Publicanus ille Euangelicus, bonus latro, Maria Magdalena, qui breuiſſima (efficaci tamen, vtpote per Spiritum

ritum ſanctum ſpecialiter infusâ) oratione fuerunt exauditi. Nam, vt S. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 18. in Matth. docuit, *quando Chriſtus dicit in Euangelio, Petite, & accipietis; indifferenter loquitur, tam de iuſtis, quàm peccatoribus*: Nam cùm impetratio fundetur in ſola Dei liberalitate & miſericordia, non autem iuſtitia, aut merito petentis, fit vt illa ſit communis iuſtis & iniuſtis.

Fatemur tamen, gratiam habitualem iuſtorum, per quam facti ſunt amici Dei, multum conferre vt illis frequentiùs hic modus orandi infundatur, & per illam diſponi paulatim ad recipiendam hanc Spiritus ſancti motionem, cuius beneficio fiducialiter petere poſſint ea quæ ſibi ſunt ad ſalutem vtilia; & hoc innuit Apoſtolus Rom. 8. cùm ait: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater:) ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Quare miracula, quæ quandoque tam iuſti quàm peccatores operantur, fiunt in virtute huius fidei viuæ, ſeu fiduciæ; vt apertè docet D. Thomas de Potent. q. 6. art. 9. Et aliquando Sancti diuinitus certi de actuali huius gratiæ ſeu doni particularis præſentia, vt ſcribit Gerſon de D. Bernardo, quem dicit diuinitus certioratum fuiſſe, quoties aliquod miraculum à ſe patrandum erat. Et nos idem iudicium ferre poſſumus de aliis Sanctis, quòd ſcilicet, priuſquam aliquod miraculum operarentur, aliquibus indiciis huiuſmodi gratiæ præſentiam agnoſcerent, & quaſi (vt ita dicam) palparent. Nam alioquin, quis non diceret Prophetam Eliam tentaſſe Deum, ſi ſine aliquali huius diuiniſſimi doni experientia, tam ſtupenda & inſolita à Deo fieri poſtulaſſet: vt quòd ignis de cælo deſcenderet, vt non plueret per tot

annos

Digitized by Google

nnos ſuper terram: quod non ſolùm Eliæ, ſed in-
nitis propemodum exemplis è Scriptura allatis
erificari poſſet.

Hæc Oratio, quam fides illa viua comitatur, eſt
ratia gratis data, & particulare Spiritus ſancti do-
um, ab homine, quantumuis iuſto, omnino inde-
endens: nam ſi in illius poſitum eſſet poteſtate, in-
allibiliter & ſemper per orationem impetraret ea
uæ vellet. Et de hoc loquitur Auguſtinus Ep. 105.
ontra Pelagium, & alij Sancti, quando dicunt
Orationem eſſe gratiam gratis datam. Neque enim
oteſt dici hæc diuina Spiritus ſancti motio (quam
ides illa viua ſeu fiducia comitari ſolet) à libero
ominis arbitrio dependere, cùm quotidie videa-
nus quamplurimos in gratia conſtitutos, multis la-
oribus & ordinariis gratiæ auxiliis nequiiſſe actus
arum virtutum elicere, cùm tamen facillimè alios
eliquarum virtutum, etiam ſupernaturales & emi-
entiſſimos, eliciant.

Neque oportet vt deterreantur iuſtorum aut pec-
atorum mentes à petitione, eò quòd iſtam diuini
piritus motionem aut fiduciam non ſentiant; quia
cet non ſemper adſit iuſtis iſta peculiaris gratia,
deſt tamē habitus virtutis religionis, quo excitan-
ır, non ſine ſpeciali Dei auxilio, ad orandum. Et
cet interdum non experiantur in ſe illam ſingula-
em fiduciā, quæ ab Spiritus ſancti motione proce-
it, obtinent nihilominùs aliquando ea quæ petūt,
cet non ita infallibiliter, ſicut illi qui hac Spiritus
ncti peculiari motione excitantur: ſupplet enim
Deus aliquando aliquam ex conditionibus ad ora-
onē prærequiſitis, ac ſua infinitâ miſericordiâ no-
ras petitiones benignè ſuſcipit: nam & Act. 11. le-
imus, Deum exaudiſſe Cornelium antequam fi-
dem

dem explicitam, & veram Domini noſtri Ieſu Chriſti notitiam fuiſſet adeptus. Conſtat igitur, non minùs peccatores quàm iuſtos aliquando exaudiri, etiamſi aliqua illarum conditionum, quæ à Patribus deſiderantur, careant. Prętereà, petitio, in iuſtis maximè, eſt ſemper meritoria, ac eis vtiliſſima, cùm per illam actus virtutis nobiliſſimæ, ſcilicet religionis, & aliarum quæ illam comitantur, eliciant. Imò paulatim per continuum petitionis exercitium, ad recipiendum hoc ſupernaturale Spiritus ſancti donum magis diſponuntur.

Quare ſi non ſenſerimus in nobis illam exauditionis fiduciam, ſed potiùs cor noſtrum adhuc peccatorum ſpinâ compunctum, in orando hæſitet; non ideò frangamur: nam quàm plures ſunt aliæ exauditionis cauſæ, vt pleniùs Caſſianus Collat. 9. cap. 34. proſequitur, vbi enumeratis aliquibus exauditionum cauſis, vltimo loco importunitatem & perſeuerantiam in petendo ſequentibus verbis proponit. *Videtis ergo*, inquit, *quot modis obtineatur exauditionis gratia, vt nullus ad impetranda ea quæ ſalutaria ſunt & æterna, conſcientia ſua deſperatione frangatur. Vt enim miſeriarum noſtrarum contemplatione concedamus, nos omnibus illis, quas ſuprà memorauimus, penitùs deſtitutos eſſe virtutibus, & nec illam nos habere laudabilem duorum conſenſionem, nec illam fidem grano ſinapis comparatam, nec illa pietatis opera quæ Propheta deſcribit: tamen vel importunitatem, quæ omni volenti ſuppeditat, habere poſſumus: per quam etiam ſolam daturum ſe Dominus quidquid oratus fuerit, repromittit. Et idcircò abſque hæſitationis infidelitate precibus inſiſtendum eſt, obtenturoſque nos earum iugitate cuncta, quæ ſecundùm Deum popoſcerimus, minimè dubitandum. Hortatur enim nos*

*Domi-*

*Dominus, volens ea quæ ſunt æterna cæleſtiaque præ-ſtare, vt eum importunitate noſtra quodammodò coar-ctemus, qui importunos non modò non deſpicit nec refu-tat, ſed etiam inuitat & laudat, eiſque præſtiturum, quidquid perſeueranter petierint, benigniſſimè polli-cetur, dicens: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis: omnis enim qui petit acci-pit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Et rurſùm: *Omnia quæcumque petieritis in oratione cre-dentes, accipietis, & nihil impoßibile erit vobis. Idcir-cò, ſi cunctæ nos exauditionum, quas prædiximus, cauſæ omnino deficiunt, ſaltem animet importunitatis inſtan-tia, quæ abſque vlla vel meriti vel laboris difficultate, in cuiuſcumque volentis ſita eſt poteſtate; pro certo autem non exaudiendum ſe ſupplicans quiſque non dubitet, cùm ſe dubitauerit exaudiri. Quod autem in-fatigabiliter Domino ſupplicandum ſit, etiam illo beati Danielis docemur exemplo, qui exauditus à prima die qua cœpit orare, poſt primam & vigeſimam diem con-ſequitur ſuæ petitionis effectum. Vnde nos quoque non debemus à cœpta orationum noſtrarum intentione ceſſare, ſi nos exaudiri tardiùs ſenſerimus; ne fortè aut exauditionis gratia diſpenſatione Domini vtiliter dif-feratur: aut Angelus diuinum ad nos beneficium de-laturus à facie Omnipotentis egreſſus, reſiſtente dia-bolo demoretur, quem certum eſt tranſmiſſum à nobis deſiderium inferre non poſſe, niſi nos à propoſita peti-tionis intentione ceſſare repererit: quod etiam ſupradi-cto Prophetæ proculdubio accidere potuiſſet, niſi vir-tute incomparabili in primum atque vigeſimum diem orationum ſuarum perſeuerantiam protelaſſet. Ab-ſtius igitur fidei confidentia nulla penitùs deſpera-tione frangamur, cùm orationem noſtram nos obtinuiſſe minimè ſenſerimus; nec hæſitemus ſuper Domini ſpon-*

*ſione, dicentis: Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis Retractare namque nos conuenit illam beati Ioannis Euangeliſtæ ſententiam, qua ambiguitas huius quæſtionis euidenter abſoluitur. Hæc eſt, inquit, fiducia quam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus ſecundùm voluntatē eius, audit nos. Ergo ſuper his tantùm plenam nos & indubitabilem iuſsit exauditionis habere fiduciam, quæ non noſtris commodis, nec ſolatiis temporalibus, ſed Domini congruunt voluntati.*

Has quoque varias exauditionum cauſas ſuperiùs ex venerabili Richardo expoſuimus. Quare optimè D. Bernardus Serm. 5. Quadrag. in hoc propoſito docuit, nullam ferè orationem fieri ſine fructu. *Nemo,* inquit, *Fratres, veſtrûm paruipendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quia ipſe ad quem oramus non paruipendit eam: priuſquam egreſſa ſit ab ore noſtro, ipſe ſcribi iubet eam in libro ſuo: & vnum indubitanter è duobus ſperare poſſumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nouerit nobis eſſe vtilius. Nos enim quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed miſeretur ille ſuper ignorantiam noſtram, & orationem benignè ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt vtile, aut non tam citò dari neceſſe eſt, minimè tribuit, oratio tamen infructuoſa non erit.* Hæc ille.

Complent denique iuſti per hanc orationem præceptum Dominicum, quo omnes orare iubemur; non vt ſemper obtineamus ea quæ petimus, ſed vt petamus: nam cùm Deus paterna habeat viſcera, numquam poſtulationes noſtras inanes ſinit abire: quæ cùm fiduciæ illi, de qua ſumus locuti, innituntur, infallibiliter exaudiuntur à Deo; ſi verò illa deſit, licet non infallibiliter, ſæpè tamen pro Dei benignitate & miſericordia exaudiuntur.

CA-

## CAPVT IX.

### *Effectus Orationis diuinæ & ſupernaturalis.*

SANCTVS Bernardus variis locis ſuauiſſimè (vt ſolet) nonnullos effectus explicat, quos in ani-
nabus noſtris producit intimus ille Spiritus ſancti
nfluxus & præſentia, quam hìc nomine Orationis
nfuſæ ſupernaturalis intelligimus, præcipuè tamen
erm.66. in Cant. his verbis: *Si ſenſero aperiri mi-
i ſenſum, vt intelligam Scripturas, aut ſermonem
apientiæ quaſi ebullire ex intimis, aut infuſo lumine
eſuper reuelari myſteria, aut certè expandi mihi
uoddam largiſſimum cæli gremium, & vberiores de
urſum influere animo meditationum imbres; non am-
igo Verbum adeſſe. Verbi ſiquidem hæc copiæ ſunt, &
e plenitudine eius iſta accipimus.* Et infrà: *Quanta
utas ex hac manſione inter animam & Verbum fami-
aritatis gratia oriatur? quanta de familiaritate fi-
ucia? non eſt, vt opinor, quòd iam talis anima dicere
ereatur: Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et ne puta-
emus hanc Verbi præſentiam eſſe continuam, au-
i eumdem Bernardum Serm.74. in Cant. dicen-
em: *Dicamus Verbum Dei Deum, ſponſum animæ,
rout vult venire ad animam, & iterùm dimittere
am, tantùm vt ſenſu animæ, non Verbi motu iſta fieri
ntiamus. Verbi cauſa, cùm ſentit gratiam, agnoſcit
ræſentiam; cùm non, abſentiam: quæritur, & rurſum
ræſentiam quærit.* Et infrà: *It, & redit pro benepla-
to ſuo, quaſi viſitans dilucùlò, & ſubitò probans il-
am. & per huiuſmodi viciſsitudines euntis & redeun-
s Verbi, experitur anima in ſe fieri, quod dicit:*
oan. 14.) *Vado, & venio ad vos, & alibi: Modicũ &
on videbitis me; & iterùm modicum, & videbitis me:*
Ioã. 16.) Et paulò inferiùs: *Quæris igitur, cũ ita ſint*



Digitized by Google

*omnino inueſtigabiles viæ eius, vnde adeſſe norim. Viuum & efficax eſt, moxque vt intus venit, expergeſecit dormitantem animam meam: mouit, & molliuit, vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, & malè ſanum; cœpit quoque euellere & deſtruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, nec non & mittere praua in directa, & aſpera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.* Hæc Bernardus. Ex quibus facile eſt intelligere effectus orationis ſupernaturalis, omnes quidem dimanantes ab iſta motione Spiritus ſancti, quam hîc S. Bernardus vocat viſitationem ſponſi.

Non minùs eruditè explicat S. Auguſtinus quaſdam alias proprietates & effectus, quos in nobis producit Dominus ſuo ad animas noſtras deſcenſu. *Quis mihi dabit* (inquit lib. 1. Confeſſ. cap. 5.) *acquieſcere in te? Quis mihi dabit vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum amplectar te?* Et lib. 8. cap 4. clamat: *Age Domine, & fac, excita & reuoca nos, accende & cape, flagra, dulceſce; iam amemus, & curramus.* Ac denique lib. 10. cap. 27. ſic ait: *Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam; fragraſti, & duxiſti ſpiritum, & anhelo tibi; guſtaui, & eſurio, & ſitio; tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam.*

Sanctus demum Gregorius Homil. 14. in Ezechielem, loquẽs de effectibus contemplationis, quę eſt præcipua pars huius Orationis, ſic ait: *Contemplatiua vita, amabilis valdè dulcedo eſt, quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cæleſtia aperit; terrena autem debere eſſe contemptui oſtendit, & ſpiritualia mentis oculis patefacit, corporalia abſcondit.*

Hos

Hos & plures alios enumerant SS. Patres Orationis à Deo infuſæ effectus, qui breuitatis gratia ad res principaliores reduci queunt. Primus eſt, Mirabilis ſplendor lucis intellectũ diuinitus illuſtrans. Hunc quidem lucis ſplendorem operantur quatuor illa Spiritus ſancti præcipua Dona, quæ intellectum exornant. Primum & potiſſimum eſt Sapientiæ donum, vt eo præditi, ſapidam rerum ſublimium cognitionem aſſequamur. Præterea donum Scientiæ, pro rebus inferioris ordinis diſcernendis. Donum intellectus, vt oculis pluſquam lynceis diuina myſteria, ac eorum conuenientiã pulchritudinemque intueri ac contemplari poſſimus. Donum demum Conſilij, quo inter varias rerũ difficultates, animiq; perplexitates, ea quæ nobis agenda ſunt eligere ac diſcernere valeamus. Hæc autem plena & mirabilis lux, præcipuus eſt Spiritus ſancti effectus: in hunc enim finem miſſus eſt à Patre, vt nobis & veram lucem & doctrinam ſalutarem ſuo ſplendore & illuminatione edoceret. Hoc enim eſt quod olim per Iſaiam Prophetam cap. 58. animabus iuſtis Dominus promiſerat. *Et implebit*, inquit, *Dominus ſplendoribus animam tuam, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*

Omnes iſti diuini radij à gratiæ ſplendore procedentes, vnctio in Scriptura meritò vocantur. Quare quemadmodum oleum inter omnes liquores aptiſſimum eſt ad conſeruandum lumen, & ad curanda vulnera; ita diuina hæc vnctio, & noſtræ voluntatis medetur plagis, & tenebras intellectus noſtri illuminat. Illud eſt oleum, iſtud pretioſiſſimum omni balſamo præſtantius, de quo dicit Propheta Regius Pſalmo 25. *Impinguaſti in oleo caput meum.* Certum eſt eum hîc locutum non de capite, nec de oleo ma-

teriali, ſed de capite ſpirituali, parte ſcilicet animæ noſtræ ſuperiori, in qua eſt noſter intellectus; & de oleo ſpirituali, quod eſt lumen Spiritus ſancti, quo conſeruatur lampas noſtra ne extinguatur.

Hi autem ſplendores, quibus Deus implet animas iuſtorum, ſunt profundæ & ſublimes rerum ſalutarium cogitationes, quibus ab eo mirificè inſtruuntur, quàm infinita ſit Dei bonitas ac pulchritudo, quàm abominanda peccati turpitudo, quanta ſit in mundo vanitas, qualis ſit huius vitæ breuitas ac incertitudo; ac denique multiplex errorum, in quibus mortales verſantur ferè omnes, numerus.

Per hanc cognitionẽ, ſiue diuinum ſplendorem, vt ait Iſaias Propheta cap. 33. facit eos (id eſt, iuſtorũ defæcatas mentes) in excelſis habitare, & exinde Regem in decore ſuo vident oculi eorum, cernentes terram de longè. Per hanc lucem res diuinas, eo modo quo ſunt, vtpote ſibi propinquas contemplantur; res verò terrenæ videntur ipſis exiguæ, quia vltra earum paruitatem procul & de longè illas intuentur. Per hanc clariſſimè intelligunt, quàm parum aut nihil ſit omne quod dare poteſt mundus, reſpectu eorum quæ præparauit Deus diligentibus ſe: ac proinde mirum non eſt, ſi huius beneficio nec in proſperis nimiùm efferantur, nec in aduerſis nimiùm deprimantur. Illa tamen lucis ac ſapientiæ illuſtratio nequit ita eſſe continua, quin irruentibus quandoque nubeculis offuſcetur. In manibus enim abſcondit lucem Dominus quando vult, & præcipit ei rurſus vt adueniat: Iob c. 36. Nec etiam æqualiter omnibus affulget, minùs quidem in principio, quàm in fine: nam quò magis depuratur anima, eò etiam magis illuſtrari ſolet, iuxta illud Sapientis, Prouerb. 4. *Iuſtorum autem ſemita,*

*quaſi*

*quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectam diem.* Creſcit itaque ſemper, donec aſpiret dies illa perfecta, æternę ſcilicet beatitudinis ac beatæ æternitatis, in qua videbimus ipſum Deum facie ad faciem ſicuti eſt. Iſta lux non tantùm illuſtrat intellectum, ſed & voluntatem ſuo fulgore irradiat, idemque Spiritus qui in intellectu eſt lux, in voluntate eſt amor & delectatio, quæ modo quodam mirabili accendit & exhilarat corda eorum quos ſic viſitat.

Secundus autem poſt hanc lucem effectus eſt, Amor & feruens quoddam deſiderium conformandi ſe in omnibus diuinæ voluntati. De quo, quamquam multa dicenda forent, ſufficiet tamen pro nunc afferre ea quæ habet S. Bernardus Ser. 57. in Cant. vbi explicans amoris effectus, ac alias operationes quas in nobis producit Spiritus ſanctus, huius infuſæ Orationis auctor & magiſter, ſic ſcribit: *Si vero non ſolum compungeris in ſermone illo, ſed & conuerteris totus ad Dominum, iurans & ſtatuens cuſtodire iudicia iuſtitiæ eius; etiam adeſſe ipſum iam noueris; præſertim ſi te inardeſcere ſentias amore eius. Etenim vtrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipſum præcedere, & ipſum nihilominus ignem eſſe. Moyſes ſiquidem de illo dicit, quia Deus ignis conſumens eſt. Differunt autem, quod is qui præmittitur ignis ardorem habet, ſed non amorem; coquens, ſed non excoquens; mouens, nec promouens: tantùm ad excitandum præmittitur, & præparandum, ſimulque ad commonendum quid ex te ſis, quò dulcius ſapiat poſtmodum quid ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus eſt, conſumit quidem, ſed non affligit; ardet ſuauiter, deſolatur feliciter: eſt enim carbo deſolatorius, ſed qui ſic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat*

*vnctionis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præſentem intellige; nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hac mutatio dextera Excelſi niſi in feruore Spiritus, & in charitate non ficta, ita vt dicat, qui huiuſmodi eſt: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Hucuſque S. Bernardus.

Tertius effectus eſt, Gaudium ſpirituale, ſeu conſolationis diuinæ, ſuauitatis abundantia: de quo multa poſſent à nobis adduci, quæ inferiùs ſuis locis inſerentur. Interim tamen de hac ſuauitate ſub olei nomine D. Cyprianum diſſerentem de Card. operib. Chriſti, tit. De vnctione chriſmatis, audiamus. *Ex huius vnctionis,* inquit, *beneficio, & Sapientia nobis & Intellectus diuinitus datur, Conſilium & Fortitudo cælitus illabitur, Scientia, & Pietas, & Timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo vncti cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc oleum à creditorum vſuris ſub Eliſeo Propheta mulierem pauperculam liberauit. Hoc Eliæ tempore Sareptanam pauit, nec lecythus trina effuſione defecit. Hoc oleo Iacob lapidem, quem ſuppoſuerat capiti, vnxit, & familiari mandato eruditus inter ſacramenta aſcenſionum & deſcenſionum, & diſcurſus Angelicos, innixum ſcala ſublimi videns Deum, quid virtutis hac haberet vnctio intellexit. Moyſes hoc oleo tabernaculum & ſacra vaſa perunxit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, vt vſque in barbam eius deſcenderet, & ſuper oram veſtimenti manaret. Samuel quoque ad Reges initiandos ſine oleo non accedit.* Hæc ille.

Bona autem quamplurima hæc diuina ſuauitas præ ſe fert, quæ ſapienter D. Bonauentura Proceſſ.

ceſſ. 3. Relig. expoſuit, dicens: *Primò enim memoriam ſanctis cogitationibus imbuit, & in recordatione Dei ſtabilitatem impertit, omnem euagationem excludit, corporales imaginationes expellit, perfectam obliuionem rerum mundanarum immittit, & quaſi vnum ſpiritum nos cum Deo facit. Secundò, intellectum ad intelligentiam Dei, & eorum quæ ipſius ſunt, & ad eum conſequendum conferunt, luce perfundit: Dei beneplacitum illi patefacit, inter virtutes ac vitia diſcernere docet; vias virtutum, & remedia vitiorum ad propriam meditantis vtilitatem detegit, admirationem ſapientiæ, bonitatis, & potentiæ Dei, & aliarum perfectionum in diuinis operibus elucentium infert, & circa quamcumque rem, quam recogitet, lucidiſſima cogitatione replet. Tertiò, voluntatem ſanctis & deuotis erga Deum & multiplicibus affectionibus perficit, fiduciam erigit, charitatem adauget, deſiderium Deo in omnibus placendi & bonam voluntatem ingerit, mentis alacritatem tribuit, ſpe remiſſionis peccatorum & aſſequendæ ſalutis exhilarat, amore erga Chriſti humanitatem & compaſſione dolorum ipſius emollit, deſiderio regni cæleſtis, confidentiâ exauditionis, & affectu diuinæ familiaritatis ditat, & ad amorem proximorum, odium vitiorum, ſtudium virtutum, & curam bonarum actionum inflammat. Quartò, corpus ipſum componit, ab impuris motibus eripit, ad ſeruiendum ſpiritui promptum reddit, quod ſpiritui obedit in omnibus bonis, & non recalcitrat, nec ſi exerceatur obmurmurat. Facilè ſuſtinet ſi ad laborem inſtigetur, ne torpeat; ſi caſtigetur, ne inſoleſcat; ſi parcè ſuſtentetur, ne laſciuiat. Tandem hæc ſuauitas dat homini conſolationem in bonis operibus, licet laborioſis de ſe, & in conſideratione diuinorum, & in reliquis exercitationibus ſpiritualibus, ita vt iſta illi ſatisfaciant, & inuti-*

 lis

*lis ipſe quietem & animi ſerenitatem, in aliis verò quibuſcumque rebus ab ſpiritu alienis, quaſi tribulos & ſpinas inueniat.* Hæc ille.

Huius demum ſuauitatis beneficio virtutes augentur, opera noſtra perficiuntur, & cum delectatione à nobis fiunt, & tota anima mirabili lætitia & exultatione repletur. Hæc autem delectatio non ſemper eſt perceptibilis, quia non ſemper eſt ſenſibilis; ſed eſt verum ſpiritualeque gaudium, ſeu guſtus voluntatis, quo in rebus ſpiritualibus atque in bonis operibus, vt in proprio centro requieſcit.

Præterea, guſtus iſte, ſiue gaudium ſpirituale, eſt quidem Spiritus ſancti fructus; *fructus enim Spiritus*, vt ait Paulus ad Galat. 5. *eſt charitas, gaudium, pax*, &c. ita vt ratione ipſius vocetur Paracletus, id eſt, conſolator: eſt enim proprium Spiritus ſancti officium, conſolari animas, & varia illis diuinarum rerum delectamenta præparare, quorum ſuauitate allecti, ſine difficultate reliquas rerum temporalium delectationes faſtidire poſſint. Nam, vt Bernardus ait, per orationem bibit anima de illo vino quod lætificat cor hominis, & taliter illud inebriat, quòd rerum omnium obliuiſcatur. Hoc autem vinum conſolationis, quod in reliqua ſpiritualia animæ membra influit, quo fides roboratur, ſpes confortatur, charitas inflammatur, aliæ virtutes augentur, nihil eſt aliud, quàm deuotio ſupernaturalis, quam ſacra Scriptura vnctionem vocat, per quam Spiritus ſanctus adinſtar ſuauiſſimi liquoris diffundit ſe in omnes animæ potentias, ac illas vndequaque penetrat & attingit, cauſando in illis nouam facilitatem ac promptitudinem circa res Dei ſeruitio deſtinatas.

Hæc magna deuotionis gratia quandoque ad

tem-

tempus communicatur animabus iuſtorum, quandoque etiam & ad tempus diſtrahitur; ad cuius abſentiam redduntur inertes, & ſibimetipſis ſicut plumbum graues, & aridi ſicut terra ſine aqua inter medios æſtiui ſolis ardores, in maxima ſpiritus afflictione & paupertate, quam egregiè explicat idem Bernardus Serm. 54. in Cant. his verbis: *Dominus declinauit in ira a ſeruo ſuo: hinc iſta ſterilitas animæ meæ & deuotionis inopia quam patior; nec compungi ad lacrymas queo, tanta eſt duritia cordis. Non ſapit Pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non inuenio. Vbi illa inebriatio ſpiritus? vbi mentis ſerenitas, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto? Ideò ad opus manuum piger, ad vigilias ſomnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, ſegnior obtuſiorque ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo viſitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Omnes conſidero feruentes, omnes deuotos, omnes in Chriſto vnanimes, omnes donis cæleſtibus & gratia affluentes, tamquam ſpirituales reuera montes qui à Domino viſitantur. Ego autem, qui horum in me inuenio nihil, quid me aliud putem, quàm vnum de montibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione ſua ille cæterorum omnium benigniſſimus viſitator.* Hæc Bernardus. Per quæ, ſicut per abſentiam ſolis, cognoſcuntur lucis proprietates quibus priuamur, optimè declarantur effectus gratiæ & conſolationis diuinæ.

Numquam dicendi finis eſſet, ſi particulares huius Orationis effectus ſigillatim recenſere vellemus: eſſet enim idem, ac velle declarare omne id, quod cauſat Spiritus ſanctus in animabus noſtris ſuo ad illas deſcenſu. Et ſic pro vltimo illius effectu addamus quamdam hominis interioris renouationem,

nem, inſignem in omnibus virtutibus progreſſum, omnimodam paſſionum mortificationem, ac denique totius animæ iuſtificationem. Omnes hos effectus, & alios quos in nobis producit Deus ſua viſitatione, breuiter & eruditè expreſſit venerabilis Richardus in Cant. cap. 5. his verbis: *Sponſo præſente innouatur anima, & quaſi ei adhærens ſentit interni guſtus dulcedinem, intelligentiam ſpiritualem, fidei illuminationem, ſpei augmentum, charitatis incentiuum, compaſſionis affectum, iuſtitiæ zelum, delectationem virtutum: habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri ſe ſentiens, plurimumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, & interdum conueniens. Hac gratiâ illuſtrata, incipit tenebras cordis ſui videre, ſeipſam cognoſcere, diſcernere qualiter ſe vitia ſub ſpecie virtutum occultent, vel ſe illis occultè ſocient. Oritur enim in mente noua dies poſt noctem ignorantiæ, & fit diluculum quo ſurgit ad offerendum holocauſtum contritionis pro ſingulis virtutibus, ne fortaſſis fuerint imperfectæ.* Hucuſque Richardus, qui paucis verbis attigit præcipuos & magis ſubſtantiales Orationis ſupernaturalis effectus.

Hi ſunt effectus Orationis ſupernaturalis à Spiritu ſancto animabus iuſtorum infuſi, ex quibus facilè cognoſci poteſt præſentia Spiritus ſancti, & quales ac quænam ſint illius operationes. Eſt enim proprium illius officium (vt ex dictis patet) accendere animam, omnem ab illa priſtinæ tepiditatis languorum excutere, illam mouere, cordis illius duritiam emollire, & amoris diuini iaculo vulnerare, paſſionum ac prauorum habituum radices eradicare, nouos virtutum ſurculos illorum loco inſerere, abun-

abundantiſſimum deuotionis rorem ſecum afferre, quo dilatatur & mirificè recreatur anima. Ad illius præſentiam diſparent omnia ariditatum nubila. Lux eſt in tenebris, ſcrutatur abſcondita cordis: accendit quod eſt frigidum, inflectit quod eſt rigidum, & animam omneſque illius potentias totaliter ad Deum Creatorem ſuum conuertit. Quando ergo hos aut ſimiles effectus experitur anima in ſeipſa, præcipuè tamen, ſi (vt ait S. Bernardus Serm. 57. in Cant.) iam emundata ac ſerenata conſcientia ſequatur ſubita quædam ac inſolita latitudo mentis, & infuſio luminis illuminantis intellectum, vel ad ſcientiam Scripturarum, vel ad myſteriorum notitiam; tunc poſſumus credere, in nobis operari Spiritum ſanctum hos mirabiles orationis ſupernaturalis effectus: qui quidem, quantò altior & ſublimior eſt Spiritus ſancti motio, tantò vberiores ſunt & altiores lucis amoris & ineffabilis ſuauitatis diuini influxus, vt inferiùs lib 4. p. 2. Diuinæ & fruitiuæ vnionis, cap. 10. §. 3. 4. & 5. oſtendemus.

## CAPVT X.

### *De mediis perueniendi ad Orationis diuinitus infuſæ gratiam.*

ORATIO infuſa & ſupernaturalis donum quidem Dei eſt, & peculiaris gratia, quæ nec induſtria noſtra neque labore comparari facilè poteſt. Quare nemo ad huiuſmodi orationis genus aſcendere poteſt, niſi priùs ab ipſo Deo vocetur & inuitetur, ſicut Cant. 2. inuitatur ſponſa ab ipſo dicente: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, columba mea in foraminibus petræ.* Quibus apertè verbis ſignificatur, ſolius Dei eſſe inſpirare, & orationis alas conferre

ei;

Digitized by Google

ei, qui ſit ingreſſurus in viuam petram, Chriſtum videlicet Dominum, eiuſque myſteria contemplaturus.

Sed licet non omnes vocentur ad hanc Orationis gratiam obtinendam, neque omnibus concedatur ſimile donum; omnibus tamen non ſolùm deſiderare, ſed etiam ad eius aſſecutionem conari licet: ſunt enim omnes huius doni cæleſtis omnino capaces. Quinimò Pater cæleſtis ad hanc Orationis gratiam etiam inuitat per Iſaiam cap 56. clamans: *Omnes ſitientes venite ad aquas.* Quibus verbis omnes ferè inuitantur, non vt vno tractu ad fontem aquarum viuentium peruenire queant, imò potiùs vt gradatim ſenſimque noſtro labore & exercitatione perueniamus. Opus igitur in primis eſt magna longanimitate, magna & conſtanti perſeuerantia ad fores diuinæ Sapientiæ pulſare, quouſque ad ſublime hoc Orationis genus aſcendamus.

Sunt autem præcipua media, quæ ad hanc gratiam promerendam iuuare poſſunt. Primum eſt, Feruens deſiderium. *Optaui* (inquit Sapiens c.7.) *& datus eſt mihi ſenſus intelligentiæ; & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Vbi breuiter duo media, quibus anima redditur capax ad recipiendum hoc Orationis donum, propoſuit. Alterum eſt deſiderium, de quo optimè Dauid Pſal. 9. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.* Eſt enim coniectura non modica, vt ſuperiùs cap. De indiciis exauditionis ſcripſimus, quòd Deus velit hoc particulare donum nobis conferre, quando deſiderium vehemens nobis ſuggerit illud quærendi. Alterum medium eſt Oratio. *Inuocaui*, inquit, *& venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Per inuocationem, intellige orationem in tota ſua latitudine, quatenus lectionem, meditationem,

tionem, aſſiduam ſui ipſius abnegationem comprehendit. Quare rectè Bernardus in Scala clauſtrali ſcripſit, raram aut etiam prodigioſam eſſe contemplationem, (quæ reducitur ad donum Orationis) quam orationis exercitia non præcedunt. Idem Serm. 3. de Circumciſione, loquẽs de his exercitiis, quæ ſub nomine Orationis comprehenduntur, ſtatim addit: *Cùm in his fueris diutiùs exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen, diem ſereniſsimam, & ſabbatum mentis, in quo tamquam emeritus miles in laboribus vniuerſis viuas abſque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei: vt quod priùs cum amaritudine & coactione tui ſpiritus faciebas, de cetero iam cum ſumma dulcedine peragas & delectatione. Hanc, ni fallor, gratiam petebat, qui ait: Remitte mihi vt refrigerer. Ac ſi dicat: Quouſque in labore & dolore iſto crucior, & morte afficior tota die? remitte mihi vt refrigerer.* Et rurſus alio in loco idem Bernardus de hac gratia Orationis loquens, ita ſcribit: *Nec tamen vel in tranſitu præſto erit ſic omni animæ, niſi illi dumtaxat, quam ingens deuotio, & deſiderium vehemens, & prædulcis affectus ſponſam probat.*

Richardus de Præparatione ad contemplationem, cap. 79. ad tria potiſſimùm media reducit ea quę iuuare poſſunt ad gratiam hanc comparandam; nempe, ſtudium operis, ſtudium meditationis, ſtudium orationis; *quibus*, inquit, *paulatim promouemur, & quandoque perducimur ad perfectionem cognitionis.* Et infrà: *Abſque dubio, ſine ingenti exercitio, ſine frequenti ſtudio, ſine ardenti deſiderio ad perfectam ſcientiæ altitudinem mens non ſubleuatur.* Hæc ille.

Caſſianus verò Collat. 14. cap. 2. & 3. illud potiſſi-

tiſſimùm prærequirit, nempe, vt ingenti ſtudio in actuali vita nos exerceamus, cuius vitæ actiuæ perfectio in duabus, nempe in expugnatione vitiorum, & virtutum acquiſitione, conſiſtit. Iuuat demum non parum, continuis ſæpè aſpirationibus, ſeu actibus anagogicis, qui cordis pariunt munditiam & puritatem, mentem præparare & accendere, vt breuiter annotauit Carthuſianus de Fonte lucis, in fin. *Deinde, ait, ab exterioribus abſtrahat mentem ſuam, & eam recolligat, eius diſperſiones & euagationes abiiciendo, ſicque iuxta D. Dionyſij documentum ſe conuertat ad radium, ſupernam illuſtrationem optando, & pro ea orando, ſeque ad Dei conſiderationem aut contemplationem pro viribus eleuando. Et tunc Deus ſublimis, qui ſapientiæ Dux eſt, & Princeps totius illuminationis, videns diligentiam hominis fidelem, ac pium eius conatum, manum applicabit ac porriget adiutricem; mentem per donum Sapientiæ illuſtrando, prout Iſaias aſſerit: Requiem dabit tibi Dominus, & implebit ſplendoribus animam tuam. Ipſe enim eſt Sol ſapientiæ & intelligentiæ, quo in anima ſplendente ac radiante, omnia mox clareſcunt, venuſtantur, tranquillitantur, & exhilarantur in ea. Sicque Creatoris ſui maieſtatem immenſam, pulchritudinem infinitam, ſapientiam, omnipotentiam, atque beatitudinem, perfectionem, eminentiam prorſus interminabilem incipit intueri, ac vehementiſſimè admirari, iucundè conſpicere, feruenter diligere, eique intimè congaudere, & in ea ad horam quieſcere.*

Sólet autem Deus Orationis donum liberaliſſimè elargiri his, quos ipſe ad ſublimem ſanctitatis gradum, vt eſſent Eccleſiæ luminaria, duces ac magiſtri aliorum, elegit: ſicut & in Lege veteri, Moyſi, Dauidi, aliiſque præclariſſimis Prophetis;

& in

& in Lege gratiæ Apoſtolis, & Religionum Fundatoribus, necnon & illis quos ad aggredienda opera magna & ardua deſtinauit, conceſſiſſe conſtat.

Solet concedi Religioſis etiam in communitate degentibus; his, inquam, qui non leuiter ac pueriliter, ſed ſtrenuè & viriliter ſeipſos penitùs abnegarunt, ac per continua exercitia, ac ſurſum enitentia deſideria cordis puritate comparata ad Deum ire contendunt. Nec longè abeſt huiuſmodi gratia à perſonis etiam ſæcularibus, ab his maximè, quæ variis calamitatibus & afflictionibus à Deo exercentur. Demum hoc Orationis præclariſſimum donũ elargitur Deus cui vult, & ſicut vult, & quod magis eſt mirandum, etiam imperfectis & inexercitatis, quibus aliquando liberaliter ab ipſo Deo conceditur, vt latiùs inferiùs de Via purgatiua ſupernaturali trademus. Nec ſolùm ſpiritualibus tyronibus, verùm etiam mundanis aliquando hæc cæleſtis Orationis gratia affulget.

Communiter verò perfectis ac exercitatis hæc gratia ſolet à Deo infundi, licet non omnibus: nam, vt alibi diximus, Chriſtiana perfectio cum Orationis infuſæ dono inſeparabiliter non eſt coniuncta, ſed potiùs in perfecta Dei ac proximi dilectione. quæ minimè pendet ab Oratione infuſa. Prætereà, non omnes etiam perfecti ad hanc orationem trahuntur à Deo; ſunt enim donationes & gratiæ diuerſæ, quæ pro Dei liberaliſſima voluntate inter fideles diſtribuuntur. Omnibus tamen ſpiritualibus athletis, dummodò ſint à vitiis & paſſionibus purgati, ac virtutum decore ornati, non ſolùm fas eſt ad ſupernaturalem hunc Orationis gradum aſpirare, ſed & quantum in ſe eſt conari, & an à Deo ad huiuſmodi Orationis donum admittantur, expe-



Digitized by Google

rientiâ comprobare, ac per cordis puritatem illud inquirere & procurare.

Sunt quidem alia Dei dona, quæ gratis data nuncupantur, vt prophetia, linguarum genera, viſiones imaginariæ vel corporeæ. Hæc autem nec procurare nec deſiderare ſine ſuperbiæ notâ licet. Ad gratiam verò Orationis, quæ à donis Pietatis, Sapientiæ, vel Intellectus procedit, honeſtiſſimum eſt cum diſcretione conari, ac ſe omnino diſponere, cùm huiuſmodi Oratio ſoleat eſſe efficaciſſimum medium maioris perfectionis comparandæ.

## CAPVT XI.

### *Regulæ ſiue Documenta pro his, quibus à Deo donum Orationis infunditur.*

POSTQVAM ſuperiùs explicuimus quid ſit Oratio ſupernaturalis, & vnde originem ducat, quas partes contineat, quanta ſit eius efficacia, ac denique principaliores eius effectus, quos in nobis producit, breuiter attigimus; operæpretium eſſe duxi; ſuperaddere nonnulla Documenta pro iis quibus ordinariè communicatur hic ſupernaturalis orandi modus.

Sit igitur prima Regula ſeu Documentum pro iis quibus frequentiùs à Deo donatur hæc Orationis gratia, ne illius iacturam faciant, vt ſint valdè humiles, agnoſcendo ſe omnino indignos tanta gratia, nec vllatenus potuiſſe illam mereri. Caueant autem ſummoperè, durante hac ſuprema Spiritus ſancti viſitatione, ne ad ea quæ retrò ſe ſunt reſpicientes, aut, ſicut multi faciunt, priſtina virtutum opera & tranſactos labores confidentiùs conſiderantes, putent ſibi in præmium illorum hæc

gra-

gratiarum dona à Deo rependi;(hæc enim conſideratio eſt ventus quidam vrens omnium virtutum & chariſmatum flores, ac diſpergens nubes, ſalutiferum huius gratiæ ac doni ſpiritualis rorem animabus noſtris infuſuras;) ſed è contrà omnes illas diuinæ viſitationis delicias in ſolam Dei bonitatem ac miſericordiam refundant, agnoſcentes ſe ob anteactæ vitæ peccata his gratiis indignos; & quò maior fuerit illarum abundantia; eò etiam magis ſe ante Deum abiicere conentur.

Secunda Regula: Caueant diligenter contemnere aut minoris facere eos, quos eiuſmodi donis carere conſpiciunt, cùm in illis non conſiſtat perfectio, ſed potiùs in feruentiori amore Dei, ac maiori laborum illius cauſa irruentium tolerantia. Hæc enim eſt via recta & magis ſecura, per quam animæ Deo gratæ ac fortes frequentiùs incedunt, per medios afflictionum ac continuæ mortificationis fluctus crucem Chriſti baiulantes, ſub cuius vexillo propriis expenſis, tamquã generoſi milites, abſque vllo diuinarum conſolationum ſtipendio, militare gloriantur: & quantò quis in hoc itinere maiores ac altiores emiſerit radices, tantò quoque ſanctior cenſendus eſt; quippe qui perfectiùs aſſimiletur Redemptori noſtro Ieſu Chriſto cuius anima ſanctiſſima caruit omni conſolatione toto vitæ ſuæ tempore, qui in vltimo mortis agone inter grauiſſima pœnarum tormenta ſine vllo paterni fauoris guſtu expirauit.

Hæc autem ſupernaturalis Oratio, & qui illam comitantur fauores, plerumque à Deo dari ſolent debilioribus & minùs perfectis, (vt infrà dicemus) vt paulatim, illorum ſuauitate deguſtata, res terrenas faſtidiãt; & ita incipientibus quandoque à Deo

infundi ſolet. Et quod maioris eſt momenti, etiamſi hæc Oratio ſit magis ſupernaturalis, non tamen ideò eſt magis meritoria: nam meritum non correſpondet principaliùs contemplationi, aut affectibus diuinis, vel ſpiritualibus ſentimentis; ſed perfectiori charitati.

Tertia Regula: Caueant habere aliquam proprietatem circa eiuſmodi Orationem, id eſt nimiùm affici erga illas conſolationes, guſtus, ac delicias ſpirituales, memores illius Pſalmiſtæ Pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere:* ſed in omnibus ſanctiſſimæ Dei voluntati ſe totos cõformare ſtudeant, cum plena reſignatione (ſi ſic ei placitum eſſet) in perpetuum priuari hac diuina oratione, ac conſolationibus illam comitantibus; & certò ſibi perſuadeant, eſſe multò melius ac conuenientius, imò ſecurius, mentis oculos figere in laborioſiſſimam Ieſu Chriſti crucem, innumeroſque eius dolores, ſectando in omnibus puram veritatem ac iuſtitiam, ſine vllo priuatæ vtilitatis reſpectu, quàm multos guſtus, frequentes rerum diuinarum conſolationes curioſiùs affectare. Pręſtat enim cum D. Paulo gloriari in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per viam abnegationis, mortificationis, humilitatis, manſuetudinis, ac patientiæ Chriſti Domini incedentes, quàm in ſublimi aliqua contemplatione, & ſenſibili deuotione, vel dono lacrymarum, abundare, quæ propter noſtram infirmitatem ſæpè ſunt occaſio homini ſuperbiæ ac ruinæ. Caueant etiam ſeipſos inquietare, aut nimiùm turbare, quando viderint ſe tentatos, & (vt arbitrantur) à Deo derelictos; nec facilè credant, ſe per huiuſmodi tentationes aliquam bonorum ſpiritualium iacturam facturos.

Quarta Regula non minùs vtilis ac neceſſaria eſt:

Quòd

Digitized by Google

Quòd vbi ſubtracta fuerit eiuſmodi Orationis gratia, & cæleſtes illæ diuinarum conſolationum aquæ defecerint, fugiendum eſſe diligenter otium, & nouos aquarum riuulos feruentiùs, ſolita brachiorum agitatione, ex interiori propriæ conſiderationis ac meditationis puteo eliciendos eſſe; nec vllatenus vacandum eſſe à ſolita virtutum exercitatione, ſed incumbendum, quantum eſt ex parte noſtra, orationi mentali magis ordinariæ. Et hoc eſt vnum ex præcipuis documentis, quæ ſolent dare Doctores Myſtici, qui docent, quòd ceſſante operatione diuina, recurrendum ſit ad propriam. Velle enim (complicatis, vt aiunt, ſub ſinu manibus) otiari vſque ad aduentum Spiritus ſancti, error eſt maximus, & grandis ad gratiam diuinam obex: ſed debet fidelis anima eiuſmodi afflictionum procellis acta, ad remos confugere, & ſæuientis tempeſtatis, quam cauſare videtur Spiritus ſancti abſentia, impetum ſolerter (vlteriùs ſcilicet nauigando) declinare, donec aſpiret dies, & ſereniſſima diuini Spiritûs aura iterùm illuceſcat: quinimò, tunc temporis eum feruentiùs inuitare debet, vt ſuâ præſentiâ omnem cordis ſui caliginem procul expellat, ac in hortum ſuum deſcendat, & cæleſti conſolationum ſuarum imbre iam pænè marcidos illius flores clementer irriget. Et quamuis contingat ſuas preces non ſtatim exaudiri, non propterea deſpondeat animum, vt ſuprà diximus, aut ſuas preces intermittat: hoc enim etiam ſanctiſſimis animabus euenire ſolet, vt optimè indicat Iob cap. 30. per hæc verba: *Clamo ad te, & non exaudis me; ſto, & non reſpicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* Sed quò maior eſt tribulatio, eò feruentior ſit oratio: quia Deus probat per hoc orantis

tis conſtantiam, expurgat humiliati conſcientiam, vt remuneret afflicti patientiam, vt egregiè in hoc propoſito ſcribit S. Bernardus Epiſt. ad Fratres de Monte Dei, his verbis: *Obſecrationibus inſiſtendum eſt, ſed in omni humilitate & patientia: quia non afferunt fructum niſi in patientia, etiamſi ſentiat cælum deſuper æneum, dum nullam deuotionis velut roris cæleſtis ſtillam pulſando in oratione percipit, & terram cordis ſui ferream, dum nullo Pſalmorum vel orationum irriguo ad fructum cōpunctionis emollitur.* Nam, vt ait Bonauentura de Proceſſ. Relig. Proceſſ. 7. c. 10. *Ita pauida mentis imaginatio, qua durum & auſterum ſibi proponit Deum, qui verè mitis & benignus eſt, & in veritate pius & miſericors, aut eſt decepta mentis propria confictio, qua format ſibi idolū pro eo quod non eſt ipſe; aut eſt diſpenſatiua permiſſio, ad terrendum vel humiliandum, & corrigendum vel purgandum animum, quò poſtmodum ſuauiùs ſapiat ei benigna Dei reſpectio, ſicut poſt expertam amaritudinem deſiderabilior fit dulcedo.*

Quinta Regula: Procurent omni ſtudio, gratis ſibi à Deo donum huiuſmodi Orationis conceſſum, humilitatis velo occultare, nec ob illud inſoleſcere, aut inaniter gloriari, ſed viliùs de ſe ſentire, ac ſanctiſſima præcipuorum Eccleſiæ Sanctorum exempla imitari, qui gloriam ſuam poſuerunt non in ore hominum, ſed in operibus charitatis, miſericordiæ, ſuiipſius abnegatione, in continua mortificatione, fame & ſiti, nuditate, laboribus plurimis, & præcipuè in charitate, māſuetudine, humilitate, perſecutionū tolerantia, ac deniq; in proprio ſuiipſius contemptu. Quamplures aliæ poſſent aſſignari Regulę, niſi aliàs propriis locis, nempe in fine ſecundi, tertij, & quarti Libri à nobis pleniùs eſſent tradendæ.

DE

# DE ORATIONE DIVINA SIVE A DEO INFVSA

## LIBER SECVNDVS:

### *De Via purgatiua ſupernaturali.*

### PROLOGVS.

TRIPLICEM eſſe diuinæ Orationis gradum, (quorum primus Via purgatiua vocatur) ſuperiùs lib. 1. cap. 5. annotauimus. Huius viæ, quæ ianua eſt ad illuminatiuam & vnitiuam, feliciſſimum diuinæ Orationis portum, ea ſunt potiſſima exercitia & conatus, vt incipientes peculiari Spiritus ſancti illuſtratione & extraordinaria motione à vitiis purgentur, ac eius diuina ope ad eorum impugnationem, animæque affectionum ſeu paſſionum omnium reformationem, ac cordis ſenſuumque cuſtodiam, ac demum omnium culparum fugam, quantum Deus vnicuique dederit, contendant.

Et licet vnicuique viæ, vt in ſuperiori lib. cap. 5. diſputauimus, proprium competat exercitium; purgatiuæ ſcilicet, puritatis; illuminatiuæ, lucis; vnitiuæ, amoris: in ſingulis tamen viis ſingula aliarum exercitia & actus nullatenus debent prętermitti. Certum enim eſt, in purgatiua non ſolùm peccatorum expurgationem inueniri, ſed etiam veritatum diuinarum contemplationem, & Dei amorem, vt inferiùs pleniùs conſtabit. In illuminatiua prætereà non ſolùm lumen, ac veritatum ſublimem cognitionem, ſed & purgationem, & diuinum amorem; ac in vnitiua multò cumulatiùs inueniri. Quare quando vnicuique horum ſtatui ſpeciale deſtinamus exercitium, non id fieri exiſtimes, vt cetera excludantur, ſed vt compertum ſit, illud eſſe illius viæ præcipuum ſcopum, ac magis principale exercitium. Quocircà in ſingulis viis & ſtatibus non ſolùm proprium illius exercitium, ſed etiam alia aliorum ſtatuum exercitia (quæ ad tria reducuntur, purgationis, lucis, & amoris) deinceps à nobis ſequentibus Libris erunt tradenda. His enim exercitiis ab initio interioris animæ ręnouationis Deus mirabili modo eam vſque ad immenſam puritatem, lucem, & amorem (ſi poſſibile eſſet in hac vita) conatur deducere.

Quamobrem Spiritus ſanctus, ſupernus diuinorum chariſmatum artifex, mediis his exer-

exercitiis,quaſi quibuſdam aſcenſoriis gradibus, non ſine mirabili animarum profectu eas expurgatione incredibili, diuino lucis ſplendore,ac ardentiſſimo amore ad ſeipſum diuinitus trahit. Quare quantò maior fuerit purgatio, tantò lux ſplendidior erit, ardentior amor. Vnde cùm Spiritus ſanctus altiora fundamenta in animarum expurgatione iecerit, eo ad nobiliorem lucem, ac feruentiorem amorem eam magis diſponit, ac reddit habiliorem. Ita enim hæc tria exercitia inter ſe connexa ſunt, vt impoſſibile ſit puritatem vitæ augeri, quin & lux creſcat, & charitas mirabiliter augeatur. Creſcit igitur cum purgatione lux, ad lucis incrementum amor; & rurſum augmento lucis & amoris, ſuccedit nouus puritatis gradus. Vnde contingit mirabilis circulus inter horum trium ſtatuum exercitia diuina.

De via igitur purgatiua ſupernaturali,quæ exercetur ſecundùm partem hominis inferiorem, quæ ad incipientes in via ſpirituali propriè ſpectat,primo loco erit diſſerendum. Circa quam quinque potiſſimùm diuinâ gratiâ erunt à nobis explicanda. Primũ, De variis vocationum generibus, & præcipuè de gratia ſiue amore ſenſibili, quo incipientes mirabili vocatione trahuntur à Deo, vt faciliùs, relictis omnibus creaturis,illum ſequantur. Secundum, De oblectationibus tam in-

ternorum quàm externorum ſenſuum, quibus tyrones tamquam ſpirituali lacte & melle à Deo trahuntur. Tertium, De luce ſiue contemplatione ſupernaturali, quæ etiam in vita ſpirituali tyronibus vel imperfectis à Deo clementiſſimo concedi ſolet. Quartum, De purgatione, hoc eſt deſolatione ſiue afflictione à ſenſibilis gratiæ abſentia cauſata, ac variis tentationibus quibus incipientes à dæmone frequentiùs impugnantur, ac de earum remediis. Ac demum Quinto loco Documenta aliqua trademus, quibus hanc viam ingreſſi, pericula, quæ in ea ſolent contingere, euadere, ac ſecuriùs per eam incedere, & ad altiora progredi valeant.

## CAPVT I.

### *Varij vocationum modi, quibus etiam peccatores ad ſpiritualem vitam diuinitus vocari ſolent.*

SOLET autem clementiſſimus Deus multis variiſque modis initio conuerſionis peccatorum animas ad ſui amorem allicere, ac vi & efficacia mirabili trahere. De hac multiplici vocationum gratia egregiè D. Gregorius Homil. 36. in Euangel. ſcribit, inquiens: *Ecce Deus vocat per ſe, vocat per Angelos, vocat per Paſtores, vocat plerumque per miracula, vocat plerumque per flagella, vocat aliquando per huius mundi proſpera, vocat aliquando per aduerſa.* Hæc Gregorius.

Om-

Omnes iſti vocandi modi ad duos plerumque reduci ſolent; nempe, ad vocationem per timorem, ſiue iſte timor ex aduerſitatibus temporalibus, ſiue ex pœnarum æternarum conſideratione à Deo hominibus incutiatur:& ad vocationem per amorem, hoc eſt per diuinorum beneficiorum memoriam & veram recognitionem. De hac poſteriori vocatione eleganter B. Laurentius Iuſtinianus lib. 2. de Spiritual.anim.reſurrect. *Gratia igitur*, inquit, *lucens eſt radius à throno Dei procedens, illuminans cor, & diuinæ voluntatis pandens arcana; Deus verò ipſe eſt ſol æternus, inuiſibili luce corporalia & ſpiritualia vniuerſa perluſtrans. Idem planè gratuita ſua bonitate matutinam lucem in quorumdam iuſtificandorum cordibus oriri facit, quatenus ex cognitione munerum intelligant, quanta à Deo charitate diligantur. Singularis profectò eſt iſta vocatio, quæ in beneficiorum cæleſtium agitur ſpeculo, per quam rationalis ſpiritus à ſuo torpore ſurgere, ac Deum ſuum toto affectu diligere cogitur, tot facibus ſpiritualibus irradiatur accenſis, tot amoris caſti ſtimulis agitatur, quot ſunt dona, quæ à Domino ſibi noſcit eſſe impenſa. Magna profectò inſinuatæ huius veritatis eſt vis, & præpotens iſtius lucis eſt virtus, quæ repentino ſuo ſplendore mentis diſſoluit torporem, interiores propulſat tenebras, gratiam ſimul confert & vitam. Quocumque conſiderationis ſuæ diuertit aciem, quiſquis illa effectus eſt dignus, reperit quo nutriatur, & à quo trahatur erectus. Nutriunt equidem meditantis exhibita à Deo beneficia eò ſuauius, eoque dulcius, quò frequentius animo reuoluuntur, & in memoriæ armario reconduntur. Manu quoque quadā ſpirituali iacentem erigunt, & gratitudinis funiculis ad Deum trahunt, à quo eadem percepiſſe cognoſcunt. Nequaquam (vt arbitror)*

*in peccati morte diu iacere valet exanimis, cuicumque ex infuſo lumine donatum eſt beneficiorum numeroſitatem tractare ſecum, & corde guſtare.*

Inter has igitur varias vocationum ſpecies, alia eſt vocatio communis, qua Deus ordinario modo communia & ſpecialia auxilia peccatoribus conferendo tam intellectum illuſtrationibus, quàm affectum diuinis excitationibus & perſuaſionibus ordinando, modò horribilium inferni pœnarum incuſſo timore, modò peccati fœditate, aut diuinis beneficiis ante oculos poſitis ad vitam gratiæ peccatores vocat. Alia eſt ſpecialis Dei vocatio, quæ modo magis ſupernaturali, hoc eſt efficacioribus auxiliis, maiori mentium illuſtratione, ac plenioris luminis infuſione aliquando non tam vocare ſeu inuitare, quàm compellere intrare ſoleat. De hac vocatione idem B. Laurentius Iuſtinianus lib. de Obedien.cap.16.loquitur. *Agat*, inquit, *gratias Deo quia gratis vocatur, non vtique ab hominibus, non ab Angelis, ſed à Deo; nec qualicumque vocatione, ſed ſancta, ſpirituali, ſed cæleſti, de qua Apoſtolus ait: Qui vocauit nos in ſortem Sanctorum in lumin. Vocantur planè multi ad fidem, dicente Domino, quòd multi ſunt vocati. Illorum tamen ſic vocatorum pauci ſunt, qui huiuſmodi, de qua agitur vocatione, digni ſunt. Communis eſt illa, iſta verò ſpecialiſſima.* Hæc ille. Nam cùm Deus ſit agens infinitæ virtutis, cuius diuinæ ſubordinationi hominum corda & voluntates ſubduntur, vt operetur, non indiget diſpoſitionibus illis, quæ agentia naturalia prærequirunt: potens eſt enim Deus ſubitò honeſtare pauperem, ac eum diuitiis ſupernaturalibus in inſtante locupletare. Hoc efficaci & extraordinario vocationis impulſu Apoſtolum Paulū ad ſe traxit, ac ex lupo in agnum con-

conuertit: tactus enim, cùm adhuc eſſet inimicus & hoſtis, ſuperiori illo & cæleſti lumine, ſtatim ad Deum totus conuerſus clamare compellitur: *Domine, quid me vis facere?* Similis etiam vocatio contigit B. Mariæ Magdalenæ, quæ à Chriſto amoris iaculo confixa, ad eius pedes lacrymarum veluti riuulos ab oculis fundens, victa ſtatim corruit. Idem ferè de ceteris Apoſtolis à Chriſto vocatis in Euangelio legimus: hi enim audita Chriſti Domini voce, ita interiùs fuere illuſtrati, & ad eius amorem allecti, vt continuò relictis retibus eum fuerint ſecuti. Et quoniam admirabilem huiuſmodi vocationis efficaciam comprehendere nequibant perfidi illi hæretici Porphyrius & Iulianus, credere non poterant, Apoſtolos ita promptè ad primam Chriſti Domini vocationem accurriſſe. Similes quoque fuerunt multorum Martyrum vocationes, qui, viſâ eorum qui cruciabantur in ſuis tormentis conſtantiâ, vel ad ſanctas illorum in mediis carnificum cruciatibus admonitiones, ſubitò compuncti ſeipſos tortoribus pro vera Chriſti fide excarnificandos præbuerunt. Idem quoque legimus de multis Confeſſoribus & Anachoretis, qui ex lectione, vel ſacri Euangelij auditione deſuper illuſtrati, ſine vlla tergiuerſatione in vaſtam eremum, relictis omnibus, receſſerunt, vt ibi liberiùs rerum diuinarum contemplationi vacarent.

Varij autem ſunt eiuſmodi vocationum modi: nonnumquam enim Deus extraordinariis quibuſdam ſignis vtitur, vel ſuiipſius apparitione, vt contigit in S. Pauli conuerſione; vel certè corporali aut imaginaria ſui manifeſtatione: quandoque exteriori & interiori locutione animas ad ſe allicit. Frequentior autem vocandi modus eſt, per repentinam intel-

intellectus illuſtrationem, & voluntatis inflammationem, aliquando immediatè per ſeipſum ſine vllo rei exterioris concurſu; aliquando per aliqua ſacræ Scripturæ verba, vel aliquam libri ſpiritualis lectionem, qualis fuit conuerſio Eunuchi Candacis Reginæ, Act 8. ex lectione Prophetiæ Iſaiæ, & illorum duorum Nobilium magni illius Africani Equitis Potitiani amicorum, ex lectione Vitę ſancti Antonij Abbatis, qui, (vt refert S. Auguſtinus lib. 8. Cõfeſſ. cap. 6.) mirabilem & inſtantaneam experti ſunt hominis interioris mutationem: quorum ſubitanea vocatio tantum apud ipſum potuit, vt de illa quemdam amicum nomine Alipium alloquens cap. 8. totus in ſeipſo turbatus, in hæc verba prorumperet: *Quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine.* Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ intrauit in quemdam hortum ibi fortè vicinum, vbi ſub quadam fici arbore proſtratus, dimiſit habenas lacrymis, ac poſt multam cordis afflictionem ad vocem cuiuſdam crebrò repetentis, *Tolle lege, Tolle lege* (vt ipſe cap. 12. narrat) arripuit codicem Apoſtoli, aperuit, & legit in ſilentio Capitulum in quod primùm coniecit oculos; quo perlecto, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi illius, omnis dubitationis tenebræ diffugerunt, ita vt rebus terrenis omnino abdicatis, ſe totum Dei ſeruitio traderet. Solet quandoq; etiam Deus nonnullos per Concionatorum verba emollire, ſicut legimus de quibuſdam, qui audito Dei verbo tantum dolorem de peccatis ſuis conceperunt, vt antequam concio finiretur, præcluſis præ nimio dolore ſpiritibus deficerent, & animam exhalarent.

Dici-

Digitized by Google

Dicitur autem eiuſmodi vocatio ſupernaturalis, non quòd aliæ, quibus peccatores à Deo ad pœnitentiam excitantur, non ſint etiam ſupernaturales; ſed quia fit modo quodam magis ſupernaturali & diuino, tum ob repentinam & quaſi improuiſam cordis noſtri ad Deum conuerſionem, tum quia clariùs illuſtratur intellectus, & multò efficaciùs inflammatur voluntas. Solet tamen Deus ſemper ad animas noſtras per intellectus ianuam introire, magnam illi deſuper lucem communicando, cuius radiis illuſtratus, vel diuinorum beneficiorum multitudinem & magnitudinem agnoſcat, ac in gratiarum actionem ſe totum Deo illorum largitori rependat; vel certè ſuiipſius cognitioni, ac ſuorum defectuum conſiderationi attentiùs vacet, & diuinæ iuſtitiæ rigorem perhorreſcat; vel denique vt guſtet & videat quàm ſuauis ſit Dominus, & qualiter iugum Chriſti ſuaue ſit, & onus eius leue.

Hi ſunt vocationum modi, quibus diuina Maieſtas animas noſtras ad ſe conuertit, & de vaſibus iræ & interitus, vaſa miſericordiæ & ſalutis, quando & quibus vult, iuxta ſuum beneplacitum efficit. Ex quibus taliter vocatis, aliquæ quidem recepti beneficij facilè immemores, à Deo ad priſtinas mundi vanitates, tamquam ſus ad volutabrum, turpiter reuertuntur: aliæ verò diuinæ vocationi, quantum in ipſis eſt, correſpondentes, in accepta primitus gratia feliciter perſeuerant. Quia autem eiuſmodi animæ, ita ſpecialiter à Deo vocatæ, nauigant per procelloſum mare huius mundi innumeris periculis ac latrunculis vndequaque circumſeptum, quarum multæ naufragium faciunt, pauciſſimæ verò ad optatum ſalutis portũ perueniunt; conabimur illas inter tot pericula ab omni naufra-

gio

Digitized by Google

gio immunes, præuiâ ſacræ Scripturæ lucernâ, ac communi ſanctorum Patrum doctrinâ, præſeruare, & illas inter omnes difficultatum ſcopulos feliciter ab ipſis viæ purgatiuæ initiis vſque ad viæ vnitiuæ portum dirigere.

## CAPVT II.

*Via purgatiua ſupernaturalis frequentiùs à gratia ſenſibili (quæ mirabilis compunctionis eſt cauſa efficiens) initium ſumit.*

QVAMVIS non rarò diuina bonitas timore homines ad ſe trahere ſoleat, iuxta illud Prophetæ, *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos, & reducit:* in via tamen purgatiua ſupernaturali frequentiùs electorum animas ſenſibili quadam gratia allicere conſueuit. Huius autem ſenſibilis gratiæ nomine, etiam lucem quamdam, amorem, ac voluptatem quaſi ſenſibilem comprehendimus: quia tam lux, quàm amor ſiue delectatio, à parte inferiori, quæ ſenſibilis eſt, percipitur & guſtatur. Sénſibilis præterea gratiæ nomen extendimus ad omnem amorem ſeu delectationem, quæ externis vel internis ſenſibus ſentitur, ſiue ſit deuotio, ſiue voluptas, ſeu internæ aliæ dulcedines quæ recipiuntur, & quibus homo fruitur in inferioribus animæ viribus; ad omnes denique perceptiones obiectorum ſenſuum externorum, quando ſupernaturaliter & ſupra noſtras vires fiunt: vt quando exteriori auditu muſica, aut fragrantia odoratu percipitur, vel ſi contingat Chriſtum Dominum, vel quempiam Sanctorum oculis corporeis videri.

Hac igitur ſenſibili gratia, diuina voluntas pleniùs ac perfectiùs ſeipſam creaturæ rationali communi-

municare deſiderans, eam quam ad maiorem ſanctitatis gradum deſtinauit, vberiùs excitat, & ſuo tangit lumine, vt hac ratione ad centrum ſuum, nempe ad intimam cum Deo vnionem introducatur. Et quia in nobis, vt ſuperiùs annotauimus, ſunt tres portiones, ſiue homines, ſenſitiuus, rationalis, & ſpiritualis; Deus, qui cuncta ſuauiter diſponit, regulariter incipit à ſenſu, diſponendo hominem ſecundùm ſenſitiuas & inferiores vires, vt paulatim fiat capax ineffabilis huius & altiſſimæ vnionis. Primùm enim diuina gratia adinſtar riuuli in inferiorem hominis partem ſenſitiuam influit, excitans & ſtimulans hominem, vt toto corde totiſque viribus ſe ad diuinam cum Deo erigat vnionem, ideoque inchoat ab inferiori homine & ſenſitiua portione: quia priùs oportet has vires ſiue potentias præparari, & charitatis igne purgari, quàm homo ad ſuperiorum virium exercitium poſſit peruenire. Quare ſicut ſol oriens Occidentalem plagam mox illuminat, & cuncta calore ſuo viuificat & fecundat: ita Sol iuſtitiæ in ſuprema animi parte (ipſius ſcilicet eſſentia) per gratiam inhabitans, inferiorem & quaſi Occidentalem regionem, nempe ſenſitiuam partem, ſua luce illuminat & accendit, & mira ſpiritalium deliciarũ voluptatũ irrigat ac fecundat.

Huius diuinæ gratiæ ſenſibilis, præcipuè illius diuinæ illuſtrationis, qua regio iſta Occidentalis ſupernaturaliter illuſtratur ac mirabiliter inflammatur, effectus, eſt intima ac ardens peccatorum compunctio. Spiritus enim ſanctus, medio Intellectus ac Sapientiæ dono animæ infuſo, anteactæ vitæ turpitudinem ac propriorum peccatorum grauitatem tam efficaciter animæ repræſentat, vt ſubitò ad veram peccatorum deteſtationem & odium excite-

tur. Hæc ſalutaris peccatorum compunctio debet eſſe quotidianum viæ purgatiuæ ſtudium, & aſſidua exercitatio. *Hac verò* ( vt inquit D. Gregorius Homil. 22. in Ezechiel. ) *compunctio alia eſt quæ per timorem naſcitur, alia quæ per amorem.* Harum autem vtraque ſupernaturali modo in hac via exerceri ſolet; aliquando enim ex anteactæ vitæ peccatorum memoria, anima recèns conuerſa mirabiliter compungitur; aliquando autem ex ſola diuinorum beneficiorum reminiſcentia, aut ſolo Dei amore, perfecta compunctionis gratia ei à Deo infunditur.

Tres autem huius ſupernaturalis compunctionis effectus planè diuerſi à Caſſiano Collat. 9. cap. 27. enumerantur. *Quemadmodum verò* (inquit) *vel quibus modis iſtæ ipſæ compunctiones de intimis animæ conclauibus proferantur, non minoris difficultatis eſt indagare. Frequenter enim per ineffabile gaudium & alacritatem ſpiritus, ſaluberrimæ compunctionis fructus emergit, ita vt etiam in clamores quoſdam intolerabilis gaudij immenſitate prorumpat, & cellam vicini iucunditas cordis & exultationis penetret magnitudo. Nonnumquam verò tanto ſilentio mens intra ſecretum profundæ taciturnitatis abſconditur, vt omnem penitùs ſonum vocis ſtupor ſubitæ illuminationis includat, omneſque ſenſus attonitus ſpiritus vel contineat intrinſecus, vel emittat, ac deſideria ſua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum verò tanta compunctionis abundantia ac dolore ſupplètur, vt aliàs eam digerere, niſi lacrymarum euaporatione non poſſit.* Hæc Caſſianus.

Hi verò effectus compunctionis non ſolùm in incipientibus, ſed etiam in proficientibus inueniri poſſunt. Qui autem præcipuè ad viam purgatiuam reducuntur, ſunt pia lacrymarum pro offenſis in

Deum

Deum commiſſis effuſio. Sunt autem lacrymæ compunctionis comites: ac quemadmodum compunctio, de qua loquimur, ſupernaturali modo à Spiritu ſancto, medio Sapientiæ dono, dimanat; ita & lacrymarum effuſio eſt gratia donumque peculiare eiuſdem Spiritus ſancti. Quam quidem gratiam S. Auguſtinus lib. Medit. c. 36. obnixè à Deo poſtulabat, dicens: *Rogo te per illas benigniſſimas tuas lacrymas, & per omnes miſerationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multùm deſiderat & appetit anima mea: quia ſine dono tuo non poſſum habere eam, ſed per Spiritum ſanctum, qui dura peccatorum corda mollit, & ad fletum compungit.* Et infrà, eamdem petens gratiam, inquit: *Da mihi irriguum ſuperius, & irriguum inferius, vt ſint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, efficiarque in conſpectu tuo per ignem compunctionis holocauſtum pingue & medullatum, mactet totus in ara cordis mei, & tamquam pingue holocauſtum aſſumar tibi in odorem ſuauitatis. Da mihi fontem irriguum & perſpicuum, in quo lauetur aſſiduè illud inquinatum holocauſtum. Tribue mihi gratiam lacrymarum, præcipuè ex multa dulcedine amoris tui.* Hæc Auguſtinus. Nec incongruè per irriguum ſuperius, lacrymarum compunctionem à Deo cælitus datam; perque irriguum inferius, lacrymarum donum noſtra quidem induſtria & labore, non tamen ſine ſpeciali Dei gratia conceſſum intelligi poteſt. Hanc lacrymarum & ſalutaris compunctionis duplicem gratiam optimè diſtinxit S. Ioannes Climacus Grad. 7. per hæc verba: *Vidi modicas guttas* (ſcilicet lacrymarum) *inſtar ſanguinis cum labore effundi, vidi & fontes abſque labore profluere. Sicut creatura motum ex ſe*

 gignit,

*gignit, numquam verò aliunde ſuſcipit: ita de compunctione quoque ſentiendum eſt. Quoties anima nihil etiam curantibus, vel ſtudioſè operantibus nobis, in lacrymas vi compunctionis ſecretè excitata, in ſolo fletu requieuerit, curramus ſollicitè: Deus enim non vocatus aduenit, ſpongiamque diuini amoris & refrigerij, piarum lacrymarum aquas nobis clemens porrigit, quibus deleantur ſcelera chirographi noſtri. Serua eam vt pupillam oculi tui, donec ſponte abeat. Longè enim maior huius compunctionis vis, quam eius quam ſtudio noſtro & labore acquiſiuimus.* Hæc Climacus.

Hæ ſunt lacrymæ de quibus hîc agimus, quæ tyronibus ſpiritualibus à Deo liberaliter infundi ſolent. Hæ fuerunt B. Petri lacrymæ, Lucæ 22. poſt trinam Chriſti negationem, quando *egreſſus foràs fleuit amarè.* Tales fuerunt pœnitentis Magdalenæ lacrymæ, cui *dimiſſa ſunt peccata multa*, (Luc. 7.) *quoniam dilexit multùm.* de qua optimè Petrus Chryſologus: *Venit ſatisfactura Deo, non homini placitura cùm venit. Venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura conuiuium. Denique & pœnitentia ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potū lacrymis temperat in menſura, & ad delicias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui & corporis ſui ſymphoniam, organi planctus dat clamorem, citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam; & dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpè percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare; dumque taliter apportat diuinis oculis cibos, ſuas miſericordia copias ſic reportat.* Hæc Chryſologus.

Animæ verò viam Dei ſpiritualem ingredienti, ac lacrymas pro propriis peccatis effundere annitenti, non ſtatim conſcendere ad ſubliniora exercitia

citia datur, neque ad oſculum manus aut oris, niſi priùs Chriſti pedibus cum eadem peccatrice Magdalena lacrymans adhæſerit, aſpirare licet. *Non temerè* (inquit Bernardus Serm. 3. in Cant.) *aſſurgat ad os ſereniſſimi ſponſi, ſed ad pedes ſeueriſſimi Domini mens pauida iaceat, & cum Publicano terram tremens non cælum aſpiciat, ne confuſa in luminaribus cæli facies aſſueta tenebris, opprimatur à gloria, atque inſolitis reuerberata ſplendoribus Maieſtatis, denſioris rurſum cæcitate caliginis obuoluatur. Non tibi, ô quæcumque talis es anima, non tibi ille locus vilis aut deſpicabilis videatur, vbi ſancta Peccatrix peccata depoſuit, induit ſanctitatem. Miraris quanam arte id potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? paucis accipe. Fleuit amarè, & de intimis viſceribus longa ſuſpiria trahens, ſalutaribus intra ſe ſuccuſſa ſingultibus, felleos humores euomuit. Cæleſtis medicus celerrimè ſubuenit, quia velociter currit ſermo eius. Huius ergo B. Pœnitentis exemplo proſternere & tu, ô miſera, vt deſinas eſſe miſera: proſternere & tu in terram, amplectere pedes, placa oculis, riga lacrymis, quibus tamen non illum laues, ſed te, & fias vna de grege tonſarum, quæ aſcendunt de lauacro, ita ſanè, vt ſuffuſum pudore ac mœrore vultum non antè ſuſtollere audeas, quàm audias & ipſa: Dimittuntur peccata tua; quàm audias: Conſurge, conſurge captiua filia Sion, conſurge, excutere de puluere.* Hæc Bernardus.

Ex hac demum ſalutari & lacrymoſa compunctione, quæ ex infuſo veritatis lumine habitantibus in regione vmbræ mortis deſcendit, vera ſuiipſius cognitio, peccati diſplicentia & horror emergunt: nam quos Deus ea qua diximus vocatione ad ſe trahit, non ſolùm replet dolore, compunctione, & gemitu, facitque vbertim lacrymas fundere, ſed



Digitized by Google

etiam propriæ vilitatis cognitionem parit. Cognitio enim ſuiipſius, eſt prima regio, in qua anima, quæ ad tertium cælum, hoc eſt diuinam vnionem, aſcendere cupit, commorari debet, vt eruditè Richardus lib. 5. de Contemplatione, cap 6. ſequentibus verbis ſcripſit: *Nihil rectè æſtimat, qui ſeipſum ignorat. Neſcit quàm ſub pedibus ſuis omnis mundana gloria iaceat, qui conditionis ſuæ dignitatem non penſat. Neſcit omnino, neſcit quid de ſpiritu Angelico, quid de Spiritu diuino ſentire debeat, qui ſpiritum ſuum priùs non cogitat. Si nondum idoneus es intrare ad teipſum, quomodo ad illa rimanda idoneus eris, quæ ſunt intra vel ſupra temetipſum? Si necdum dignus es intrare in tabernaculum primum, qua fronte præſumis intrare in tabernaculum ſecundum, hoc eſt in Sancta ſanctorum? Si nondum moliri potes greſſus altos, vt cum Domino Ieſu, vel ſaltem cum Moyſe aſcendas in montem excelſum, qua præſumptione paras volare in cælum? Priùs redi ad te, quàm rimari præſumas quæ ſunt ſupra te.* Et iterùm infrà: *Si ergo cupis euolare vſque ad ſecundum, ſeu etiam vſque ad tertium cælum, ſit tibi tranſitus per primum. Spiritus ſiquidem omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Si ergo & tu ſcrutari paras profunda Dei, ſcrutare prius profunda ſpiritus tui.* Hæc Richardus.

Hanc autem propriæ vilitatis cognitionem conſequitur odium ſuiipſius, id eſt omnimoda prauorum affectuum abnegatio, ac perfecta paſſionum omnium mortificatio, de qua loquitur Apoſtolus cùm ait: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Ex hoc prætereà ſuiipſius odio, oritur feruens deſiderium ſatisfaciendi pro anteactæ vitæ peccatis, omnium carnalium commoditatum abrenuntiatio, ac tandem effi-

caciſſima voluntas Chriſtum in omnibus ſuis laboribus & anguſtiis imitandi.

Hunc ferè viam purgatiuam ingredientibus modum ſanctus Laurentius Iuſtinianus in Faſciculo amoris, cap. 16. obſeruandum in hæc verba præſcripſit: *Quamobrem, inter præcipua dona humanæ ſaluti neceſſaria, primum tenere locum infirmitatis propriæ ſcientiam definire non vereor. Huic tamquam ſpirituales pediſſequæ, cordis compunctio, peccatorum confeßio, effuſio lacrymarum, delictorum emendatio, precum importunitas, mentis innocentia, alienæ vitæ commendatio, extrinſeca humiliatio, & cordis humilitas famulantur. Qui in lumine veritatis ſuiipſius percepit notitiam, alieni cordis ſecreta curiosè non quærit, neminem iudicat, nullum condemnat, nulli iniuriam irrogat, non iraſcitur, non contradicit, non detrahit, non mentitur, honores non appetit, neſcit inflari, non extollitur in naturalibus, neque in donis ſpecialibus eleuatur. Propriam quippe non excedens menſuram, potioribus ſemper ditari meretur. At qui ſui eſt neſcius, ex quotidianis exceßibus congregata diſpergit, amittit munera gratis accepta, atque frequenter in eos, quos humilis declinat, ruit laqueos. In tenebris ambulans, latentes in corde foueas quomodo intueri valet? Hanc ſuimet notitiam Propheta ſe habere declarauit, dicens:* (Thr. 3) *Ego vir videns paupertatem meã.* Et rurſum c. 14. tyrones milites ad ſpiritualem pugnã propoſito præmio prouocat, dicens: *Quare ſi diligenti impeditis affectibus exerceatur ſtudio, & forti perſeuerantia excolatur, virilem induit animum, magnanimitatis gemma decoratur, & de muliere efficitur vir, atque de anima animus diuinis vtique aptus obſequiis, ac multorum ſaluti non mediocriter profuturus. Non enim ad virtutum conſcendit arcem mens adhuc puerilis &*

*debilis, niſi pugnam arripiat contra ſe, & conſuetudines euertat noxias, atque ſpiritualiter dimicandi acquirat vſum. Hoc autem ſufficienter perficit, ſi cæleſtis gratiæ rore præuenta, conſideratione peruigili, Sanctorum ſibi proponat exempla, virtutis immarceſcibilem fructum, neceſſitatem indictam pugnandi, tentationum ſupergloriosum triumphum, & præ omnibus laborioſiſſimum & inuictiſſimum Mediatoris agonem. Iſtiuſmodi conſiderationibus optimè quiſquis animatur ad prælium, ſed ſupra modum conſummatâ victoriâ lætatur & exultat in Domino. Non valet inanis & infecundus eſſe labor, cui Chriſti miles & amator ſapientiæ pro Domini honore ſuccumbit. Hunc etenim pro ſtipendio emeritæ militiæ imitantur mentis exultatio, ſpirituale lumen, tranquillitatis imperturbabile bonum, charitatis habitus, virtutũ læta poſſeſſio, futuræ felicitatis ſuauis guſtus, & immarceſcibilis gloriæ imprædabilis ſpes. Pro his omnibus medullari fruens gaudio, ita præſenti lætitia paſcitur, ac ſi numquam in tentationum certamine deſudaſſet. Spiritualis etenim merces diuinæ dulcedinis, mox vt cordis penetralia tãgit, priſtini mœroris propellit aculeos. Nam & mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem pepererit, non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Hæc S. Laurentius.

## CAPVT III.

### *De amore incipientium ſenſibili & vulnerante.*

ARDENTISSIMO quidem & diuino amore viam hanc ſupernaturalem̃ ingredientes non rarò afficiuntur, quo amoris incendio ad ſentiendas diuitias & delicias amoris Dei erga ipſos incompre-



Digitized by Google

henſibiles repentino motu excitantur. Ex hoc autem amore mira compunctio, intima contritio, ac præteritorum peccatorum dolor generatur, vt in B. Maria Magdalena, quæ à Chriſto amoris iaculis confixa, ſtatim ad eius pedes lacrymarum riuulos ab oculis fundens, ineffabili affecta dolore corruit. Ex compunctione mox quidam affectus amoris ſiue deuotionis ſenſibilis promanat, quo animo miro modo excitatur & inardeſcit ad diuinam bonitatem ac liberalitatem redamandam, ac ad benedicendum & gratias agendum ei, immenſa ſibi collata beneficia proſpiciens: ita vt iam ſibi dulce & ſuaue appareat, quod anteà amarum & laborioſum videbatur: ſentit enim intra ſe gratiam quamdam ſenſibilem, ſiue ſapidum quemdam erga Deum & res diuinas amorem, qui à dono Sapientiæ, quod præcipuum eſt inter alia Spiritus ſancti Dona, dimanat, per quem facilè rebus omnibus creatis valefacit.

Ideò verò amor iſte ſenſibilis gratię nomine comprehenditur: quia quamuis à Sapientiæ dono promanet, profluit tamen ab eo ſecundùm inferiorem eius gradum. ſunt enim in hoc Dono, quemadmodum ſuperiùs diſſeruimus, tres perfectionis gradus; infimus ille verò eſt, quando ſapida illa cognitio & dilectio, quæ huius Doni eſt proprius actus, in inferioribus animæ viribus gustatur, & à vitæ ſpiritualis tyronibus experimẽtaliter percipitur. Gradus iſte amoris, quo anima ſuæ vocationis initio feliciter à Deo vulneratur, meritò à venerabili viro Richardo de S. Victore, Tract. de Gradib. violen. charit. *Amor vulnerans* appellatur, iuxta illud Cantic. 2. *Vulnerata charitate ego ſum. Quia amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque tranſuerberat. Interim vt deſiderij ſui æſtus cohibere*

*vel diſsimulare omnino non valeat, deſiderio ardet, feruet affectu, æſtuat, anhelat profundè ingemiſcens, & longa ſuſpiria trahens. Hæc tibi animæ vulneratæ certa ſint ſigna, gemitus atque ſuſpiria, vultus pallens atque tabeſcens. Hic tamen gradus interpolationem recipit, & incumbentium negotiorum curis & ſollicitudinibus cedit. Febricitantium itaque more, qui hoc typo vexantur, nunc acriùs vruntur, nunc occupationum ſuarum occaſione aliquantulùm recreantur, ſed iterùm poſt modicam interpolationem æſtuans ardor feruentior redit, animumque iam fractum acriùs incendit, & vehementiùs vrit. Sæpè itaque recedens, ſemper ſeipſo maior rediens, paulatim animum emollit, vireſque effringit atque exhaurit, donec plenè animum ſibi ſubigat atque ſubſternat, iugique ſui memoria totum occupet, totum implicet, totum obliget, ita vt hoc ei excidere, aut aliud cogitare non poſſit, & iam de primo gradu ad ſecundum tranſit.* Et infrà eodem cap. loquens de eodem amore vulnerante, illum incipientibus etiam à Deo donari docet his verbis: *Hic eſt cibus ille cæleſtis, qui egredientes de Ægypto ſolet reficere, & per ſolitudinem paſcere. Hoc eſt illud manna abſconditum, quod nemo nouit, niſi qui accipit.* Hactenus Richardus.

Primus hic amoris violenti gradus à D. Bonauentura in Tract. de Septem gradib. Contempl. vocatur ignis. *Primo*, inquit, *anima ignitur, ignita vngitur, vncta rapitur*, &c. Et infrà: *Ignis hic eſt diuini caloris vel amoris vehemens feruor, qui contemplatiui viri animam, cùm ſe ad orandum Deum effuderit in conſpectu Dei, ſubitò eam valdè perlucido ſplendore irradiat, quamplurimùm ignit, & ardentes motus affectioneſque accendit, maloſque concremat & exſufflat, teporem inflammat, & torporem expergiſcere facit,*

*cit, atque ipſam totam animam, velnti veſpertinum quoddam & pinguiſsimum holocauſtum, diuino conſpectui repræſentat*. Hæc ille.

Solet etiam aliquando Deus amorem ligantem incipientibus elargiri, vt non ſolùm vulnerati, ſed & amoris vinculis ligati, tribulationum & tentationum tempeſtatibus concuſſi reſilire, aut ad Ægypti ollas, conſolationes humanas inquirentes, redire non valeant.

## CAPVT IV.

### *De voluptate ſiue oblectatione ſenſibili, qua incipientes ineffabili à Deo ſuauitate trahũtur.*

EST autem hæc gratia & oblectatio ſenſibilis, qua inferius animæ regnum, vires inquam omnes ſenſitiuæ, deliciarum & voluptatis quaſi riuulo irrigantur, donum Dei ſupernaturale (quod à Sapientia, Spiritus ſancti dono, promanat) adiuuans hominem & inducens ad maiorem ſuiipſius mortificationem, & ad retrahendum illum à labentium creaturarum amore, vt ſic hoc dulcedinis melle ablactatus, rebus tranſitoriis relictis, Deo mente & ſpiritu penitùs inhæreat.

Ex hac verò oblectatione & ſenſibili gratia, vt experti omnes clamant, ſpirituales deliciæ & voluptates incredibiles profluunt, quibus guſtatis repentè ſpiritus noſter tanto delectationis & internæ dulcedinis torrente potatur, vt ſe exiſtimet diuini amoris amplexibus penitùs inuolutum. Richardus de S. Victore, de Gradib. violent. charit. præclarè, vt ſolet, iſtam ineffabilem dulcedinem, quam anima ſolet in hoc primò amoris gradu experiri, optimè declarat. *In primo itaque*, ait, *gradu, Spiritus ille ſuper*

*per mel dulcis intrat ad animam,& dulcedine ſua inebriat eam, in tantum, vt habeat mel & lac ſub lingua ſua, & fiant fauus diſtillans labia ſua. Memoriam abundantiæ ſuauitatis eructabunt qui eiuſmodi ſunt, eò quòd ex abundantia cordis os loquatur. Hæc eſt prima conſolatio, quæ abrenuntiantes ſæculo primò excipit, & in bono propoſito conſolidare conſueuit. Hic eſt ille dulcor ſpiritualis & interna ſuauitas, quæ quaſi modò genitos infantes ſemper ſolet lactare & alere, & ad maturitatis robur paulatim perducere. In hoc itaq; ſtatu anima à Domino in ſolitudinẽ ducitur, ibiq; lactatur, vt interna dulcedine inebrietur. Audi quid de hoc ſtatu dicitur, vbi Dominus per Prophetã loquitur,* (Oſeę 2.) *Propter hoc, inquit, ecce ego lactabo eam, & educã eam in ſolitudinẽ, & loquar ad cor eius. Sed priùs oportet Ægyptum deſerere, priùs oportet Mare rubrum tranſire, priùs neceſſe eſt Ægyptios in aquis perire, priùs neceſſe eſt Ægypti cibos deficere, quàm poſſimus hoc ſpiritale alimentum cibumque cæleſtem percipere. Ægyptum non ſolùm corpore ſed & corde deſerat, mundique amorem penitùs deponat, qui cæleſtes illos ſolitudinis cibos deſiderat. Tranſeat Rubrum mare, omnem mœrorem & amaritudinem ſtudeat de corde expellere, qui ſatiari deſiderat interna dulcedine. Priùs ſubiugentur Ægyptij, pereantque mores peruerſi, ne degenerem conuiuam dedignentur ciues Angelici. Priùs neceſſe eſt Ægyptiacos cibos deficere, & carnales voluptates in abominationem vertere, quàm experiri liceat, quæ ſint illæ internæ & æternæ deliciæ.* Et infrà: *Abſque dubio, amor Dei quantò pleniùs omnem alium affectum vincit, tantò ſæpiùs, tantò vberiùs animum interna iucunditate reficit. Sub hoc itaque ſtatu mens ſugit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo: ſub hoc ſtatu ſtillabunt montes dulcedinem,*

*dinem, & colles fluent lac & mel: ſub hoc ſtatu animam eſurientem & ſitientem ſæpè Dominus viſitat, ſæpè interna ſuauitate ſatiat, ſpirituſque ſui dulcedine inebriat. Sæpè ſub hoc ſtatu Dominus deſcendit de cælis, ſæpè viſitat ſedentem in tenebris & vmbra mortis, ſæpè gloria Domini implet tabernaculum fœderis. Sic tamen præſentiam ſuam exhibet, vt faciem ſuam minimè oſtendat. Dulcorem ſuum infundit, ſed decorem ſuum non oſtendit. Infundit ſuauitatem, ſed non oſtendit claritatem. Suauitas itaque eius ſentitur, ſed ſpecies non cernitur. Adhuc nubes & caligo in circuitu eius, adhuc thronus eius in columna nubis; & lene quidem & blandum admodum quod ſentitur, ſed nubilum omnino quod cernitur: nondum namque apparet in lumine. & quamuis appareat in igne, magis tamen in igne accendente quàm illuminante: accendit namque affectum, ſed nondum illuminat intellectum; deſiderium inflammat, ſed intellectum non illuminat. In hoc itaque ſtatu anima Dilectum ſuum ſentire poteſt, ſed, ſicut dictum eſt, videre non poteſt. Et ſi videt, videt quaſi in nocte, videt velut ſub nube, videt denique per ſpeculum & in ænigmate, nondum autem facie ad faciem. Vnde & dicit:* (Pſal. 118.) *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum. Hoc igitur ex iſto primo dilectionis gradu agitur, vt dum mens ſæpè viſitatur, ſæpè reficitur, ſæpè inebriatur, quandoque ad maiora audenda prouocetur.* Hactenus Richardus.

Sanctus Diadochus lib. de Perfectione, cap. 69. *Solet*, inquit, *principio lumine ſuo in multo ſenſu*, id eſt cum magna voluptate, *animam colluſtrare: proceſſu verò certaminis; ſæpè myſteria ſua clàm in anima diuina contemplante operatur.* Idem Auctor cap. 90. eamdem ſententiam repetit, dicens: *Igitur Spiritus ſanctus initio progreſſus ſpiritualis, ſi virtutem*

*tem Dei feruidè amamus, annuit anima vt dulcedinem diuinam in omni ſenſu & plenitudine ſentiat, qua poſſit mens ſanctorum laborum præmium perfectum notitia exacta cognoſcere.*

S. Bonauentura de Septem gradib. Contemplationis, huiuſmodi ſuauitatem incipientium propriam comparat vnctioni. *Vnctio,* inquit, *eſt velut quidam roſeus liquor, qui per totam animam ſe diffundens, ipſam erudit, corroborat, & confortat, diſponens eam ſuauiter ad veritatis luculentias ſuſcipiendas atque pariter contemplandas. Hac cælica vnctione perlitus fuerat, qui dicebat: Vnxit me vnctione miſericordiæ ſuæ. De qua rurſum dicit Dauid: Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Hermon interpretatur lumen exaltatum. Habet autem ſignare infinitiſſimam Ieſu bonitatem. Ros igitur montis huius deſcendit in montem Sion, id eſt contemplatiui viri mentem, ipſius præcordia tam irrigando fecundans, quàm fecundando irrigans, & calorem ſcilicet primi gradus leniter temperans, ne plus ardeat quàm oportet. Quod enim purificat ignis concremando, hoc vnctio mulcet pinguedinem ſuam perfundendo, vt capi facilior ſit diuinorum & pulchrificorum radiorum ab æternaliter oriente aurora ditiſſimè emanantium. Quibus quidem ſalubriter perluſtrata, ita ſecundum Apoſtolum docetur de omnibus, vt nequaquam quiſquam ibidem locus ignorantiæ tenebris pateat, vbi fulgeat copia tam glorioſi luminis.* Hæc Bonauentura.

De his effectibus ſenſibilis gratiæ pulchrè loquitur Harphius lib. 3. cap 12. Myſticæ Theologiæ, vbi ſic ait: *Secundus gradus iſtius conſurrectionis perficitur in voluptate ſpiritualium deliciarum, quarum ſuauitate guſtata, repentè cor & omnes ſenſitiuæ potentiæ tanto torrente internæ voluptatis potantur, vt*

ſe

*ſe ſpiritus amans æſtimet diuini amoris amplexibus penitùs inuolutum. Quæ deliciæ cunctis mundi voluptatibus ſunt maiores, etiamſi omnes vna capere poſſet creatura. In cuius voluptatis infuſione Deus per dona ſua cordi ſic affecto pariter illabitur, tantæ ſuauitatis ſaporem & iucunditatis conſolationem ſecum ferens, vt cor ipſum voluptate dulciſſima faciat intrinſecus exundare. Cordis etiam tam ingens cauſat profluuium, quòd ſe homo præ vbertate lætitiæ nequeat continere. Nec mirum, cùm ebrietatem parturiat ſpiritualem.*

Huius mirabilis dulcedinis, incipientibus à Deo liberaliſſimè infuſæ, cauſam non erit difficile inuenire: procedit enim, tamquam ex fonte, ex abundantiori gratia ſenſibili à Deo mutationem vitæ inchoantibus communicante. Huius gratiæ mediante virtute ab illa proficiſcente, ſopit Deus mirabiliter temperatque furorem noſtrorum appetituum, vt nequeant rationi præualere, nec eam ad tempus vllo modo turbare, venenoſoſque illos affectuum noſtrorum ſerpentes ſic quodam modo incantat, vt viuentes & integri intra naturam noſtram permaneant, nec tamen illam intoxicare, illíve officere vllatenus poſſint, vti priùs faciebant. Idipſum indicauit Iſaias cap. 11. dicens: *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis.* Infans ab vbere ille dicitur, qui Deo primùm ſeruire inchoat, cui adhuc lacte opus eſt, donec adoleſcat. Delectantur itaque ſpirituales tyrones ſuper foramine aſpidis, eò quòd videant ſe in medio ſpiritualium ſerpentum viuere, & tamen virtute diuinæ gratiæ non percipere ab illis aliquod mortale nocumentum peccatis conſentiendo. Plenitudo enim gratiæ, quam Deus in hanc terram diſſeminat, incantat hos ſerpentes eum

eum in modum, vt non poſſint filijs Dei nocere.

Naſcitur præterea hæc ſpiritualis ſuauitas ex magnitudine lętitiæ & conſolationum ſpiritualium, quibus nouelli in ſuis initiis fruuntur. Hæc enim abundantia ſpiritualis adeò ſitim omnium deſideriorum extinguit, vt poſteà facillimè vincant, & à ſe proiiciant omnes alios affectus peregrinos. Inuento verò hoc bonorum omnium fonte, perit extemplò guſtus ille moleſtus omnium aliarum oblectationum: quia iam potati & recreati aqua diuinæ gratiæ, (de qua dicit Saluator Ioan. 4. *Qui bibit ex aqua quam ego dabo, non ſitiet in æternum*) facilè faſtidiunt omnes mundi delicias. Cùm itaque iam vas cordis noſtri plenum eſt cæleſtis illius liquoris ſuauitate, nulla ampliùs ſubeſt cupiditas, nec locus deſiderandi bona fragilia vitæ huius.

Hinc eſt quòd iuniores Aſcetæ ſæpè magis exhilarantur ſenſibiliter (ſi ſic dicere liceat) in oratione, meditatione, ſilentio, lectione, & ſimilibus exercitiis, quàm in conuiuiis, in iocis, in venationibus, aliiſque mundi huius conuerſationibus aut voluptatibus eſſent facturi: omnia enim illa iam oderunt, cruciatuſque eſt illorum meminiſſe, adeò vt ipſa caro nunc abhorreat ab illo quod priùs amabat, guſtumque & delectationem inueniat in eo quod priùs faſtidiebat.

## CAPVT V.

### *De aliis effectibus lætitiæ & oblectationis, quos ſenſibilis gratia etiã in corpore ſolet efficere.*

SANCTVS Bonauentura Proceſſu 7. Relig. c. 15. exactè explicat effectus varios diuinæ iucunditatis & ſuauitatis, quos incipientium anima in hac via

via experiri ſolet, dicens: *Circa hunc contemplationis exceſſum ſunt diuerſæ deuotionum ſpecies, vt iubilus, ebrietas ſpiritus, ſpiritualis iucunditas, liquefactio, quæ expertis & vacantibus explananda relinquo. Aliqua tamen breuiter tangam iſtorum. Et quia iubilus vſum non habet à Scriptura, videtur quòd iubilus ſit quoddam ſpirituale gaudium, cordi repentè ex aliqua deuota cogitatione vel collocutione infuſum, quod totum cor concutit ex ſui vehementia. Quoſdam tremore commouet, & delectabiliter cruciat; quia motus gaudij conſolatur: ſed ex impetu fortitudinis corpus debilitatur, & aliquando per riſum, aliquando per quoſdam clamores, aliquando per alios geſtus & ſingultus quaſi euaporando erumpit, non valens ſe intra ſe tacitus continere: Gregor. Iubilum namque dicimus, quando ineffabile gaudium mens concipit, quod nec abſcondi poteſt, nec ſermonibus aperiri, & tamen quibuſdam motibus proditur, quamuis nullis proprietatibus aperitur. Vnde Pſalmus 88. dicit: Beatus populus qui ſcit iubilationem. Non ait, Qui dicit, ſed, Qui ſcit: quia ſciri quidem iubilatio poteſt, ſed dictu exprimi non valet. Ebrietas ſpiritus dici poteſt qualibet amoris & gaudij deuotio, ex qua quaſi ex vini fortitudine feruor Spiritus ſancti ſic exhilareſcit, quòd ſe intra ſe cohibere non valet. Vnde Apoſtoli, Spiritus ſancti feruore æſtuantes, muſto pleni dicebantur. Et Iob (c. 32.) ait: En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo, quod lagunculas nouas diſrumpit. Nouas dicit, non veteres; vel quia veteribus cordibus non infunditur talis deuotio, ſed nouis, id eſt in nouitate vitæ ambulantibus. Vel nouas dicit, propter fortitudinem ſpiritus, quæ ſi nouas diſrumpit, quantò magis veteres, id eſt fragilia corda & infirma. Vel nouas dicit, quia talis feruor ſpiritus nouis & nondum exercitatis mentibus*

 nuper,

Digitized by Google

*nuper infuſus, minùs valet ſeſe cohibere, quin erumpat per inuſitatos gemitus, vel voces, vel ſingultus. Sic nouum vinum in vaſe ebullit, quod inueteratum quieſcit. Quandoq; etiam corpus quaſi obrigeſcit, & membra inhabilia & inflexibilia fiunt ex ſubita feruoris & ſuauitatis influentia. Et hoc poteſt eſſe; quia ſpiritus omnes diſtenduntur corde inflammato, quia extenſione neruorum, & obſtruſione viarum ſpiritualium, membra amittunt habilitatem officiorum ſuorum, vt lingua loquelæ, manus operationum, pedes & crura gradiendi, quouſque feruor iterùm remittatur, & via ſpirituum aperta fiant, vt priùs. Nec mirum, ſi hæc diuinæ affectiones poſſunt efficere, quarum virtus fortior eſt; cùm etiam humanæ affectiones hoc interdum valeant, vt ſubitus terror, & ſubita ac immoderata lætitia, & ſubitus dolor, & odium immenſum, & immoderatus amor. Sicut ſæpè compertum eſt, in ecſtaſim, vel ſtuporem, vel phreneſim ex huiuſmodi raptos feruore eſſe, & membra in rigorem vel tremorem verſa, vel etiam in febres ex vehementi moleſtia incidiſſe. Quid etiam mirum, ſi ex magna ſpiritus hilaritate, quam Spiritus ſanctus infundit cordi, aliquando erumpit in aliqua aperta hilaritatis indicia? vel ſi quandoque ſingultibus & affectibus apertis imperare non valeat, & huius internæ deuotionis motus abſcondere; cùm videamus ſæpiùs ex ſtulta leuitate à riſu & inſolentibus cachinnis non poſſe ſe cohibere, etiam vbi pudor humanus imperat diſciplinam? Et aliquando ex humana triſtitia, oborto fletu, non poßit homo ſibiipſi (quamuis libenter faceret) imperare? Cùm enim ſcriptum ſit: Deus noſter ignis conſumens eſt; &, Deus charitas eſt: quid mirum, ſi feruor diuinæ charitatis cordi infuſus totum hominem commouet? Sicut ſi vitro fragili, & ſi vaſi fictili bullientem liquorem, vel ignem ardentem infundas,*

*tre-*

*trepidationis fragorem concutit. Cor namque diuini amoris gaudio vel diuino fruitionis deſiderio inflammatum, in ſe dilatatur & extenditur, & quaſi intra anguſtiam pectoris ſe capere non ſufficiens quodammodò erumpere conatur, niſi flamma, quam intus patitur, foràs eructet; & ardoris ſui refrigerium qualecumque inueniens euaporet. Quod ſi non poteſt, vel ex humano pudore non audet; mirabiliter in ſemetipſo cruciatur, & corpus valdè ex talibus motibus debilitatur; quia virtus diuinæ dulcedinis intolerabilis ex imbecillitate terreni corporis, ſicut ſi ignem intrò immittas. Vnde legimus, Sanctos ex diuinis viſitationibus & reuelationibus corruiſſe.* Ita D. Bonauentura.

Henricus Harphius lib. 2. Myſtic. Theol. cap. 41. dum docet effectus, quos Deus, media hac voluptatis infuſione animæ illapſus, in ea tanta vi operatur, vt ipſam melliflua faciat iucunditate exundare, homoq; ſe continere nequeat, quin voluptas illa erumpat, adducit aliqua exempla, quibus explicat ebrietatem iſtam ſpiritualem, à qua deuotæ animæ abſorbentur, dicens: *Repentè inde oritur ſpiritualis ebrietas, de qua Dominus noſter in Canticis dicit: Bibite amici, & inebriamini chariſſimi. Sed iſta eſt adhuc groſſa ebrietas, tamquam ſi ruſticus eſſet ebrius à vino, quod non eſſet aſſuetus bibere. Sciendum verò, quòd ſpiritualis ebrietas eſt vberior affectiui ſaporis & internæ voluptatis in corde receptio, quàm cor ipſum poſſit exoptare, & diligere: qua humanum cor tanto ſtimulo diuini amoris & deſiderio diuinæ fruitionis tam validè inflammatur, apertiſque arteriis & meatibus in ſeipſo in tantum dilatatur, vt ſibi appareat pectus nimis paruum fieri, ſeque ibi ita anguſtatum, vt neceſſe ſit vbertatem ſpiritus cum violenti ardore erumpere: flammam etiam amoris magna abundantia*



Digitized by Google

*voluptatis conſotam, cogitur ſignis exterioribus manifeſtare, velit nolit; quia ſua violenta impetuoſitate commouet totum hominem; quemadmodum Apoſtoli dotati Spiritu ſancto videbantur ebrij eſſe muſto: quia eiuſmodi feruor, infuſus cordibus inexpertis & inexercitatis, in primis non poteſt compeſci quin erumpat inſuetis geſtibus, quos foris oſtendunt. Sicut vinum nouum recenter infuſum vaſi, ebullire neceſſe habet, quod tamen poſtmodum non ebullit, ſed ab omni operatione vel feruore quieſcit: ſic etiam iſta ſuperabundans gratia erumpit forás in geſtibus exterioribus variis modis: in quibuſdam per cantica diuina & iubilationes; in aliis, copioſis lacrymis & gemitibus; in aliis, diuerſis inſuetis vocibus aut ſonis quos edunt. Sicut Frater Maſſeus, qui in ſua iubilatione aliud non loquebatur niſi u u u. Alij membris omnibus tremunt, aut quibuſdam membris adeò inquieti ſunt, vt cogantur currere, quemadmodum legimus de Fratre Bernardo, primo filio ſpirituali S. Franciſci, qui plerumque multis diebus currere conſueuerat per montes & valles. Alij coguntur ſaltare, alij manibus plaudere, alij interiùs magnitudine voluptatis quieſcunt: quidam etiam habent adeò vigoroſos impulſus, vt eis videatur ſe pro abundantia voluptatis rumpendos inſtar vaſis abſque ſpiraculo muſto pleni. Et iſtis ſimilia contingunt modis innumeris, quibus omnibus abundantia ſpiritus manifeſtatur. Et hæc eſt delicatior vita, quam recipere poſſumus ſecundùm inferiores animæ vires, collectas in vnitate cordis.* Hæc Harphius.

CAPVT

Digitized by Google

## CAPVT VI.

### *Gratiæ ſenſibilis affluentiã eſſe aliquando valdè periculoſam, & animæ & corporis ſaluti.*

HI autem ſenſibilis deuotionis effectus, & ſi qui ſunt alij, de quibus infrà, magnopere ſunt periculoſi, tum quia ſæpè à dæmone cauſantur, tum etiam, quia etſi à Deo aliquando proueniant, plerumque imperfecti eis abutuntur. De vtroque periculo venerabilis vir Richardus in Pſal. 80. ſic ſcribit: *Impij, quibus erit in futuro væ, hîc quandoque etiam intimis donis reficiuntur. Inimici Domini (ait) mentiti ſunt ei, & cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit eos. Inimici ergo dicuntur, & tamen non tam ex frumento, quàm ex adipe frumenti ſaturantur, etiam myſtica & interna percipientes.*

Idem Auctor in Cant. c. 6. pleniùs huius amoris pericula eſt proſecutus, dicens: *Affectuoſa dilectio, qua ſuperiùs dilectionem animæ ſignificari diximus, interdum plus afficit minùs diligentem, & minùs perfectiorem. Non enim tantum diligit quiſque quantum hanc ſentit, & quantum in illo ſtatu ſibi diligere videatur; ſed quantum in virtutibus & charitate fundatus fuit, & in ſeruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus, quodammodò carnalis eſt & fallax, & humanitatis interdum potiùs quàm gratiæ, cordis quàm ſpiritus, ſenſualitatis quàm rationis: ita vt magis accedat aliquando ad minùs bonum, & minùs ad maius, & ad aliquid quod ſapit magis, quàm quod expedit. Hoc affectu errabant diſcipuli, & carnaliter Deum diligebant, cuius præſentia carere nolebant. Vnde etiam non diligere arguebantur, qui quod delectaret magis, quàm quod expediret, amplectebantur. Sic affe-*

ctuoſè interdum carnalis aliquis & imperfectus ad Deum afficitur, non quòd valdè diligat, ſed quia dulcedinem gratiæ deguſtat, quæ quantum durat, tantum iuuat, quamdiu durat dulcedo, durat & dilectio. Sed non agnoſcetur in bonis amicus. In die namque iſta Dominus quidem miſericordiam ſuam mandat, ſed in nocte tentationum & laborũ in præceptis declarat quantum quiſque diligat. Viſitatione gratiæ conſolatur Deus puſillanimitatem noſtram, iuuat infirmitatem, excitat voluntatem. Et quid mirum ſi infirmus vngatur gratiâ, cùm etiam malus Domino, cùm benefecerit ei, confiteatur? Itaque contingit vt puſillanimis, & dilectionis auidus, dilectione hac magis moueatur, & in quo ſenſualitas & carnalis appetitus potiùs quàm ratio dominatur. Interdum hanc magis ſentit leuis corde & inops gratiæ, faciliùs enim mouetur; qui leuior fuerit, expers conſolationis delectabiliùs oblatam recipit. Huius ergo dulcis affectus cauſa eſt interdum non gratiæ copia, ſed mentis inopia. Exigua enim lætificant pauperem. Non omnis qui dicit, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Non omnis qui iterùm atque iterùm dicit, Domine dulciter, ſcilicet affectuoſè, intrabit, ſed qui voluntatem Patris fecerit, qui mandata cuſtodierit. Voca me, & reſpondebo tibi, ait B. Iob c. 14. Vocat Deus per gratiam viſitantem, & reſpondebit homo per mandatorum impletionem. Vocatio non facit perfectum, ſed obligat: reſponſio per mandata iuſtificat. Fit etiam aliquoties affectus iſte dulcis à malo ſpiritu, vt dum minùs ei creditur, eique dum valdè delectat, inhæretur, ad debilitatem cordis homo perducatur. Item, vt per illius occupationem ab vtiliori opere reuocetur. Et item, vt eius abundantiâ fretus aliquis, ſe perfectum credat, & ad perfectũ minùs exerceatur. Per ſe quoque interdum aliquis gratiâ abutitur.

*tur, in vacuum hanc recipiendo, vel vtilius aliquod opus omittendo, ſiue finem ſui profectus in hac conſtituendo. Sicut enim ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſſe memoratur, ita gratia homini ſubiicitur, vt vel benè vel malè illa vtatur. Per hanc ergo offendit, qui vſum eius neſcit; ſicut etiam virtus in vitium vertitur, ſi nimiè vel extra tempus exerceatur.*

S.Bernardus ad Fratres de Monte Dei huic ſententiæ ſubſcribit, dicens: *In quo, proh dolor! plurimi falluntur: quia cùm paſcuntur pane filiorum, iam ſe eſſe filios arbitrantur; & deficientes vnde proficere debeant, ex viſitante gratia euaneſcunt à conſcientia ſua, arbitrantes ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſint; & de bonis Dei non emendantur, ſed indurantur, & fiunt, de quibus Pſalmiſta dicit Pſal.* 80. *Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula. Et cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos. Paſcuntur enim à Patre Deo aliquando de pretioſiore gratia ſubſtantia ſerui, vt affectent eſſe filij: ipſi verò gratia Dei abutentes efficiuntur inimici: vt enim abutantur etiam Scripturis ſanctis in peccatis, vel in concupiſcentiis ſuis redeuntes ad eas, per orationes dicunt ſibi illud vxoris Manue: Si Dominus voluiſſet nos occidere, non ſuſcepiſſet ſacrificium de manibus noſtris.*

Doctor Taulerus de hoc ſenſibili amore loquens, ita inquit c. 18. Inſtit. *Effectus verò, ſiue opus amoris, quandoque magnum aliquid eſſe videtur, vt eſt iubilatio, deuotio, & alia huiuſmodi; ſed hæc non ſemper potiora melioraque ſunt, cùm & ſine vera poßint charitate ſubſiſtere, & natura ſæpè huiuſmodi ſaporem ac dulcedinem miniſtrare ſoleat, vel etiam, Deo permittente, malignus ſpiritus ea in homine excitare queat, vt aliquo ille in pretio ab aliis habeatur. nec ille ſanctior dicendus eſt, qui hoc amplius abundat. Vnde*

*ſolerter eſt diſcutiendum, vtrùm à Deo, & cur à Deo præſtetur. Sapè namque huiuſmodi Deus pro ſua pietate largiri ſolet, vt hominem ad altiora prouocet, & in vita contineat integritate. Dum verò is cui hac conferre ſolebat, in vera dilectione proficit, hanc ei dulcedinis inſtillationẽ paulatim ſubtrahit. Porrò etiamſi quis in hac conſolatione Deo fidem ſeruet, adhuc tamen vigilanter ſatis inſpiciendum eſt, vtrùm ex vera dilectione procedat; & licet hoc eſſe conſtiterit, at ne ſic quidem optimum eſt.* Hæc Taulerus.

Solet etiam, idque non rarò, ſenſibilis gratiæ affluentia, niſi magna regatur diſcretione, corporis ſaluti non parùm nocere: nam multi in experimentali hac deuotione & amore tam imprudenter ſe gerunt, vt non ſolùm interiori ad Deum conuerſione ab ipſis magna violentia & impetu excitata, ſed etiam exteriori pœnitentia vltra vires naturę aſſumpta, corporis ſalutem deſtruant: ſolet enim in his aſpirationum exercitium adeò violentum & impulſiuum effici, quòd homo in ſua ad Deum conuerſione ſtatim ſentit circa cor magnum validumque motum, quia cor ſaltat in pectore, velut piſcis in aqua; ac propterea aperit ſe & claudit mirum in modum, ita vt etiam plerumque audiri poſſit. Ex hac igitur magna cordis agitatione, ſæpè ſolet in caput aſcendere magnus ventus, ac ſi gladio caput ipſum percuteretur: impulſus enim cordis ſurſum aſcendit, & ſi habuerit caput debile, durabit diu ille ventus; ſi verò fortis capite fuerit, tranſibit mox, exercitio dimiſſo. Quare omnino neceſſe eſt, vt vigoroſa iſta exercitia moderentur, aliàs caput omnino debilitabitur.

Similiter ex exercitio iſto vigoroſo ac impetuoſo euenire ſolet, quòd ſanguis circa cor, propter ingentem

gentem calorem & preſſuram bullire incipiat, præſertim in illis, qui natura ſua ſunt vehementiores ac ſtudioſiores in ſuis affectionibus; qui licet ſentiant præfatum calorem circa cor aut ſanguinis ebullitionem adhuc perdurare, ſolent in ſuis exercitiis ſine vlla diſcretione pergere, quouſque tandem perueniant in magnam tribulationem & anguſtiam: quia ſanguis ex continua ebullitione circa cor valdè incraſſatur, & hominis cor, quod natura ſua in omni iucunditate & ſenſibili amore aperitur, tunc naturaliter clauditur, eò quòd renuat ſanguinem illum iacentem circa ipſum recipere. Vnde etiam prouenit, quòd ſpiritualis iucunditas in mœrorem vertatur; quia clauſo corde, naturale eſt homini contriſtari. Hæc autem cordis clauſura tam firma effici contingit, vt nullo modo iterùm velit aperiri; quare tunc impetuoſi ac indiſcreti omni deuotione ſenſibili priuantur: ac præterea, cupientes amiſſam deuotionem reſtaurare, tam violentis aſpirationibus feruntur, vt earum vi & impetu, cor & natura lædantur: ſicut in cithara fides in tantum extenduntur, vt rumpantur; & tunc conqueruntur ſe à Deo derelictos, incidúntque in puſillanimitatem, & pænè in deſperationem; cùm tamen verè hoc ipſis per indiſcreta exercitia, quibus naturam inhabilem reddiderunt ad ſeruiendum ſpiritui, contingat. Quantò verò ampliùs pro deuotione recuperanda violenter laborant, tantò magis ab ea elongantur, ac per impatientiam cordiſque inquietudinem quotidie magis indiſpoſiti efficiuntur, obtenebrantur, & obdurantur, perueniuntque ad ineffabilem anguſtiam & tribulationem.

Nocent deinde ſaluti non parum, ratione nimiæ aſperitatis corporalis; quia cùm in affluentia ſenſi-

bilis gratiæ, naturæ infirmitatem non ſentiant, ſuſpicantur ſibi licere quidquid naturæ valent imponere, nec volunt conſiliis ſeniorũ acquieſcere: poſteà verò, naturâ iam conculcatâ & debilitatâ, ita vt de cetero non valeat ſpiritui deſeruire propter ſuam infirmitatem, tunc amiſſa iam deuotione ſenſibili, incipiunt percipere, quàm infirma ipſa natura effecta ſit. Quare & ſenſibili amore, & corporis ſalute orbati, in graues anguſtias & tribulationes deuoluuntur.

His qui debilitati ſunt deuotionis cauſa, conſilium prębet ſalutare S. Bonauentura Proceſſ. 7. Relig. cap. 21. dicens: *Quærunt autem deuoti aliquando ex deuotionis vehementia debilitati, Vtrum ſit melius, debilitatem corporis ſubire, & ſpiritum per deuotionis ſtudium cum Deo roborari, & gratiam oblatam non abiicere; aut pro nimia debilitate à deuotione ſe ſubtrahere, & ſpiritum extinguere, & exterioribus occupationibus ſe dare pro corporis releuatione? Ad hoc (ſaluo meliori iudicio) videtur conſulendum nimis debilibus, quòd interdum poſſunt ſe vtiliter ſubtrahere à ſtudio deuotionis, & conatu proprio non adhuc inſtare, nec quaſi extorquendo exprimant deuotionis affectum; quia tales violenti conatus debilitant etiam validiores. Si autem ſine laborioſo conatu offert ſe gratia, & ingerit ſe illis non quæſita, nec abiiciant eam ex toto, nec omnino totos ſe immergant ei, maximè ſi vehementer ex hoc debilitari ſe ſentiant, ſed temperatè & in quadam ſpiritus libertate ſuperficialiter inhæreant, iuxta illud Prouerb. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, quod ſatis eſt iuxta virium tuarum menſuram. Vtilius enim eſt, ad horam habere temperantiùs gratiam deuotionis, quàm omnino exhauſtis viribus, & deſtructa virtute naturali, totaliter eam perdere, & irre-*

*irrecuperabiliter ea carere: quia ſic deſtructi poſteà nimis incipiunt ſibimet compati, & vt recuperent vires amiſſas per indiſcretionem, non ſolùm delicatiùs, ſed etiam diſſolutiùs quàm expedit ſe habere; exhauſtis namque viribus, capitis maximè & cordis iuxtà, non auderent etiam ad ſtudium deuotionis per moram aliquam aſpirare, quia retrahit eos coatinuò moleſta debilitas. Et quò magis volunt contra illam conari, eò minus poſſunt. Et ideò conſultius videtur, conſolationes diuinas moderatiùs quærere, cùm debilitas corporis obſiſtat, vt diuturniùs eis frui poſſint, & auctas valeant tolerare, quàm ad breue tempus in eis ita indiſcretè delectari, vt eas poſteà fugere aporteat, & ſine ſpe recuperandi amittere propter virium defectionem; vaſe enim contrito liquor effunditur. Vnde dicitur in Pſal. 72. Defecit caro mea, & cor meum. quia cùm corporis virtus omnino deficit, cordis etiam vigor à deuotione langueſcit. Fit etiam plerumque ſtudioſis deuotionis, vt dum magis conantur habere deuotionis gratiam, minùs habeant; & cùm vehementiùs inſtant, aridiores & duriores corde fiant. ſicut in ſummis Feſtiuitatibus, & deuotis temporibus Paſſionis Chriſti, & Natiuitatis, & ſimilibus, & maximè cùm ad ſanctam Communionem ſtudent ſolicitè ſe præparare: & multi ex hoc ſæpiſſimè contriſtantur, & ex iſta parte turbati, ex cordis puſillanimitate interpretantur quòd fortè ſunt indigni viſitatione diuina, & quòd non placeat Deo vt ſic indigni & indeuoti ad ſacram Communionem accedant; & ſic ſæpè ſe ſubtrahunt à cibo vitæ, & medicina ſalutis. Sed cùm homini incertum ſit, an ſit dignus amore vel odio, ſecundùm rationem diſpoſitionis, & merita ſingulorum ſoli Deo ſint nota; non poſſumus ſecundùm veritatem vnicuique conſulere quid ſentire in hoc debeat, & facere.*

De

De aliis etiam periculis ortis ex hac dulcedine, & ex aliis gratiis ſupernaturalibus à Deo incipientibus collatis, Deo fauente diſſeremus inferiùs c. 10.

## CAPVT VII.

### *De aliis etiam oblectationibus externorum ſenſuum, quas ſolet etiam Deus incipientibus elargiri.*

SVNT etiam iucunditates aliæ, ſiue oblectationes ſenſibiles, quas Deus adhuc tyronibus & nondum exercitatis communicare ſolet: & quia in illo ſtatu animalis homo videtur ineptus ad ſpiritualia chariſmata percipienda, ideò Deus ea tantùm, quæ ſenſu percipiuntur, elargitur. Sunt enim (teſte D. Bonauentura Tom. 2. Proceſſ. 7. Relig. cap. 20.) quædam ſenſibiles oblectationes, quas in initio etiam conuerſionis ſenſibus externis ſolent multi experiri; quales ſunt, in olfactu mira fragrantia, in guſtu dulcedo melle ſuauior, & huiuſmodi alia. De his Caſſianus Collat. 4. c. 5. ita ſcribit: *Qua gratia nonnumquam e contrario negligentes ac reſolutos, inſpiratione hac quam dicitis ſancta, & exuberantia ſpiritalium cogitationum viſitare non deſpicit, ſed inſpirat indignos, exſuſcitat dormientes, & illuminat ignorantiæ cæcitate poſſeßos, clementerque nos arguit atque caſtigat, infundens ſe cordibus noſtris, vt vel ſic de inertiæ ſomno, compunctione ipſius inſtigati, ſurgere prouocemur. Denique frequenter etiam odoribus vltra omnem ſuauitatem compoſitionis humanæ, in his ipſis ſubitò viſitationibus adimplemur, ita vt mens hac oblectatione reſoluta, in quemdam ſpiritus rapiatur exceſſum, ſeque commorari obliuiſcatur in carne.*

Ple-

Digitized by Google

Pleniùs tamen de his Seraphicus Doctor, vt ſuprà, ita ſcribit: *Sunt etiam quædam ſenſibiles dulcedines, & ſuauitatis experientiæ, quæ deuotis quandoque infunduntur, vt mirabilis fragrantia odoris, ineffabilis ſuauitas ſaporis, & hymnidicæ melodia vocum & ſonorum, & tactu perceptibiles experientiæ indicibilium ſuauitatum, quæ cùm vera ſunt & à Deo, poſſumus exiſtimare, quòd aut dentur quibuſdam nouis & rudibus, qui ſpiritualia nondum intelligunt, vt ſaltem per ſenſibilia conſolentur in Domino, qui veritatem purè ſpiritualium non cognoſcunt, in quibus maior vis eſt, & certior veritas, & fructuoſior profectus, & purior perfectio. Aut quòd ideò dentur etiam perfectioribus in ſpiritu ſenſibiles conſolationes, propter redundantiam interioris dulcedinis; vt, ſicut anima communicat corpori ſuo, quaſi comiti & ſocio viæ, paſſiones ſuas, ita & cõmunicet ei conſolationes. Triſtante enim anima interiùs, etiam corpus tabeſcit exteriùs. Sicut ergo corpus collaborat ſpiritui & compatitur in merito, ita dignè comparticipatur & conremuneratur ei in præmio, non ſolùm futuræ gloriæ, ſed etiam præſentis gratiæ: ſicut domini in conuiuiis epularum tranſmittunt ſeruis ſuis reliquias ferculorum. Vnde dicitur: Sicut ſocij paſſionis eſtis, ita & conſolationis eritis. Et hoc eſt ex ſupereffluenti menſura, quæ datur electis, cuius redundantia ne effuſa depereat, excipitur à corpore, quod particeps fuerat in labore. Sed ſicut de viſionibus & reuelationibus, ita & de huiuſmodi ſenſibilibus experientiis ſciendum, quòd aliqui ſeducuntur in eis, putantes eſſe à Deo, quod fortè eſt phantaſtica deceptio. Et aliqui putant eſſe aliquid magni, quod in ſe nullius eſt meriti. Et aliqui extolluntur de talibus apud ſe, & iactant ſe quaſi de ſingulari gratia ſanctitatis. Habent etiam hoc proprium diuinæ dulcedinis*

expe-

*experientiæ, maximè cùm frequentiori vſu & valentiori motu influunt, vt ſpiritum reficiendo corpus debilitent, & ita quodammodò delectando affligant, ſicut ruſticum cibis groſſioribus aſſuetum, delicioſa fercula ſæpiùs ſumpta, alterando tabeſcunt & diſſoluunt. Ignobile namque corpus & corruptibile, ſicut pecus, brutalibus eſt aſſuetum, id eſt terreſtribus & vilibus, iuxta illud Gen. 3. Comedes herbam terræ; & hoc poſt peccatum.*

Quantum verò periculi ſit, huiuſmodi externorum ſenſuum perceptionibus aut experientiis inhærere, explicat Harphius lib. 2. c. 10. prope finem; his verbis: *Affectant oculis exterioribus videre Angelos, æternam vitam, infantulum in Sacramento, & ſimilia; vel cantantes Angelos audire, aut externam in Sacramento dulcedinem ſentire, & ſimilia in omnibus ſenſibus. Et idem optant intrinſecus in omni notitia, quæ recipi poteſt in viſionibus, in imaginibus, in formis, in ſimilitudinibus, in ſpirituali intelligentia, & in ſupereminenti agnitione Dei. Iſti autem in his ſuas affectiones & oblectationes conſtituentes, multùm gratis laborant, atque in periculoſo ſunt ſtatu deceptionis: nam frequenter inimicus, quando hoc notat, permittente Deo, ipſos decipit multiplici apparitione tam exteriùs in ſenſibus, quàm etiam interiùs, aut etiam in ſomno. Ipſi verò cum deſiderio & delectatione hæc ſuſcipiunt, cum proprietate poſſident, gloriantúrque in huiuſmodi, & ſe exaltant, magna de ſeipſis ſentiunt, ſibi ſapientes fiunt, in ſuo ſenſu obſtinati efficiuntur, & dæmonis filij. Idcircò qui ſecurè & fructuoſè ſe exercitare vult, omnia ſua exercitia ordinare debet ad valdè in ſe excitandum amorem Dei, & non ad obtinendam altam notitiam eorum quæ ſibi neceſſaria non ſunt. Et ſi aliquam cognitionem à Deo acceperit, tamen*

*men non debet in ea requieſcere, vel nimiùm credulus eſſe, niſi priùs ſtuduerit ſapienter & humiliter ſuper hoc conſulere illos, qui diſcretionem omnium ſpirituum habent. In illo verò dumtaxat requieſcere debet, quòd propter amorem Dei ſe ſemper paratum inueniat ad ſtandum in omni relictione.*

Demum illud prætereundum non cenſeo, ſæpè ex abundantia iſtius ſpiritualis lætitiæ, carnalem aliquando delectationem emanare, quod & experiuntur multi, & docuit D. Bonauentura Proceſſ. 7. c. 18. in fine, dum inquit: *De his verò, qui cùm aliquando dulcedinem ſpiritualem ſentiunt, continuò etiam carnalis delectationis pruritu fœdantur, neſcio quid iudicem, niſi quòd potiùs eligo illis carere floribus, quos de luti ſordibus legere deberem. Et ſicut illos damnare non audeo, qui inuiti quandoque in huiuſmodi ſpiritualibus affectionibus carnalis fluxus liquore maculantur, ita etiam excuſare neſcio, qui tali fluxu ex conſenſu condelectantur, qualiſcumque eorum intentio videatur*. Hæc D. Bonauentura.

Huiuſmodi carnalis delectationis eam exiſtimo potiſſimam cauſam, quòd hi qui eam patiuntur, non ſint benè purgati: quia teſte Philoſopho, omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Cùm igitur delectatio illa, quantumuis diuina & ſpiritualis ſit, redundet etiam in corpus animale nondum mortificationibus aſſiduis purgatum, imò forſan delectationibus carnalibus aſſuefactum, ac natura ſua ad eas valdè propenſum; non mirum, ſi ſpiritualis delectatio carnalis voluptatis induat conditionem; quod minimè contingit in viris perfectis, qui defæcatis mentibus gaudent. Illi verò qui delectationem illam carnalem ſimul cum ſpirituali experiuntur, ſi quantum in ſe eſt, delectationi carnali

nali non conſentiant, omnino erunt à culpa excuſati, vt ex D. Bonauenturæ verbis non obſcurè colligitur.

Richardus in Cantic. c. 37 non obſcurè docet, ineſſe etiam periculum peccati in huiuſmodi delectatione carnali ex ſpirituali deriuata. Quare remedium adhibet his qui illam patiuntur, vt ab illa dulcedine ſe retrahant, & ad aliquod bonum conuertant, dicens: *Horum dulcis affectus ſiue gaudium non eſt perfectum vel purum, quia de minùs mundato corde procedit: cooperatur enim in eis vel naturalis leuitas, vel proſperitas aliqua, vel tentatio peccati occulta. Tales per dulcem affectum interdum ad gaudium aſſuetum carnalitatis deuoluuntur: ignis enim carnalis concupiſcentiæ per tentationem adhuc vehemens eſt in eis, vnde hilaritate accepta, quaſi adhibitis lignis facilè accenditur. Horum affectus cùm in Deum dirigitur, contingit interdum vt ex occaſione locorum flatus leuior factus in carnalem mutetur, vt cùm ſpiritu cœperint, carne conſumment. Vnde aliqui in tali ſtatu carnis motum, vel etiam maiorem fragilitatem patiuntur. Iſtis dulcis affectus vertitur in peccatum. Vnde cùm carnis motum ſentiunt, ſtatim ſe retrahere ab hac dulcedine, & ad aliquod bonum conuertere deberent. Talibus magis expediunt amara, quàm dulcia; dura, quàm mollia: amaritudo ſcilicet & dolor pœnitentiæ, & labor pugnæ contra oblectamenta carnis vel propriæ voluntatis. Noxia enim delectatio ſuo contrario meliùs curatur; & ſuauia, ſicut ſenſualitatem delectant, ita & vires eius faciunt. Per dura itaque & labores falſa delectatio extinguitur, & requies mentis acquiritur, vt iuxta fluenta hæc ſedeatur, & ſuperna aliquatenus contemplentur.* Hæc ille.

CA-

## CAPVT VIII.

### *Viam purgatiuam ſupernaturalem aliquando à deſolationibus & afflictionibus inchoari.*

QVAMVIS familiare ſit Deo, peccatorem potiùs dulcedine & ſuauitate (ſecundùm illud Pſal. 20. *Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis*) quàm afflictione, cordíſve amaritudine ad ſe à vitiis ablactatum vocare, ac veluti trahere; aliquandò tamen ſolet afflictionibus & deſolationibus, idque non rarò, eum ad ſe veluti compellere. *Sepiam* (inquit Oſeæ 2.) *vias tuas ſpinis*. Quæ verba exponens D. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 1. ſic ait: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quærens eos & non inueniens, dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem, quia mihi benè erat tunc magis quàm nunc. Spinis enim electorum viæ ſepiuntur, dum dolorem punctionis inueniunt in hoc quod temporaliter concupiſcunt. Quaſi interpoſita maceria vis eorum obuiat, quorum nimirum deſideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profectò animæ amatores ſuos quærunt & non inueniunt, dum ſequendo malignos ſpiritus, nequaquam eas quas appetunt huius ſæculi voluptates apprehendunt. Benè autem ſubditur, quòd ex ipſa difficultate mox dicat: Vadam, & reuertar ad virũ meum priorem, quia mihi melius erat tunc, quàm nunc: prior quippe vir Dominus eſt, qui caſtam ſibi animam ſancti Spiritus interpoſito amore coniunxit: quem tunc mens vniuſcuiuſque deſiderat, cùm multiplices amaritudines velut quaſdam ſpinas inuenit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiſcit: nam dum aduerſitati-*



Digitized by Google

*bus mundi quem diligit anima morderi cœperit, tunc plenius intelligit quantò illi cum priore viro meliùs fuit. Eos ergo, quos voluntas praua peruertit, plerumque aduerſitas corrigit. Vnde & nimis timendum eſt ne ſequantur proſpera, cùm deſiderantur iniuſta: quia difficiliùs malum corrigitur, quod profectionis etiam proſperitate fulcitur.* Hæc ille. Adhibet enim Deus interdum flagella, vt ſæpè Patres teſtantur, vt quos non traxerunt beneficia, calamitates & labores veluti canes venatici ad eum ire compellant.

Hanc duplicem vocandi rationem optimè declarat Doctor Taulerus in Feſto Martyrum, dicens: *Ad hunc verò Dei amorem duplici via peruenitur. Prior eſt, delectatio affluentis gratiæ Dei. Hîc iucundum eſt homini in bonis deſudare exercitiis. Facit autem hoc ideò Deus, vt voluptates carnis in eo tantò citiùs reſtringantur. Itaque vendit hic ſeipſum homo ex amore, dum ſtrenuo ac virili animo cuncta temporalia oblectamenta faſtidit, adeò ea præ amoris magnitudine paruipendens deſpicienſque, vt in ſui admirationem rapiat omnes quos ipſe videre contingit. Quomodo & de Sanctis quibuſdam legitur, quòd tam celeriter ab omnibus huius mundi gaudiis, ſolatiis, delectationibus ſe abſtraxerint, tantaque cum ſtrenuitate auerterint, vt videre mirum fuerit. Facit hoc nimirum Spiritus ſanctus potentiſſimo amore ſuo, qui inſtar mortis fortis eſt. Altera via, reſignationis & crucis, ſeu afflictionis eſt. Hîc, vt præfati ſumus, omni homo ſpiritali ſolatio priuatur.*

Vnde optimè Richardus ab Incipientibus Deum (cap. 1. in Cant.) laboribus inquirendum docet. *In lectulo*, inquit, *id eſt, in quiete mentis quærendus eſt Deus, & per noctem, id eſt, per aduerſa tentationum & laborum, & in pugna virtutum & vitiorum, laborare.*

Digitized by Google

*rare. Siquidem animam oportet in multis aduerſis multiſque obſtaculis retardari, & graui colluctatione fatigari, antequam mores perfectè corrigat, & cordis munditiam obtineat, & Deum videre mereatur. Vnde meritò per noctem Deum quærere dicitur, per aduerſa videlicet & labores; & non in lecto, ſed in lectulo: quia quies à talibus habita, exigua eſt & anguſta, impugnãtibus nimirum animam vitiis, & priſtina conſuetudine, & præteritorum peccatorum memoria & delectatione. Ob quam cauſam dicit etiam ſuum lectulum, & non noſtrum, quia non communem hunc habere poteſt cum ſponſo, nec perfectè illo frui in tam exigua quiete, quia in pace factus eſt locus eius, & non in vitiorum pugna & perturbatione. Hoc modo ab incipientibus & nondum perfectis quæritur Deus in lectulo per noctem.* Hactenus Richardus.

Illud tamen oportet animaduertere, Deum hominem laboribus & afflictionibus trahentem, in initio conuerſionis ſingulari protectione eum ab hoſtibus tueri: eſſet enim omnino impoſſibile, hominem rerum ſpiritualium ignarum, à vitiis & paſſionibus non purgatum, niſi ſpeciali Dei gratia protectus, per difficillimam afflictionum, tentationum, deſolationumque viam ſecurum incedere.

## CAPVT IX.

### *De luce ſiue ſupernaturali contemplatione viæ purgatiuæ magis propria.*

CONSTANS eſt grauiſſimorum Patrum ſententia, Deum incipientibus & imperfectis aliquando ſupernaturalia dona liberaliter communicare: nam & oblectationibus ſenſibilibus, aliiſque ſenſuum experientiis quamplurimis, vt ſuprà conſtitui-

ſtituimus, imò & viſionibus & reuelationibus non raro, vt inferiùs etiam dicemus, ad Dei opt. max. amicitiam inuitantur. Sed ſpeciatim Deum etiam imperfectis contemplationis gratiam concedere, docuerunt ſancti Patres. Gregorius in Homil. 17. ſuper Ezechiel. de hac re ſic loquitur: *Notandum verò, quòd intra portam vndique per circuitum feneſtræ obliquæ eſſe memorantur: non enim contemplationis gratia ſummis datur, & minimis non datur; ſed ſæpè hanc ſummi, ſæpè minimi, ſæpiùs remoti, aliquando eam coniugati percipiunt. Si ergo nullum eſt fidelium officium, à quo poſſit gratia contemplationis excludi; quiſquis cor intus habet, illuſtrari etiam lumine contemplationis poteſt: quia intra portam vndique per circuitum feneſtræ obliquæ conſtructæ ſunt, vt nemo ex hac gratia, quaſi de ſingularitate, glorietur.* Hactenus Gregorius.

Idem docent paſſim D. Bernardus, Caſſianus, Richardus, & alij Patres, vt latiùs lib. 1. de Contemplat. diuina, cap. 9. pertractauimus. Quales autem ſint Contemplationis gradus, ad quos incipientes diuinâ præuenti gratiâ aſſumi ſolent, oportet vt breuiter explicemus.

Eſt enim triplex Dei cognitio, vt D. Bonauentura de Myſtic. Theolog. cap. 3. par. 4. philoſophatur. Vna, qua per ſpeculum creaturarum ſenſibilium ad cognitionem inuiſibilium aſcendimus. Alia, quæ intelligentiæ exercitio per immiſſionem ſpiritualium radiorum docet primam cauſam perfectè cognoſcere, de qua D. Auguſtinus in lib. de Magiſt. & ver. relig. ſæpè facit mentionem. Alia verò eſt iſtis multò excellentior, per amorem ardentiſſimum vnitiuum, quæ actualiter, ſine omni medio animum diſponente, ardentiſſimè facit in dilectum

ſuis

ſuis extenſionibus ſurſum actiuis conſurgere, quæ Myſtica Theologia dicitur; quæ conſurrectio per ignorantiam dicitur, quia remoto omnis imaginationis & rationis actu, per vnitionem ardentiſſimi amoris id ſentit in præſenti, quod intelligentia capere non ſufficit.

Iuxta hunc triplicem contemplationis gradum, tres Hierarchias in mente humana, adinſtar Angelicarum, lib. 2. de Contemplatione diuina, & libro 1. cap. 3 conuenienter diſtinximus. Prima autem Hierarchia ad Incipientes, ſecunda ad Proficientes, tertia ad Perfectos reducitur. Diſtinximus enim ſuperiùs lib. 1. tres ſupernaturales vias, in prima, quam viam Purgatiuam ſupernaturalem vocauimus, incipientes. In ſecunda, quæ Illuminatiua, ſupernaturalis dicitur, proficientes. In tertia, quæ Vnitiua ſupernaturalis appellatur, perfecti, quaſi veterani milites, recenſentur. Prima, quæ inferior eſt, vtpote quæ in imaginatione ſenſibus externis adiuta collocatur, viam ſupernaturalem purgatiuam ingredientibus familiaris eſſe ſolet. Secunda verò, quæ illuſtrior eſt atque ſplendidior, vtpote in intellectu ſeu ratione reſidens, ad viam illuminatiuam, quæ nobilior eſt, reducitur. Tertia demum via, quam vnitiuam ſupernaturalem vocamus, cuius eſt, purgata iam mentis acie ac ſine phantaſmatum nubibus diuina contemplari, & arcano nexu Deo vniri, ibique velut in arce Sion, pace, quæ ſuperat omnem ſenſum, & voluptate puriſſima perfrui, tertiam contemplatiuorum Hierarchiam, veluti propriam ſedem, libentiſſimè complectitur.

Illam igitur primam contemplantium Hierarchiam, quæ ad incipientes pertinere dignoſcitur, in primo animæ noſtræ cælo (ſecundùm quod interio-



Digitized by Google

terioris orbis cælos in lib. de Contemplatione diſtinximus) hoc eſt in imaginatione, non ſine rationis admixtione, potiſſimùm reſidere ibi annotauimus. Eſt enim primum hoc cælum, ſiue prima contemplantium Hierarchia, in quo lucet primus doni Intellectus radius, quo imaginatio, non ſine comite intellectu, tacta, ex corporalibus iſtis quæ ſenſu hauriuntur corporeo, percipere incipit quàm ſint multa, quàm magna, quàm diuerſa, quàm pulchra vel iucunda, quæ in Deo inuiſibilia ſunt, & in omnibus his creatricis illius ſummæ artificis potentiam, munificentiam mirando veneratur, & venerando miratur. Creatoris enim opera omnia quæ viſibilia ſunt, ad hoc creata fuere, & taliter diſpoſita, vt & præſentis vitæ vſibus deſeruirent, & futurorum bonorum magnitudinem adumbrarent.

Vnde non immeritò contemplatio, quæ ad viam purgatiuam ſupernaturalem ſiue primum cælum ſpectat, in tria exercitia, ſiue, vt conuenientiùs loquar, in tres gradus ſiue ſpecies diſtribuitur. Primus & infimus gradus, ex creaturarum viſibilium contemplatione ad diuinas perfectiones contemplandas gradatim miraque ſuauitate conſcendit; ſunt enim rerum viſibilium formæ, quaſi inuiſibilium picturæ & imagines. Quare vt in hac prima contemplationis ſpecie mens ad inuiſibilia aſſurgat, corporeæ ſimilitudinis baculo ſe ſuſtentat, & veluti per quamdam rerum corporearum ſcalam ad diuina ſe erigit, ad cuius aſcenſum intellectus ab imaginatione, cuius eſt corporeas has imagines repræſentare, manuducitur. Secundus gradus eſt, cùm contemplatiui ex mira Scripturarum penetratione, latentes ſub cortice ſenſus mediâ doni Intel-

lectus

lectus illuſtratione penetrant, ac incredibili ſuauitate deguſtant. Tertius denique, cùm ex Sapientia incarnata Chriſto Ieſu Saluatore noſtro ad incomprehenſibilis Deitatis perfectiones contemplandas, ac theſauros ſapientiæ & ſcientiæ Dei exhauriendos diuinitus ab ipſo Deo eleuamur.

Sunt enim hæc tria exercitia, veluti tres libri, in quibus partim characteribus & manifeſtis notis, partim hieroglyphicis ac ſymbolis mirabiles Dei perfectiones exarantur. Primus liber eſt, mundus viſibilis; ſecundus, Scriptura ſacra; tertius, Sapientia incarnata. Toties igitur contemplatio ad viam purgatiuam pertinebit, quoties rerum omnium viſibilium, quæ ad tria prædicta capita ſpectant, rationem ſenſúmve latentem rimamur; inuento autem eo, admiratione ſuſpendimur: cùm verbi gratia, aſpicientes huius mundi machinam, Scripturæ profunditatem, Veritatis incarnatæ immenſitatem, ad contemplandum quàm mirabiliter omnia facta ſunt, quàm conuenienter ordinata, quamque ſapienter diſpoſita, mente aſſurgimus. De his tribus gradibus latiſſimè lib. 3. de Contemplat. egimus, breuiter nunc aliqua perſtringemus.

Hoc igitur primum Contemplationis genus conſiſtit in ſpeculatione & admiratione rerum corporalium huius mundi, eorum inquam omnium, quæ per quinque corporis ſenſus ingrediuntur ad animam. Et eſt quidem hoc omnium infimum, & ad incipientes ſpectans: ab hoc enim ſolet Spiritus ſanctus, medio Sapientiæ doni influxu, ſecundum eius inferiorem gradum inchoare, vt paulatim rudiores poſſint ad altiora, quaſi quibuſdam perfectionum gradibus, aſcendere. Ad hoc vtique cdntemplationis genus quæuis cognitio & admiratio Creatoris,

quæ ex rerum corporalium conſideratione conſurgit, ſine dubio ſpectat.

Habet hic primus Contemplationis gradus materiam copioſiſſimam & ſatis prolixam; hîc ſibi inueniet quiſque vbi contemplationis ſuæ vela expandat. Exercuerunt ſe etiam multi Philoſophi in hoc genere contemplationis: cœperunt enim latentes rerum cauſas inueſtigare & inuenire; ſed defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: non enim erat eiuſdem facultatis, Phyſicas rerum rationes inuenire, & diuinorum iudiciorum profunditatem ſcrutari. Quare euanuerunt in cogitationibus ſuis, eò quòd non poſſit inuenire homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. Reuelat autem Deus per Spiritum ſanctum, quæ abſcondita ſunt ſapientibus, paruulis quibus vult, quando vult, & quantum de his ſcire oportet.

Sed vt faciliùs in hoc mirabili creaturarum libro vberiorem contemplationis materiam adinuenire poſſimus, ſeptem creaturarum conditiones ex D. Bonauentura lib. 3. cap. 6. de Contemplatione conſiderandas eſſe diximus; nempe cunctarum rerum originem, magnitudinem, multitudinem, pulchritudinem, plenitudinem, operationem, & ordinem; à quibus ſumitur ſeptiforme diuinæ bonitatis & ſapientiæ teſtimonium. Plura de aliis circumſtantiis inueſtigandis in creaturis, ex quibus ad Creatoris perfectiones, veluti per gradus, ad Salomonis thronum conſcendere poſſumus, prædicto loco annotauimus.

Secundus gradus ſiue exercitium viæ purgatiuæ ſupernaturalis eſt, ſub Scripturæ ſacræ velamine profundos & myſticos ſenſus contemplari: ſolet enim Spiritus ſanctus, medio Intellectus dono, con-

contemplantium mentibus ſe inſinuare, & lucis ſuæ radios tam copioſè illi infundere, vt ſub ſacræ Scripturæ velamine veritates abſconditas penetrare, & ſub litteræ cortice ſublimes cæleſteſque theorias ſoleant percipere: plerumque enim animæ puræ Scripturarum contemplationi incumbentes, tot ac tam multiplices profundoſque ſenſus venantur, quot ſunt ferè verba in nouo & veteri Teſtamento, omneſque illos ad diuini amoris fomentũ referunt.

De his duobus viæ purgatiuæ contemplationis gradibus præclarè S. Laurentius Iuſtinianus de Caſto connubio, cap. 19. ſequentibus verbis diſſeruit: *Varij quidem ſunt contemplationum gradus, iuxta qualitates gratiarum & meritorum menſuram. Quandoque etenim mens trahitur ad Dei notitiam creaturarum conſideratione, circumquaque perluſtrat, & in cunctis tremendam Dei potentiam, admirabilem ſapientiam, amplectendamque conſpicit clementiam. Tot laudantium audit voces, quot creaturarum intuetur ſpecies; quamdam quoque ſpiritualem ſentit in corde harmoniam, quæ interiora omnia complet iubilatione. Non enim à Conditoris ſe valet continere laude, cùm vniuerſa in diuinis præconiis occupata intelligit opera. Si cæleſtia aſpicit corpora, hoc agnoſcit: ſi elementales conſiderat ſpecies, hoc guſtat. Omnia vocibus ſuis iucundiſſimum agunt concentum; vnde fragrantiſſima reſperſus ſuauitate animus tacitè vociferare compellitur & dicere: Domine, quis ſimilis tui? In vniuerſis quippe creaturis Deum intuetur, & per ſingulas delectabiliter paſcitur. Hunc habere ſe ſenſum expreſſit Propheta Pſal. 98. cùm ait: Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Liber quidem pulcherrimus intus & foris depictus eſt creaturarum vniuerſitas, in*

*quo Dei perſpicua habetur notitia. Propterea in Sapientia volumine cap. 3. continetur ſic: A magnitudine enim ſpeciei creaturæ, cognoſcibiliter poterit horum creator videri. Eſt & alius contemplationis gradus ſuperiore maior, cùm mens in ſanctarum dilatatur meditatione Scripturarum. Eſt namque Sacra pagina Sapientiæ Verbi ſpeculum, & Diuinitatis armarium. Nullus in ea purè, prudenter, humiliterque accedens, recedit vacuus. Omnium quidem morum ſcientiam continet. Quis non Dei miretur ſapientiam, cùm tot myſteriorum ſacramenta, tot veritates ſub littera cortice eſſe videt contenta? In ipſa prædicatur omnipotentia diuina, cùm de mundi creatione modum inſinuat, multaque narrat Dei magnalia; nunc per Angelorum miniſteria, nunc per hominum inſtrumenta. Sanctæ paginæ potiſſimè bonitatem Conditoris commendant. Noſtram voluit per has Deus erudire ignorantiam, informare fidem, ſpem ſolidare, ablactare à viſibilibus, & inuiſibilibus paſcere.*

Tertius denique gradus incipientium potiſſimùm verſatur circa contemplationem Sapientiæ incarnatæ. Cùm enim Chriſtus Dominus ſit totius Scripturæ finis, poſt aſcenſionem mentis in Deum per contemplationem Scripturarum, recto ordine ſequitur, vt ſub velamine Veritatis incarnatæ ad altiſſimas Diuinitatis theorias conſcendamus. Velamina autem Veritatis incarnatæ ſunt omnes infirmitates & defectus, quos pro nobis Verbum in natura humana aſſumpſit, vt paſſibilitas, fames, ſitis, &c. quæ omnia Intellectus donum facit penetrare vſque ad inueſtigationem nudæ & puriſſimæ veritatis. Docet hoc ipſum Veritas incarnata, dum inquit Ioan. 15. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* quia docebit nos Chriſtum,

ſtum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ Dei abſconditi. Hæc eſt via plana, ſecura & breuiſſima perueniendi ad altiſſimam Diuinitatis contemplationem.

In Chriſto igitur Saluatore noſtro omnes Dei perfectiones mirè reſplendent. In primis, diuinæ bonitatis altitudo, qua ſeipſum nobis liberaliſſimè communicauit, ac tanta pro noſtro amore pertulit mala. Reſplendet etiam diuina potentia, cùm per crucis infirmitatem de inimicis victoriam reportauit, ac paruo ligno genus humanũ, quaſi alter Noë in arca, in æternitatis portum tranſuexit. Præterea, quantum eius iuſtitia refulgeat, conſtat ex eo, quòd ab hominibus, quos tam ardenter amauit, plenam & rigoroſam ſatisfactionem, effuſo proprio Sanguine vnigeniti ſui Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti exegerit. Et vt alia taceam, in Chriſto Domino diuina & infinita emicat ſapientia, qui tanta ac tam ineffabilia media, & inter ea præcipuè vnionem hypoſtaticam pro humani generis ſalute excogitarit. Ac demum, nullum eſt Dei attributum, nulláve perfectio, quæ in Chriſto Domino perfectiùs ac ſublimiùs, quàm in omnibus rebus creatis ſimul acceptis non conſpiciatur. Quare meritò de ſeipſo Ioan. 14. dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita.* Dicitur autem Chriſtus via: vt enim via eſt, per quam à termino vno ad alterum fit tranſitus; ita per Chriſti humanitatem ad Diuinitatis cognitionem ſubleuamur.

Hæc autem Chriſti vtiliſſima contemplatio copioſiſſimam continet materiam: nam modò Chriſti myſteria, vt Incarnationis, Natiuitatis, &c. modò eius amariſſimam paſſionem & crucem intrantes, ad altiſſimam Diuinitatis cognitionem ſubleuamur,

Digitized by Google

uamur; ac ingredientes ad illam, ac iterùm ad humanitatem egredientes, tam in ingreſſu quàm in regreſſu, paſcua vberrima inueniemus. Sunt innumeræ aliæ contemplationum Chriſti ſpecies, quas puræ mentes Intellectus dono illuſtratæ vno intuitu ſuauiſſimè conſpiciunt. De hoc tertio genere Contemplationis latiùs S. Laurentius Iuſtinianus in lib. de Diſcipl. Monaſt. & perfection. c. 8. ſcripſit.

Omnia denique quę ad Chriſti Domini contemplationem ſpectare poſſunt, cum D. Bonauentura ad ſeptem capita in lib. 3. de Contemplat. cap. 2. reduximus; quæ ibi, & alia quæ ad contemplationem viæ purgatiuæ ſupernaturalis pertinent, pleniùs tractauimus.

## CAPVT X.

### *De raptu, viſionibus & reuelationibus incipientium, ac de cautela in his habenda.*

NVLLVM eſſe genus contemplationis quod non poſſit etiam cum mentis exceſſu contingere, ex Richardo lib. 4. c. 22. de Contempl. ſuprà docuimus, qui expreſsè in fine capitis omnia contemplationum genera poſſe vtroque modo fieri, modò per mentis exceſſum, & modò ſine aliquo mentis exceſſu exerceri, aptè declarat. Quare, quamuis familiare ſit & proprium proficientibus in via illuminatiua ſupernaturali, ſine vlla animi alienatione in contemplationem aſſurgere, aliquando tamen ex diuina reuelatione contingit, vt ea omnia quæ in contemplatione ſobria mente fiunt, mens humana ſeipſam excedens, ac in ſenſuum alienationem tranſiens, mentis exceſſu conſpiciat. Quod aliquando ex nimia cognitionis actuatione & vehe-

menti

Digitized by Google

menti intenſione promanat, præcipuè in inexercitatis & incipientibus, qui velut inexperti, & rebus diuinis non aſſuefacti, facilè earũ nouitate ſuſpenduntur, ac dulcedine abſorbentur. Iſta verò eſt infima ſpecies raptus, primò ex parte obiecti, quia cùm ex contemplatione & cognitione rerum ſenſibilium, qualis eſt, quæ in via purgatiua in incipientibus inuenitur, oriatur, vt ex præcedenti capite clarè liquet; inde fit vt cauſa raptus ex parte obiecti ſit inferior aliis, quæ ad viam illuminatiuam & vnitiuam ſpectant. Secundò, quia quamuis aliquando raptus violentia ex diuina reuelatione & aſpiratione omnino proueniri poſſit; tamen non rarò in imperfectis non tam ex diuina inſpiratione, quàm ex propria debilitate & intentione procedit.

Reſtat deinde, vt de viſionibus & reuelationibus quæ ab incipientibus etiam alienæ non ſunt, aliquã dicamus: de quibus optimè S. Bonauentura 5. Itin. ætern. diſt. 2. poſtquam tres reuelationum gradus diſtinxerat, inquit: *Prima reuelatio ſenſibilis fit ſimpliciter viuentibus, Ægyptum huius mundi exire deſiderantibus: vnde quibuſdam Patribus fiebant ſenſibiles reuelationes, vt exemplificat Dionyſius, ſicut Paſtoribus, & quibuſdam aliis.* Et infrà diſt. 3. loquens de reuelatione ſine viſione ſenſibili, inquit: *De qua notandum eſt, quòd hæc reuelatio fit plebi ſimpliciter viuenti, de Ægypto temporali iam exire deſideranti ad terram promiſſæ æternitatis. Et hæc reuelatio, vt dicit Richardus, ſcilicet ſenſibilis, fit dupliciter; fit enim quandoque per ſigna ſenſibilia, vt quando res videtur corporalibus ſenſibus extrà abſque ſignificatione myſtica, vt Pharaonis, & huiuſmodi, qui nullum ſenſum ſpiritualem vel myſticum intellexerunt; & ſic non fuit reuelatio facta illis, quia vltra ſenſum nihil manifeſta-*

*tum*

*tum fuit. Eſt & alia reuelatio ſenſibilis, ſiue viſio corporalis, quæ fit ſenſibus exterioribus, vt quando res videntur, in quibus latet ſignificatio myſtica, qualis facta fuit Patribus veteris Legis, & nouæ, vt dictum eſt, vt patet per Dionyſium, qui myſteria nouerunt, vt Abraham, Iſaac, & Iacob. Neceſſitas huius reuelationis fuit (vt dicit Dionyſius in Epiſtola ad Titum) vt homo, qui conſtat ex duabus naturis, anima ſcilicet rationali, quæ ſimplex eſt in eſſentia, & corpore compoſito, iuxta vtriuſque naturæ proprietatem illuminetur diuinis cognitionibus, vt & mens eius puras, & ſimplices, & intimas ſignorum ſenſibilium intelligentias ſegregatè ab ipſis ſignis conſpiciat, & ſenſualitas einſdem per naturæ proprietatem coaptetur mentali cognitioni, & ſic ad diuina extendatur.* Hæc ille.

Hę verò viſiones & reuelationes, ſimiléſve dulcedines, quæ in via purgatiua euenire ſolent, vel ſunt periculoſæ, vel frequenter falſæ. De quibus S. Bonauentura Proceſſ. 3. Religionis meritò ſcribit: *Quantò plus quiſque ſecundùm has regulas ordinatus eſt, tantò ſpiritualior eſt: iſta habere, eſt ſpiritualibus cõſolationibus foueri. Nam aliæ conſolationes, ſicut non ſunt neceſſariæ ſaluti, etiam ſuſpectæ ſunt, & ſæpè falſæ, fictæ, & deceptoriæ, vt viſiones, reuelationes, prophetiæ, ſenſuales conſolationes, oblectationes, miraculorum operationes, maximè modernis temporibus, licet quandoque reperiantur veræ, ſed in paucis. Datur autem ſpiritualis conſolatio nouis Religioſis quandoque, vt videant quàm largè Deus remunerat ſibi ſeruientes, & quàm bonum eſt ſeruire tam dulci Deo. Item ad confirmationem fidei, ad robur ſpei, ad charitatis aſcenſionem, ad deſiderij inflammationem, ad eruditionem, vt videant quomodo pergendum ſit, ſicut in tenebris lumen oſtenditur, vt videatur quomodo ſit*

*eun-*

Digitized by Google

eundum, & quid cauendum. Item ad muniendum contra tentationes. Et Proceſſ. 7. c. 18. de eadem re agens, ita inquit: *Non videtur autem prætermittendum, quòd quidam decepti à ſeductoriis ſpiritibus, vel propriis falſis opinionibus, putant ſibi apparere in viſione vel ipſum Chriſtum, vel eius glorioſam Genitricem, & non ſolùm amplexibus & oſculis, ſed etiam aliis indecentioribus geſtibus & actibus ab eis demulceri, vt ſicut ſpiritus ipſorum interiùs ab ipſis conſolatur ſpiritualiter, ita & caro exteriùs ſibi congruo oblectationis ſenſu ſenſibiliter demulceatur, & carnaliter conſoletur; quod non ſolùm eſſe falſum & ſeductorium, ſed etiam blaſphemia grauis eſſe comprobatur. Spiritus ſancti viſitatio, ſicut contra omnia vitia reprimenda & deteſtanda infunditur, ita & ſingulariter contra carnales illecebras opponitur. Et vbi ſpiritus munditiei ſuo iubare reſplenduerit, continuò omnes prauæ voluntatis motus euaneſcere, & velut tenebras ſubueniente lumine diſparere neceſſe eſt.*

Hoc ipſum confirmat Richardus Serm. 33. in Cant. dicens: *O quàm frequenter imperfecti & ignari gratiæ mouentur carnali gaudio, vel naturali alacritate, & moueri ſe putant ſpirituali conſolatione! quàm ſæpè ab inimico, vel à proprio corde aliquid ſentit homo, & à Spiritu ſancto hoc eſſe credit! Et quid mirum, ſi in deuotione ſe miſceat inimicus, & falſa loquatur, qui in ipſis etiam Prophetis loquebatur? qui etiam à ſuo ſpiritu aliquando dixerunt quod à Spiritu ſancto ſe dicere crediderunt? Non ergo debet homo ſequi ſui cordis cogitationem vel experimentum, cùm in huiuſmodi quoſdam Prophetas nouerit interdum fuiſſe. Nec ſolùm hæc pericula caueri oportet in ſtatu peccati, ſed etiam in ipſa gratia prudenter quid gerendum fuerit, eſt attendendum. Cum ſapientia*



Digitized by Google

*bibe vinum, ait Salomon. vino gratiam ſignificans. Et item legitur, quòd Spiritus ſanctus aufert ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.*

Et in hoc loquens propoſito S. Laurentius Iuſtinianus, ita in libro de Diſciplina Monaſtica, cap. 8. ſcribit: *Sed antequã ſapientiã imbuatur anima, priuſquam Dei Verbo amoris vinculo confœderetur, ſæpè labitur, errorem pro veritate ſuſcipiens. Plerumque tamen permittente ſponſo, vt ſibi ardentiùs dilectam copulet, aut ad altiora proueh at, aut prudentiorem efficiat, ſatanas in lucis Angelum transformatur, atque illo tamquam ſancto contubernio admiſcetur: quem cùm anima, adhuc cæleſtium ignara viſitationum, erroris admiſerit ſpiritum, & veluti Domino ſe illi ſubſtrauerit, ſine mora ſecedit ſponſus, & illicò ſuccedunt tenebræ, ac quædam opaca mentis hebetudo. Continuò obdureſcit animus, & propria confuſione contunditur, atque ex his quæ patitur, perſpicuè intelligit ſpiritum quem ſuſcepit inimicum.*

Conſonat ſuperioribus quod ſcribit Harphius lib. 3. Myſt. Theol. par. 2. c. 12. *Hîc tamen*, inquit, *diligentiùs intuendum eſt, quòd multi vigilias ſenſuum inueniuntur obſeruare, qui multarum cogitationum immiſſionibus, quaſi quibuſdam reuelationibus, ſuo iudicio ſe reputant abundare, vel etiam miranda per ſomnia videre. Sed hi, quia ſenſuum negotiis intendunt, impatientiam amoris ignorant, vulnera charitatis neſciunt. Sed dilectionis languore minimè detenti, ſani ægriùs elangueſcunt: nam angelus ſatanæ ſe transformans in Angelum lucis ad deceptionem incipientium incautorum vel elatorum, qui pleni ſunt vanitate, & vacui charitate, lumen quoddam phantaſticum infundit intrinſecus, à quo ſe ſentiunt veluti ſacco penitùs obuolutos. Et quia ſemper ad tales nouitates*

*& re-*

Digitized by Google

*& reuelationes aſpirant, in hoc lumine multa mirabilia per imagines phantaſticas percipiunt. Quædam enim diabolus immittit cogitatui, quaſi diuina fuerit inſpiratio, quæ quidem aliquando vera ſunt, ſæpiùs autem falſa. Et hæc nimis gratanter ab inexpertis acceptantur, & tamquam diuina ſtolidè venerantur, ac in talibus intimo cordis gaudio delectantur. Quo fit, quòd ab inani gloria paulatim depaſti, virulento pabulo diuini amoris affectum inficiunt. Aduertens ergo ſatanas miſellum fatuum vanis viſionibus delectari, vices multiplicat, viſiones ingeminat, vt infelicem illudat, donec tandem immiſſionibus friuolis ingeſta veraciter aſſerere, & pertinaciter defendere non formidat, ſimul cum operum ſuorum fructibus in barathrum ſerpentinæ ſeductionis & maledictionis ruiturus in æternum.* Hæc ille.

Notanda ſunt prætereà quæ idem Harphius par. 3. c. 49. fermè in hoc propoſito docuit, dicens: *Inueniuntur aliqui ſuperabundantes ſenſualibus affectionibus; & quando effundunt ſe ſupra aliquam rem per affectionem aut amorem, effuſio ipſa eſt adeò vehemens, vt facilè aut citò deficiant in aliis viribus, vel etiam in corporali natura. Quando igitur tales ſe introuertunt ad Deum (vbi immenſæ, magnæ, & multæ inueniuntur cauſæ amandi, qui & largus remunerator eſt oblati amoris, præſertim in tribus aut quatuor prioribus annis conuerſionis) inueniunt duplex inſtrumentum, ſenſibilis amoris, & deuotionis. Vnum eſt, natura affectuoſa; aliud, affluens ſenſibilis deuotio & amor: quæ redduntur à Deo, vt à largo remuneratore ſeruitij ſibi impenſi: ex quorum abundantia iſtiuſmodi homines adeò inebriantur, & etiam adeò guloſi efficiuntur ex ſenſione quà quotidie perfruuntur, vt ſe nulla alia re velint occupare, nec diſcere, vel laborare curent*

*quomodo ſibi ipſis moriantur, & virtutes acquirant, aut diuinum beneplacitum cognoſcant ad ipſum exequendum; ſed paulatim magis ac magis requiem ſuam conſtituunt in ſenſibili deuotione, & per hoc reddunt ſe Deo valdè ingratos, licet diu differat ſubtrahere ipſis ſenſibilem illam deuotionem, ſi fortè poſſent ad recognitionem & emendationem peruenire. Sed quantò diutiùs Deus præſtolatur, tantò guloſiores & inordinatiores fiunt, ad requieſcendum præcipuè in huiuſmodi ſenſione; quia natura corrupta ſemper magis auidè quieſcit in his quæ prohibita ſunt.*

Vnde Incipientibus magnopere eſt neceſſarium, huiuſmodi viſionibus aut reuelationibus non acquieſcere, magnamq́ue in his adhibere cautelam, vt inter alios proſequitur D. Bonauentura Proceſ. 7. c. 20. in initio, his verbis: *In omnibus igitur reuelationum & viſionum generibus magna cautela habenda eſt, ne falſa pro veris, noxia pro ſalutaribus, exigua pro eximiis, & incerta pro certis recipiantur. Solus autem Spiritus ſanctus per donum Conſilij, & per gratiarum diſcretionis ſpiritum, ſcit hominem expedire & certum reddere, quid in illis recipiendũ ſit vel reſpuendum, & quomodo eis vtendum, ſicut & per Prophetas & Sanctos docuit, quibus non ſolùm vera oſtendit, ſed etiam per veritatis teſtimonium, quæ vera eſſent, interiùs demonſtrauit. Aliis autem videtur ſecuriùs eſſe, talia non quærere oblata, nec citò credere, & deceptionis foueam timere. Aliquando etiam oblata, velut minùs fructuoſa, paruipendere; vt ſi vera ſint, ſe habeant indifferenter ad ea; ſi falſa, non innitantur eis, ne decipiantur: & ſi velint aduertere, quærãt ſuper his conſilium ſapientium ſolùm, & paucorum, & ad illa ſe ſtudioſè exerceant, quæ ſunt ſecura, meritoria & fructuoſa; quæ ſunt vitioſa extirpare, & virtutum ſtudiis fideli-*



Digitized by Google

*deliter inſudare, ſacræ Scripturæ ſacrum ſcrutari intellectum, & per orationis vſum mentem accendere ad deuotionis affectum. Hæc ſunt ſalubria, & ſecura, & fructuoſa ſtudia Religioſorum: & quantò magis quis in illis ſe exercuerit, tantò maioris meriti & maioris gloriæ apud Deum erit.*

De viſionibus verò in ſomnio contingentibus multò minùs erit curandum, teſte S. Diodocho, de quibus latiùs alibi dicemus. Interim illud debet eſſe omnibus conſpicuum, dæmonem poſſe, Deo permittente, dare hominibus gratias gratis datas apparentes, vt Gerſon 3. parte Alphab. 64. littera F. eleganter docet.

Multò minùs erit Incipientibus curandum de raptibus, de quibus regulariter iudicandum cenſeo vel ex naturæ imbecillitate, vel à ſpirituali tyrone ſeipſum excitante, & ad alienationem promouente: nam vt ſuprà ex Harphio annotabamus, ſunt aliqui ita ſuperabundantes ſenſualibus affectionibus, vt quando ſe vehementer effundunt per amorem ſupra aliquam rem, facilè ac citò deficiant in aliis viribus, quod aliquando etiam naturaliter fieri poteſt, (vt docet Auguſtinus lib. 12. ſuper Geneſ.) vel à dæmone cauſante ſeu adiuuante. Vel ſaltem illud eſt certum, huiuſmodi raptus facilè in initio, antequam in conſuetudinem veniant, poſſe impediri, vt optimè Caiet. probat 1. 2. q. 17. in art. 7.

Demum de viſionibus illis diuinis, quibus homo ſolet à Deo præueniri, & excitari ad ſuam conuerſionem, nemini dubium eſſe debet illas eſſe à Deo, ac à fonte diuinæ miſericordiæ proficiſci.



Digitized by Google

## CAPVT XI.

*De purgatione Incipientium, quæ deſolationibus & tentationibus variis ſolet contingere.*

MIRA hæc diuinæ gratiæ affluentia ad tempus tantùm homini conceditur à Deo, vt ea benè vtens, diuino attractus amore rebus omnibus creatis viriliter renuntiet. Sed quia ſpiritus noſter ei plus iuſto ſolet cum proprietate inhærere, ac propter eius imbecillitatem vel imperfectionem in quamplurima vitia labi, ſæpiſſimè aufertur à Deo: vnde homo qui anteà diues & locuples ſibi videbatur, pauper remanet, nudus ac deſolatus, ac Deo ſic permittente, multis ac variis expoſitus tentationibus. Quare duobus potiſſimùm mediis in purgatione Incipientium clementiſſimus vtitur Deus; Primo, Spiritualis cognitionis, & ſenſibilis amoris & deuotionis ſubtractione, vbi ſe homo tam pauperem inuenit & tepidum, derelictum à Deo ac deſolatum, ac ſi nullum vmquam ſaporem aut notitiam de Deo recepiſſet, cùm tamen paulò antè tam diues & opulentus extiterit, in omnibus animæ potentiis ſuauitate pereffluens & ardens amore. Secundo, Tentationum afflictionúmve permiſſione, de quibus ſigillatim diuina inſpirante gratia dicemus. Primò eas cauſas inueſtigare conabimur, ob quas Deus hominem ſenſibili hac deuotione, qua non parum ad diuinæ legis adimpletionem adiuuari videbatur, exſpoliet. Secundò, de multiplici tentationum genere, quibus Incipientes impugnari ſolent, ac de earum remediis dicemus.

CA-

Digitized by Google

## CAPVT XII.

### *De cauſis deſolationis, ac gratiæ ſenſibilis ſubtractionis.*

MVLTÆ apud Patres huius deſolationis & derelictionis cauſæ inueniuntur, quarum præcipuas præſenti capite adducemus.

S. Bernardus Serm de Cant. Ezechiæ, neceſſariam eſſe exiſtimat ſpiritualibus athletis crebram hanc inter gratiæ viſitationem, & tentationis ſiue deſolationis probationem, viciſſitudinem, dum inquit: *Eſt bona conſolatio de ſpe ſalutis æternæ, in quam, ſublatis peccatis quæ ſeparabant inter hominem & Deum, per Dei gratiam reuiuiſcit & hilareſcit. In quo cùm cœperit proficere, hoc eſt piè viuere, neceſſe eſt, teſte Scriptura, perſecutionem patiatur, vt recens gaudium vertatur in mœrorem, & dulcedo boni vix ſummis labiis attracta in amaritudinem commutetur, ita vt libeat dicere: Verſa eſt cithara mea in luctum, & cantatio mea in plorationem. Plorat ergo amariùs amiſſam dulcedinem, quàm priùs fleuerat admiſſam peccatorum amaritudinem; & hoc tamdiu facit, donec Deo miſerante conſolatio redit.* Et inferiùs addit in hæc verba: *Crebris itaque huiuſmodi viciſſitudinibus inter gratiæ viſitationem & tentationis probationem, in virtutum ſchola proficiens, faciente vtique viſitatione ne deficiat, tentatione ne ſuperbiat; & tali tandem exercitio mundato oculo interiori ſtatim adeſt lux, cui fideliter inhærere cupiens, ſed corpore preſſus non præualens, ad ſeipſum nolens dolenſque reſilit. Guſtato tamen aliquatenus quàm dulcis eſt Dominus, eius etiam, cùm ad ſua redierit, in cordis palato retinet ſaporem, quo fit vt iam ipſum, non ipſius quæcumque bona deſi-*

*deret. Et hæc eſt charitas non quærens quæ ſua ſunt: hæc facit filium non quærentem ſua, ſed patrem diligentem.*

Idem quoque Bernardus Serm. 21. in Cant. explicans illa verba Cant. 1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*; *Diſce*, inquit, *per hoc verbum à me in ſpirituali exercitio duplex auxilium deſuper ſperare, correptionem, & conſolationem. Altera foris exercet, altera viſitat intus. Illa reprimit inſolentiam, iſta in fiduciam erigit. Illa operatur humilitatem, iſta puſillanimitatem conſolatur. Illa cautos, iſta deuotos facit. Timorem Domini docet illa, iſta ipſum timorem infuſo temperat gaudio ſalutari, ſicut ſcriptum eſt: Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum: Pſal. 85. Item Pſal. 2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Trahimur, cùm tentationibus & tribulationibus exercemur. Currimus, cùm internis conſolationibus & inſpirationibus viſitati, tamquam in ſuaueolentibus vnguentis reſpiramus.*

S. Diodochus Epiſcopus lib. de Perfectione ſpirituali, c. 69. vt à vanæ gloriæ vitio liberemur, docet id effici à Deo, dum inquit: *Solet principio gratia lumine ſuo in multo ſenſu animam colluſtrare; proceſſu verò certaminis, ſæpè myſteria ſua clàm in anima diuina contemplanti operatur, vt nos tunc quidem lætos in veſtigia diuinarum rerum, quas contemplamur, immittat, velut ex ignorantia ad cognitionem vocatos; in medio verò certaminis, cognitionem noſtram ab inanis gloriæ cupiditate liberam ſeruet. Oportet igitur dolere quidem moderatè, quaſi nos derelictos, quò ſummiſſiores ſimus, ac magis gloriæ Domini ſubiecti: lætari verò opportunè, ſpe bona exultantes. Vt enim nimius dolor animam in deſperationem & diffidentiam proiicit, ſic nimia lætitia ad elationem prouocat; de his loquor, qui*

ſunt

*ſunt adhuc pueri ſenſu. Inter illuminationem enim & derelictionem interiecta eſt experientia; inter dolorem verò & lætitiam ſpes; Expectans enim, inquit, expectaui Dominum, & intendit mihi. Et rurſus: Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

Idem Auctor c.90. propter noſtram humilitatem id nobis à Deo fieri ſcribit, dicens: *Igitur Spiritus ſanctus initio progreſſus ſpiritualis, ſi virtutem Dei feruidè amamus, annuit animæ, vt dulcedinem diuinam in omni ſenſu & plenitudine ſentiat, quò poſſit mens Sanctorum laborum præmium perfectum notitia exacta cognoſcere: huius verò viuifici muneris magnificentiam & amplitudinem diu deinceps nobis celat, vt quamuis ceteras virtutes omnes operentur, nihil prorſus nos eſſe exiſtimemus, quia nondũ ſanctam charitatem tamquam habitu confirmatam habeamus. Sic igitur ſpiritu odij dæmon tunc plus moleſtiæ animis pugilum ſpiritualium exhibet, ita vt eos qui inter ſe amant, ad odium traducat, & vſque ad oſculum mortiferum odij actum deferat. Ex quo fit vt plus anima doleat, quòd cùm charitatem ſpiritualem alioquin in memoria ferat, non tamen poſſit in ſenſu eam adipiſci, propter vacationem perfectiſſimorum laborum.*

Caſſianus tripartitam huius ariditatis cauſam eſſe docet Col.4.c.3. *Tripartita à maioribus ratio nobis ſuper hac, quam dicitis ſterilitatem animæ, eſt tradita: aut enim de negligentia noſtra, aut de impugnatione diaboli, aut de diſpenſatione Domini ac probatione deſcendit. Et de negligentia quidem, cùm vitio noſtro tempore præcedente indifferenter noſmetipſos & remiſſiùs exhibentes, & per ignauam deſidiam noxiis cogitationibus paſti, terram cordis noſtri ſpinas & tribulos facimus germinare, quibus in ea pullulantibus,*

*conſequenter efficimur ſteriles, atque ab omni reddimur ſpirituali fructu, & contemplatione deſerti. De impugnatione verò diaboli, cùm etiam bonis nonnumquam ſtudiis dediti, callida ſubtilitate mentem noſtram aduerſario penetrante, vel ignorantes ab optimis intentionibus abſtrahimus vel inuiti. Diſpenſationis autem & probationis duplex eſt cauſa. Prima, vt paulìſper à Domino derelicti, & mentis noſtræ infirmitatem humiliter intuentes, ſuper præcedente puritate cordis, quæ nobis eſt illius viſitatione donata, nullatenus extollamur, probanteſque nos ab eo derelictos, gemitibus noſtris & induſtria illum lætitiæ ac puritatis ſtatum recuperari non poſſe intelligamus, & præteritam cordis alacritatem non noſtro ſtudio, ſed illius dignatione nobis fuiſſe collatam, & præſentem de ipſius rurſum gratia & illuminatione poſcendam. Secunda verò probationis eſt cauſa, vt perſeuerantia noſtra, vel mentis conſtantia, & deſiderium comprobetur, & qua intentione cordis vel orationum inſtantia deſerentem nos viſitationem ſancti Spiritus requiramus, manifeſtetur in nobis, ac pariter agnoſcentes, quanto labore amiſſum iſtud ſpirituale gaudium & puritatis lætitia conquiratur, ſolicitiùs inuentum cuſtodire, ac tenere intentiùs ſtudeamus.*

Sanctus tamen Bernardus gratiæ ſubtractionem ſuperbiæ attribuit Serm. 54. in Cant. dicens: *Superbia inuenta eſt in me, & Dominus declinauit in ira à ſeruo ſuo: hinc iſta ſterilitas animæ meæ & deuotionis inopia quam patior. Non compungi ad lacrymas queo, non ſapit Pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non inuenio. Vbi eſt illa inebriatio ſpiritus? vbi mentis ſerenitas, & gaudium, & pax in Spiritu ſancto?* Et paulò inferiùs: *In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, reti-*

*nendam,*

*uendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur. Hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Succedant viciſsim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundùm quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterùm placata redire ſentietur. Cùm adeſt, time ne non dignè opereris ex ea. Videte (Apoſtolus inquit) ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quid ſi receßerit? nùm multò magis tunc timendum? Planè multò magis: quia vbi deficit tibi gratia, deficis tu. Time ergo ſubtractâ gratiâ tamquam mox caſurus; time & contremiſce, Deo tibi vt ſentis irato. Time, quia reliquit te cuſtodia tua. Nec dubites cauſam eſſe ſuperbiam, etiamſi non appareat, etiamſi nihil tibi conſcius ſis; quod enim tu neſcis, ſcit Deus; & qui te iudicat, ipſe eſt. Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum ſuperbiæ, priuatio eſt gratiæ: quamquam interdum ſubtrahitur gratia, ſiue retrahitur, non pro ſuperbia quæ iam eſt, ſed quæ futura eſt niſi ſubtrahatur. Habes huius rei euidens documentum in Apoſtolo, qui ſtimulos carnis ſuæ ſuſtinebat inuitus, non quia extolleretur, ſed ne extolleretur. Sed ſiue iam exiſtat, ſiue nondum, ſuperbia tamen ſemper cauſa erit ſubtractæ gratiæ. Iam ſi gratia repropitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne fortè contingat recidiuam pati, iuxta illud in Euangelio: Ecce ſanus factus es, vade, & iam ampliùs noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat. Audis, recidere quàm incidere eſſe deterius: proinde excaleſcente periculo, inualeſcat & metus. Beatus es, ſi cor tuum triplici iſto timore repleueris, vt timeas quidem pro accepta gratia, ampliùs pro amiſſa, longè plus pro recuperata.*

Hoc idem argumentum latiſſimè proſecutus eſt D. Bonauentura Proceſ. 7. Relig. c. 21. Quærit ibi Seraphicus Doctor, quare Deus ſubtrahat bonis & ſtudioſis deuotionis gratiam, maximè quando eam libentiùs haberent, & inſtantiùs quærunt. Huic quæſtioni reſpondet, dicens: *Poſſunt quinque ſuper hoc rationes aſsignari. Prima, humiliationis; quia magis humiliatur homo cùm non habet tunc deuotionem quàm alio tempore, & magis confunditur in ſeipſo. Sicut ſæculares plus confunduntur, ſi in Paſcha non communicant, cùm ſolitum eſt communicare ceteros, quàm toto reliquo tempore. Secunda purgatio peccati, quia fortè per alia exercitia minùs purgatus eſt, vel aliqua habet delicta quæ non recolit, & vt dignus accedat ad Euchariſtiam, & ampliùs purgetur à peccatis, in hoc punitur in quo magis dolet; & quò dolor grauior, eò purgatio efficacior: & maximè, quia fortè alio tempore minùs ſtudioſè quæſiuit deuotionis gratiam, vel oblatam negligentiùs recepit, nec dignas pro ea gratias retulit, punitur modo in quo peccauit, vt tunc illa careat cùm deſiderat, quam antè neglexit cùm habere poterat, & cautior de cetero in hac parte fiat. Tertia, vt ex hoc eruditior in gratia fiat, quòd à Deo fit, non ab homine, cùm non poteſt homo pro voluntate ſui arbitrij habere, ſed Deus qui dat ex ſe, quando vult infundit, & quando vult ſubtrahit, prout ſibi placet, & prout accipienti iudicat conuenire. Item, quia ex gratia ſua dat, non pro meritis hominis: qui ſi daret ſemper cùm quæritur, & non daret niſi quæreretur, putaretur eam tantùm dare ſecundùm merita requirentium, & non ſecundùm gratiæ liberalitatem. Ideò quandoque ſtudioſè quærentibus negat ex iuſtitia, & non quærentibus quandoque dat ex gratia. Duæ enim ſunt tentationes deuotorum ſatis conſuetæ, maximè no-*

*nis*

*nis & imperfectis, hæſitatio & elatio: hæſitant enim ſæpè an à Deo ſit talis gratia, vt homo per ſe iſtos motus à ſuo conatu procuret; & eſt ſatis importuna tentatio. Aliquando etiam videtur homini, quòd fortè poßit eſſe dæmonis illuſio, & fit perplexior, quòd quandoque ſtudium deuotionis cogitat omnino poſtponere, & ſimpliciter vocalibus orationibus & actionibus ſolùm intentus eſſe, quaſi in illis ſit ſecurior, quàm in ſtudio internæ deuotionis: & hoc præcipuè patitur, cùm deuotionis gratia ſubtrahitur, & ſic dupliciter tribulatur, de ſubtractione gratiæ, & de hæſitatione, ſi fuerit à Deo gratia, quam habebat. Sic Diſcipuli, ante plenam ſcilicet immiſſionem, ſæpè vacillabant in fide Chriſti, dum modò viſis miraculis eius & excellenti doctrina, credebant eum eſſe verum Filium Dei; modò, viſis eius paſſionibus pro nobis ſuſceptis, titubantes hæſitabant, ſicut eo paſſo, antequam certi eſſent de eius reſurrectione, dixerunt: Nos autem ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſraël. Quaſi dicerent: Ab hac ſpe fruſtrati ſumus. Sic & poſt reſurrectionem ſuam viſo eo gaudebant, & dubitabant, donec per multa argumenta de veritate eius certificati ſunt, maximè poſt aſcenſionem ipſius, & Spiritus ſancti emiſſionem. Ita & deuoti Chriſti fideles modò gaudent de conſolatione internæ gratiæ, modò dubitant & triſtantur. Ideò variè operatur in eis Spiritus ſanctus, nunc illo modo, poſteà alio modo: iam infundit eis conſolationem, & iam ſubtrahit, donec pluribus indiciis experiantur veritatem & vtilitatem ſuæ viſitationis. Præſente gratia gaudent de conſolatione, & ſecuri ſunt de veritate; abſente ea, vtriuſque muneris ſolatio carent. Sapiens autem in die malorum non immemor ſtudet eſſe bonorum, quorum recordatio reuocat eum à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Et hoc valet ipſi contra iſtam primam tenta-*

tatio-

Digitized by Google

Hoc idem argumentum latiſſimè proſecutus eſt D. Bonauentura Proceſ. 7. Relig. c. 21. Quærit ibi Seraphicus Doctor, quare Deus ſubtrahat bonis & ſtudioſis deuotionis gratiam, maximè quando eam libentiùs haberent, & inſtantiùs quærunt. Huic quæſtioni reſpondet, dicens: *Poſſunt quinque ſuper hoc rationes aſſignari. Prima, humiliationis; quia magis humiliatur homo cùm non habet tunc deuotionem quàm alio tempore, & magis confunditur in ſeipſo. Sicut ſæculares plus confunduntur, ſi in Paſcha non communicant, cùm ſolitum eſt communicare ceteros, quàm toto reliquo tempore. Secunda purgatio peccati, quia fortè per alia exercitia minùs purgatus eſt, vel aliqua habet delicta quæ non recolit, & vt dignus accedat ad Euchariſtiam, & ampliùs purgetur à peccatis, in hoc punitur in quo magis dolet; & quò dolor grauior, eò purgatio efficacior: & maximè, quia fortè alio tempore minùs ſtudioſè quæſiuit deuotionis gratiam, vel oblatam negligentiùs recepit, nec dignas pro ea gratias retulit, punitur modo in quo peccauit, vt tunc illa careat cùm deſiderat, quam antè neglexit cùm habere poterat, & cautior de cetero in hac parte fiat. Tertia, vt ex hoc eruditior in gratia fiat, quòd à Deo fit, non ab homine, cùm non poteſt homo pro voluntate ſui arbitrij habere, ſed Deus qui dat ex ſe, quando vult infundit, & quando vult ſubtrahit, prout ſibi placet, & prout accipienti iudicat conuenire. Item, quia ex gratia ſua dat, non pro meritis hominis: qui ſi daret ſemper cùm quæritur, & non daret niſi quæreretur, putaretur eam tantùm dare ſecundùm merita requirentium, & non ſecundùm gratiæ liberalitatem. Ideò quandoque ſtudioſè quærentibus negat ex iuſtitia, & non quærentibus quandoque dat ex gratia. Duæ enim ſunt tentationes deuotorum ſatis conſuetæ, maximè no-*



Digitized by Google

*nis & imperfectis, hæſitatio & elatio: hæſitant enim ſæpè an à Deo ſit talis gratia, vt homo per ſe iſtos motus à ſuo conatu procuret; & eſt ſatis importuna tentatio. Aliquando etiam videtur homini, quòd fortè poßit eſſe dæmonis illuſio, & fit perplexior, quòd quandoque ſtudium deuotionis cogitat omnino poſtponere, & ſimpliciter vocalibus orationibus & actionibus ſolùm intentus eſſe, quaſi in illis ſit ſecurior, quàm in ſtudio internæ deuotionis: & hoc præcipuè patitur, cùm deuotionis gratia ſubtrahitur, & ſic dupliciter tribulatur, de ſubtractione gratiæ, & de hæſitatione, ſi fuerit à Deo gratia, quam habebat. Sic Diſcipuli, ante plenam ſcilicet immißionem, ſæpè vacillabant in fide Chriſti, dum modò viſis miraculis eius & excellenti doctrina, credebant eum eſſe verum Filium Dei; modò, viſis eius paßionibus pro nobis ſuſceptis, titubantes hæſitabant, ſicut eo paſſo, antequam certi eſſent de eius reſurrectione, dixerunt: Nos autem ſperabamus, quòd ipſe eſſet redempturus Iſraël. Quaſi dicerent: Ab hac ſpe fruſtrati ſumus. Sic & poſt reſurrectionem ſuam viſo eo gaudebant, & dubitabant, donec per multa argumenta de veritate eius certificati ſunt, maximè poſt aſcenſionem ipſius, & Spiritus ſancti emißionem. Ita & deuoti Chriſti fideles modò gaudent de conſolatione internæ gratiæ, modò dubitant & triſtantur. Ideò variè operatur in eis Spiritus ſanctus, nunc illo modo, poſteà alio modo: iam infundit eis conſolationem, & iam ſubtrahit, donec pluribus indiciis experiantur veritatem & vtilitatem ſuæ viſitationis. Præſente gratia gaudent de conſolatione, & ſecuri ſunt de veritate; abſente ea, vtriuſque muneris ſolatio carent. Sapiens autem in die malorum non immemor ſtudet eſſe bonorum, quorum recordatio reuocat eum à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Et hoc valet ipſi contra iſtam primam tentatio-*



Digitized by Google

*tationem haſitationis. Rurſum in die bonorum non immemor ſtudeat eſſe malorum, per qua humilietur, & timore ab elationis tumore comprimatur, & ſic ſecunda tentatio ſanetur. Extolluntur verò deuoti quadrupliciter; quia aut gloriantur ſe deuotionis gratiam pracedentibus ſtudiis & laboribus meruiſſe; aut pra ceteris, qui hanc gratiam non videntur habere, ſe à Deo dilectos; aut maiorem ſibi gratiam eſſe datam, quàm tamen ſit in veritate; aut ſe meliùs ſcire vti, & gratiùs recipere, & fructuoſiùs impendere, & minùs negligere quàm alij, qui ſimile donum gratia acceperunt. Contra priorem tentationem haſitationis valet conſtans fiducia credulitatis, quòd à Deo ſit iſta gratia, & diligens conſideratio ipſius gratia, ſi ſemper ſit motus eius ad bonum tantùm, & humilis conſolatio vel conſultatio ſuper illa apud aliquem peritum & exercitatum in talibus, & prompta voluntas acquieſcendi qualiter in gratia debeat ſe habere, & ſupplex oratio ad Deum ne permittat hominem decipi à ſenſu proprio, vel ſpiritu alieno. Contra alteram tentationem elationis, valet diligens cognitio propria indignitatis, & teporis, & negligentia, & ingratitudinis, & inanis gloria, & timida expectatio reddenda rationis de gratia collata & neglecta, & pauida ſuſpicatio ſubtrahenda gratia & derelictionis à Deo propter vitia pranotata: quia iamdiu cauſa correctionis tolerata ſunt & inemendata, & ſtudioſa conſideratio aliorum, qui in gratia, in virtutibus, & in omnibus bonis ſtudijs incomparabiliter nos pracellunt. Quarta ratio deuotionis ſubtracta, cùm quandoque ſtudioſiùs quaritur, quia aliquando ex impenſo cordis conatu libertas mentis obruitur, dum quaſi per violentam extorſionem accelerat affectum deuotionis exprimere, & ſi non iuxta deſiderium cordis ſtatim poteſt elicere gratiam quaſitam,*

*con-*

Digitized by Google

*contriſtatur, & ampliùs ex hoc induratur; & quò impetuoſiùs cupit ſe ad deuotionem cogere, minùs proficit, & ampliùs areſcit: ſicut qui botros in torculari, vel oliuas in prælo ſubitò & vehementer comprimit, liquor magis turbidus & inſipidè fluit, quàm ſi paulatim & moderatiùs compreſſiſſet. Quò enim liberior, eò pinguior eſt deuotionis affectus. Ideò alio tempore ſæpè eſt homo deuotior, quia tunc ſpiritus ſuæ libertati relictus ſe ſponte eleuat in ſublime. Violenta namque acceleratio ſpiritum præfocat in corpore: moroſa autem reſpiratio, cordis refrigeratio eſt. Quinta ratio poteſt eſſe meritum maioris gratiæ & gloriæ, dum deſiderium non adimpletum affligendo purgat animam, & patientia deſolationis, & humilis ſufferentia mœroris quaſi lima reddit animã clariorem & magis ſuſceptibilem ſplendoris ſcilicet diuini, & amplioris gratiæ gloriæque capacem: vultus enim Dei & fulgor claritatis Dei non omnibus æqualiter ſemper fulget, ſed quantò purior eſt anima, & à vitio liberior, magis capax lucis eſt & illuminationis deſuper effluentis; ſicut vitrum clarum vel metallum benè limatum & politum radios luminis ampliùs recipit & ſplendidius efficitur. Quia igitur afflictio lima eſt animæ, quæ rubiginem vitiorum abradit, vel deterſo peccato, quod ſua obſcuritate radios diuini luminis & fulgoris velut obex animæ excluſerat, lucem gratiæ recuperet; purgat Deus aliquando corda deuotorum per ſubtractionem illius conſolationis, cuius carentia maxima eſt eis afflictio, vt ſic purgati aptiores fiant abundantioris gratiæ percipiendæ in præſenti, & gloriæ in futuro, etiamſi hanc afflictionem ſpecialis culpæ merito non contraxit.*

His rationibus addit aliam idem S. Doctor Proceſſ. 4. Relig. c. 10. dicens: *Tria autem diſcimus in ſubtractione conſolationis internæ, ſcilicet de minimis bene-*

*beneficiis gratias agere, & minimas quaſlibet culpas & negligentias timere vel cauere, & aduerſa quæque diſcimus patienter tolerare. De opulenta menſa multæ micæ, imò aliquando aliqua decidunt fruſta. ſic homo abundans diuerſis conſolationum donis, plurima beneficia Dei ſine debita gratiarum actione præterit, plurimas gratias ſponte oblatas negligit opere exercere, plurima parua reputat quæ magna ſunt, plurima nec agnoſcit; ſed his omnibus ſubtractis, ſicut vir videns paupertatem ſuam, recolit quantum priùs habuit, quæ potuit habere, quæ iam non habet, & ſicut mendicus famelicus modicam buccellam gratam accipit, & ſtudioſè colligit fragmenta, qui priùs delicata fercula parui fecit. Colligite fragmenta ne pereant.*

His diuinæ gratiæ ſubtractionis cauſis poſſumus etiam breuiter alias annumerare. Prima, Deum ex amoroſa quadam indignatione aliquando ſubtrahere amicis ſuis hanc deuotionis gratiam. Eſt enim diuinus amor maximo zelo plenus, quare non poteſt ſuſtinere, quòd anima extra Deum peregrino aliquo afficiatur amore, aut in aliqua creatura inordinatè quieſcat; quia tunc ſi indicium aliquod huius peregrini amoris præſentiat, tunc oſtendens indignationem quam habet, abſcondit ſe ab animæ aſpectu, vt eò meliùs ipſa ſuam culpam agnoſcat.

Secunda cauſa derelictionis illa eſt, vt anima agnoſcat gratiam non propriis meritis, non iure hereditario tamquam propriam aut permanenter poſſidere, ſed ad tempus & pro Dei beneplacito ſibi liberaliter concedi, & ita parata ſit & gratiâ abundare, & penuriâ pati: vt egregiè Bernardus Serm. 21. in Cant. his verbis docet: *Vidéſne illum qui in ſpiritu ambulat, nequaquam permanere in vno ſtatu, nec eadem ſemper facilitate proficere, & quòd non ſit in homi-*

*homine via eius, ſed quemadmodum ei Spiritus moderator prout vult diſpenſat, nunc ſegniùs, nunc alacriùs, quæ retrò ſunt obliuiſci, & ad interiora ſeſe extendere. Puto quòd hoc ipſum, ſi attenditis, veſtra vobis experientia intus reſpondet, quod ego foris loquar. Ergo cùm te torpore, accidia, vel tædio affici ſentis, noli propterea diffidere, aut deſiſtere à ſtudio ſpirituali, ſed iuuantis require manum, trahi te obſecrans ſponſæ exemplo, donec denuò ſuſcitante gratia factus promptior alacriorq; curras, & dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Sic autem quamdiu adeſt gratia, delectare in ea, vt non te exiſtimes donum Dei iure hereditario poſſidere; ita videlicet ſecurus de eo, quaſi numquam perdere poßis: ne ſubitò, cùm fortè retraxerit manum, & ſubtraxerit donum, tu animo concidas, & triſtior quàm oportet fias. Denique, ne dixeris in abundantia tua, Non mouebor in æternum; ne etiam illud quod ſequitur dicere cum gemitu quidem cogaris: Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Curabis potiùs (ſi ſapis) pro conſilio Sapientis in die malorum non immemor eſſe bonorum, atque in die bonorum non immemor eſſe malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli eſſe ſecurus, ſed clama ad Deum cum Propheta, & dic: Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Porrò in tempore tentationis conſolare, & dic cum ſponſa: Trahe me poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Sic te non deſeret ſpes in tempore malo, nec in bono prouidentia deerit: eriſque inter aduerſa & proſpera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem. Vtique hanc inuiolabilem & inconcuſſam conſtantis animi qualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vendicans tibi, & in huius mutabilis ſæculi dubiis euentibus, certiſq; defectibus perennis*



Digitized by Google

*nis quodammodò incommutabilitatis ſtatum, dum te cœperis renouare & reformare in inſigne illud antiquum ſimilitudinis æterni Dei, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Quippe ſicut ipſe eſt, ita & tu eris in hoc mundo, nec in aduerſis timidus, nec in proſperis diſſolutus.*

Tertia cauſa, quia cùm natura interdum nimis debilitetur per ſenſibilem deuotionem atque amorem, præcipuè quando influxus Spiritus ſancti eſt valdè violentus, & ex alia parte homo eſt valdè ſolicitus vt ſatisfaciat influenti gratię; tunc neceſſe eſt, niſi magna prudentia regatur, naturam debilitari & lædi, præſertim circa cor, vbi deſideriorum impetus vitalem ſanguinem cordis magis facit ebullire. Quare Spiritus ſanctus tunc moderatur impetum & ardorem diuinæ influentiæ, vt natura integrè refocilletur, & iterùm confortata hilarior ad nouam Spiritus ſancti influentiam ſuſcipiendam reddatur.

Quarta & vltima cauſa, vt homo experientia ipſa probetur an ad tantam ſtrenuitatẽ profecerit, quòd carere ſciat ſenſibili & ſpirituali conſolatione, & Deo ſuis expenſis amoreque nudo inſeruire.

## CAPVT XIII.

### *De tentationibus quæ ex gratiæ ſenſibilis ſubtractione Incipientibus euenire ſolet.*

Non ſolùm Deus Incipientibus ſpiritualis gratiæ influxum ſubtrahit, verùm etiam non raro eos exponit omni tentationum generi, denegando etiam eis auxilia ſenſibilia (vt ita dicam) ad ſuſtinendum, quamuis protectione & gratiâ ſua ſecretâ non deſtituantur. Sunt igitur aliquando horum tentationes ineffabiles, & de rebus ita turpibus & ob-

ſcœnis

ſcœnis, quales ipſi numquam cogitaſſent. Exponuntur præterea tentationibus aliis diabolicis, obſtinationis inquam, blaſphemiæ, infernalis inuidentiæ, odij Dei, & ſimiliũ; de quibus vix aliquando crederes Chriſtianum aliquem tentari poſſe. Sed vt aliquam ſeriem in referendis his tentationibus teneamus, ea non incommodè poſſumus ad ſeptem ſpiritualia vitia reducere: nam in primis inueniuntur in his tam tempore affluentis gratiæ, quàm illius abſentiæ ſuperbia ſpiritualis, fornicatio, auaritia, inuidia, acedia, ira, & denique gula. De quibus ſuo ordine dicemus, dicturi deinde de vi ac efficacia qua dæmon tentare ſolet huiuſmodi homines.

In primis, ſpirituali ſuperbia ſunt pleni huiuſmodi homines, cùm ceteros ſimili gratia affluentes temerè deſpiciunt, ac propterea, cùm ob proprios defectus & vitia propria in ſeipſis confundi recuſant, ſed in omnibus ſibi parcere, ſeſe palpare & excuſare, neque vmquam vlla in re ſuccumbere volunt. Inde etiam euenire ſolet ſuperbia hac inflatis hominibus, vt pluribus, nedum inutilibus, ſed etiam noxiis verbis ad ſe excuſandum vtantur, & ad omnia velint ſatisfacere, quaſi ipſi in omnibus eſſent impeccabiles.

Spirituali etiam fornicatione ſiue luxuria fœdantur. Voco ſpiritualem fornicationem, cùm quis ſeipſum immodicè quærit, multoque cum deſiderio ad ſenſibilis deuotionis affluentiam inhiat, cupitque perpetuò ſuo arbitrio paſci, ac libertati relinqui, vt nemo ipſum auſit corripere, ne laborem debitum exequi cogatur, ſemperque in priuatis quibuſdam ac ſingularibus quas ipſe ſibi elegit, precibus ac exercitiis permanere queat. Cùm verò in his non poteſt deſiderata dulcedine potiri, totus



Digitized by Google

perturbatur, ac malè habet, fitque impatiens etiam in rebus modicis quæ illi accidunt; ac queritur grauia damna & graues tentationes ſe ſuſtinere, quando pace ſua intus pro ſuo voto ac delectatione frui non poteſt.

Spiritualis verò auaritia illa eſt, dum quis plura ſemper appetit, quàm ſibi in huius peregrinationis itinere neceſſaria ſunt. Cur autem plura ſecū peregrinus in via deferre velit, quàm quibus ad propria commodè remeare queat? Quare ſicut in exteriori paupertate ingens macula eſt, aliquid vltra neceſſaria appetere, ita in interioris ſpiritus paupertate. Velle ſemper ſenſibili gratia abundare, vel abundantiorem ea quæ neceſſaria eſt ad æternæ vitæ executionem, habere, proprietas aut auaritia ſpiritualis eſt.

Quartò, in ſpiritualis etiam gulæ vitium incurrunt, qui gratiæ & ſenſibili deuotioni ita adhærent, vt ſemper vellent eius abundantia inebriari & abſorberi, adeoque guloſi fiunt dulcedine illa qua quotidie perfruuntur, vt ſe nulla alia re velint occupare, neque propriis obligationibus ſtudere, nec demū addiſcere quomodo ſibiipſis mori debeant, & virtutes comparare, aut diuinam voluntatem cognoſcere ad eam exequendam, in quibus vera perfectio conſiſtit; ſed potiùs paulatim requiem & conſolationem ſuam in ſenſibili deuotione conſtituunt. Vnde fit, vt quotidie magis guloſi, immortificati, ac Deo ingratiores euadant.

Irá prætereà, abſente gratia ſenſibili, afficiuntur, facilique negotio in alios excandeſcunt, ac aliquando non ſolùm verbis, ſed etiam manibus temerè percutiunt. Ad abſentiam quoque amoris & deuotionis ſenſibilis aliquando magnam acediam & puſilla-

ſillanimitatem incurrunt, ita vt vix ſibi vllam ad debita obſequia peragenda vim inferant; aliquando contra Deum murmurantes, quòd tam dura ſeruitia, etiam aſſidua, ab eis requirat.

Ac demum inuidiæ labe non carent, ſi alios videant maiori & pleniori gratia abundare, vel ſanctiores illis apud homines exiſtimari.

Huiuſmodi igitur tentationes, & ſi quæ aliæ ſunt (ſunt autem plurimæ, de quibus cap. ſequenti) tanta vi ac violentia hominem deſolatum impugnare ſolent, vt ei videatur clarè in eas conſentire. Nam quamuis in ſuperiori parte intellectus ac voluntatis aliquam ſentiant reſiſtentiam & contrarietatem, adeò tamen obtenebrantur preſſuris quibus opprimuntur, vt nullam etiam in parte ſuperiori reſiſtentiam animaduertere valeant: ignorant enim ob defectum lucis, hanc anguſtiam cordiſque preſſuram omnino prouenire ex pugna, quam in ſuperiore mentis parte contra iſtam tentationem habent, quamuis aliàs homo inferior penitùs conſentire videatur. Cuius rei ea eſt coniectura manifeſta, quia ſi omnes vires animæ tentationi conſentirent, illum conflictum aut preſſuram minimè ſentirent; imò potiùs ad grauiora peccata, maximè ad carnis oblectationes & commoda, declinarent: à natura enim inſitum eſt omnibus in tribulatione conſtitutis, exteriorem conſolationem libenter quærere, niſi à Spiritu ſancto protegantur. Solet autem Deus huiuſmodi perplexitate electos & amicos ſuos probare, quia conſiderans illos nulla aduerſitate aut tribulatione, quantumlibet magna & multiplici, deterreri aut contriſtari poſſe (vt qui ad maiora propter Deum toleranda ſemper inueniantur parati) niſi dumtaxat illa quæ obdurationem, inuidentiam

contra Deum, aut ab illo auerſionem per peccatum præ ſe fert; ideò eiuſmodi impugnationibus occultiſſimo ſuo iudicio eos probari ac purgari permittit.

Interdum etiam contingit, tentationum iſtarum violentiam ex indiſcretione aut defectu eorum qui eis afficiuntur, proficiſci: nam in his qui naturâ multùm actiui & vehementes ſunt, in interiori ad Deum conuerſione tam vehemens fit eorum impulſus, vt inde cor ceteræque corporis vires valdè lædantur ac vulnerentur, vt ſuprà diximus. Igitur quando contingit deuotionem à Deo ipſis ſubtrahi, volentes per vim ſubtractam deuotionem recuperare, valdè indiſcretè violentis aſpirationibus exercentur. Quantò verò ampliùs pro recuperanda hac laborant, eò magis ab omni ſpirituali ſenſione longiores fiunt, tandem ex quadam impatientia in tam magnum tamque violentum aſpirationis impetum aliquando prorumpunt, quo eorum cor ita indiſpoſitum redditur, vt poſteà vix poſſit reformari. Vnde apparet his, quodammodò ſe non habere poteſtatem ſupra inferiores animæ vires, quæ in corde radicantur, imò nec vllam reſiſtentiam in vi iraſcibili aut concupiſcibili, ita vt ſibi in omnibus conſentire videantur. Oritur ex his in eorum animis magna tribulatio, deſperatio, obduratio, obcæcatio, peruerſitas, infernalis inuidentia, quæ in inferiori homine videntur regnare, quamuis in ſuperioribus viribus, quæ ab omni corporeo vinculo liberæ ſunt, diſplicentia inueniatur: nam vis animæ ſuperior, tentationem & malitiam in inferioribus viribus regnantem conſpicit, ac quòd inferiores veluti victæ huiuſmodi fœtidis diabolicisque tentationibus iacent, eaque de cauſa infallibili preſſura ac afflictionibus portio illa ſuperior obruitur, inde iam oritur in ipſis

ſis magna cordis amaritudo & tædium, ita quòd & ſibi ipſis, & omnibus cum quibus conuerſantur, efficiuntur valdè oneroſi, incipiuntque pro ſua indiſcretione pœnas luere; poterunt tamen multum in his mereri, ſi patienter ac longanimiter ſuſtineant. Nam quamuis in impetu & violentia illius magnæ preſſuræ, aut infernalis inuidentiæ atque malitiæ, ſui non eſſe compotes videantur; tranſacto tamen illo, dolere debent ſecundùm ſuperiorem partem de omnibus defectibus commiſſis, & voluntatem ſuam in diuinam reſignare, orando Deum vt ſibi de præteritis ignoſcat, & protegat in futuris imminentibus periculis.

Sed quia alicui, quæ diximus, incredibilia forſan videri poſſent, mirabile beatæ Angelæ de Fulginio purgationis & tentationũ, quas illa paſſa eſt, exemplum ſequenti capite 15. adiiciam.

## CAPVT XIV.

*De aliis quibuſdam extraordinariis purgationis modis, quibus etiam Incipientes à Deo probari aliquando ſolent.*

Non ſine diuina prouidentia ſolet etiam Deus permittere, vt anima viam purgatiuam ſupernaturalem ingreſſa, inſolitis modis quoad internos & externos ſenſus purgetur. Aliquando enim viſui horrenda ſpectra diabolica non ſolùm in ſomniis, ſed & in vigilia; non ſolũm apertis, ſed & clauſis oculis obiiciuntur, quę nullo modo effugere poteſt. Quandoque tremendos fragores, vlulatus, rugitus, grunnitus animalium ferocium omnis generis audit. Aliquando olfactus ſulphureis fœtoribus & in-

fernalibus diutiſſimè vexatur. Nonnumquam guſtus amaritudinibus moleſtiſſimis afficitur, neque vllum in cibo potuque ſaporem, aut vel minimam oblectationem reperit. Denique tactus variis modis affligitur: quandoque enim verberibus dæmonum multiformiter cruciatur, aliàs per membra corporis beſtiæ fœtidiſſimæ ſubeunt, vti ſerpentes, & bufones, & ſimiles, cum ingenti ſenſualitatis abominatione & repugnantia. Imaginatio etiam ſpurciſſimis luxuriæ imaginibus ad viuum depingitur cum omnimoda partis inferioris inflammatione, etiam in exercitiis, locis, ac temporibus ſacratioribus. Intellectus ſpiritu infidelitatis, voluntas ſpiritu odij ac blaſphemiæ in Deum ac deſperationis torquetur, & innumeris aliis modis pars ſenſitiua hominis exercetur permittente Deo, vt purificetur, & ad diuina chariſmata recipienda dignior fiat. Eò enim anima aptior ad capeſſenda diuina redditur, quò purgatior & purior inuenitur; ad menſuram enim diuinæ purgationis, lucis & amoris abundantia conceditur.

Hæ & aliæ ſimiles purgationes non ęqualiter omnibus euenire, neque omnes ſimul, neque æqualiter durare ſolent: aliqui enim hac, alij illa, alij ferè omnibus exercentur. quidam duobus tantùm annis, ſicut beatus Franciſcus; alij decem, ſicut legitur de Henrico Suſone; alij ſeptemdecim, vt B. Maria Ægyptiaca; aliquando octodecim, ſicut B. Matri noſtræ Tereſiæ contigit, pro diuino beneplacito mirabiliter purgantur.

CA-

# CAPVT XV.

## *Exemplum mirabilis purgationis* B. ANGELÆ DE FVLGINIO.

POSTQVAM B. Angela in principio ſuæ conuerſionis diuini fontis dulcedinem ac miram Dei ſuauitatem tam in corde quàm in corpore experta eſt, Deus, illius fidelitatem probare ac experiri volens, eam ſpiritualibus nequitiis, veluti alterum Iob, tentandam, non ſine diuina prouidentia multis modis permiſit, quos eiſdem verbis, quibus Auctor eius Vitæ narrauit, ſcribâm. Igitur ille c. 19. ita inquit:

Ne magnitudo aut multitudo reuelationum & viſionum me extolleret, & ne earum delectatio me ſuper me efferret, datus eſt mihi multiplex tentator, qui multiplici tentatione & afflictione me affligat. Affligor enim tam in corpore & anima ab eiſdem. Corporis enim ſunt tormenta innumera, à multis dæmonibus multipliciter excitata. Vix enim credo, quòd ſcribi poſſent paſſiones & infirmitates mei corporis: nam non remanet in me aliquod membrum, quin horribiliter patiatur. Numquam enim ſum ſine dolore, ſine languore; continuè ſum debilis & fragilis, plena dolore, ſic quòd continuè oportet me iacere. Non eſt in me membrum, quod non ſit percuſſum, tortum, & pœnatum à dæmonibus, & ſemper ſum infirma, & ſemper tumefacta, & plena doloribus in omnibus membris meis, ſic quòd cum magna pœna poſſum me mouere, & ſum fatigata iacere, nec etiam comedere ad ſufficientiam poſſum. Tormenta verò animæ & paſſiones (quas ſine comparatione acerbiores & plures eſſe



Digitized by Google

dico quàm corporis ) patior quaſi aſſiduè ab ipſis dæmoniis. Nec ſcio aliam aſſignare ſimilitudinem niſi de homine ſuſpenſo per gulam, qui ligatis manibus poſt tergum, & velatis oculis ſuſpenſus cum fune remanſiſſet in patibulo, & viueret, cui nullum auxilium, nullum remedium vel fulcimentum remanſiſſet. Et dico, quòd adhuc deſperatiùs & crudeliùs à dæmonibus torqueor. Video enim quòd dæmones ita animam meam ſuſpendunt, quòd ſicut ſuſpenſus non habet aliquid ſuſtentamenti, ita animæ nullum videtur remanere ſuſtentamentum, & omnes virtutes animæ ſubuertuntur, ſciente & aſpiciente anima mea. Et quando anima mea videt ſubuerti omnes virtutes, & diſcedere, & quòd non poteſt ſe ibi opponere; eſt tantus dolor animæ, quòd vix aliquando poſſum plorare propter deſperatum dolorem & iram; aliquando verò irremediabiliter. Aliquando etiam tanta ira venit in me, quòd vix poſſum me tenere, quin me totam dilaniem. Aliquando verò non poſſum me tenere, quin horribiliter me percutiam, & percutiendo meipſam, tumefeci aliquando caput meum, & alia membra. Et quando anima videt cadere & diſcedere omnes virtutes, fit planctus animæ, & vociferor ad Deum meum. Item aliud tormentum patior, quia omnia vitia in me reuixerunt, & aliquando reuiuiſcunt; non quòd ſint in vita durabili rationem meam ſubiicientes, ſed prębent mihi & afferunt magnam pœnalitatem. Et etiam vitia, quæ numquam fuerunt in meo corpore, veniunt in me, & incenduntur & afferunt mihi magnam pœnalitatem: ſed non habent vitam continuam; & quando remoriuntur, dant mihi magnam conſolationem. Video enim, quòd dæmonibus multis tradita ſum, qui reuiuiſcere faciunt

ciunt vitia quæ horreo, & quæ fuerunt mortua, & addunt illa, quæ numquam fuerunt. Et ego recordans quòd Deus hîc fuit afflictus, & deſpectus, & pauper, vellem quando oportet, quòd omnia mala mea duplicarentur. Et quandoque ſum in tenebra horribiliſſima dæmonum, vbi videtur mihi omnino deeſſe omnis ſpes boni; & eſt illa tenebra horribilis: & ſuſcitantur vitia in corpore, quæ cognoſco, intus in anima eſſe mortua, ſed extra animam ſuſcitant ea dæmones; & etiam illa vitia, quæ non fuerunt, ſuſcitantur. Et in corpore ad minus patior in tribus locis: nam in locis verecundis tantus eſt ignis, quòd conſueui apponere ignem materialem ad extinguendum alium ignem concupiſcentiæ, donec Confeſſor mihi prohibuit. Tunc cùm ſum in illa tenebra, credo quòd citiùs eligerem aſſari, quàm prædicta tunc pati: imò tunc clamo & aduoco mortem, vt per quemcumque modum mihi eam Deus concederet euenire; & tunc dico Deo: Domine, ſi me debes mittere in infernum, ne differas, ſed ſubitò facias; & ex quo me dereliquiſti, comple & ſubmerge me in profundum. Et intelligo tunc, quòd id eſt opus dæmonum, & quòd illa vitia non viuunt in anima; quia anima numquam conſentit eis, ſed corpus patitur violentiam, & eſt tantus dolor & tædium, quòd ſi duraret, corpus pati id non poſſet. Sed & anima videt quòd eſt ei ablata omnis potentia, quamuis non conſentiat vitiis, non tamen habet poteſtatem omnino reſiſtendi vitiis, & videt quòd eſt contra Deum, & ſic cadit, & torquetur in eis. Et eſt quoddam vitium permiſſum à Deo venire in me, quod numquam fuit in me, ſed apertè & manifeſtè cognoſco quòd permittitur à Deo venire in me: & prædictum vitium eſt tam magnum, quòd

ſuperat omnia alia vitia, & eſt quædam virtus quæ datur mihi manifeſtè à Deo contra prædictum vitium, qua virtuosè à Deo liberor. Et ſi non haberem ego fidem de Deo certam, ſolùm in iſto, & non pro aliquo alio remaneret mihi: & in iſto remaneret mihi ſpes certa & ſecura, de qua non poſſum dubitare, & virtus præualet ſemper, & vitium deficit; & virtus tenet me, & non permittit me cadere in vitium. Et eſt virtus tantæ fortitudinis, quòd non ſolùm tenet in me, imò dat mihi tantam fortitudinem virtutis, quòd verè in iſto cognoſco Deum, & illuminor, & confirmor in tantum, quòd omnes homines mundi, nec omnia dæmonia inferni, nec aliqua alia res eſt, quæ poſſet me mouere ad minimum peccatum; & cum iſta virtute remanet mihi fides de Deo. Vitium autem eſt tam magnum, quòd verecundor illud dicere, & eſt tam magnum iſtud vitium, quòd quando prædicta virtus eſt mihi abſcondita, & videtur mihi quòd me dimiſerit, non eſt res quæ me poſſet tenere, nec pro verecundia, nec pro pœna aliqua, quin ſtatim ruerem in peccatum: tunc tamen ſuperuenit illa virtus, & virtuosè me liberat, ita quòd nec ego ipſa poſſem peccare pro omnibus bonis vel malis iſtius mundi. Et iſtos labores ſuſtinui per duos annos, & plus. Item in anima mea conſueuit pugnare quædam humilitas, & quædam ſuperbia tædij grandiſſimi. Humilitas eſt, quia video me cecidiſſe ab omni bono, & video me eſſe extra omnem virtutem & extra omnem gratiam, & video in me tantam multitudinem peccatorum & defectuum, quòd non poſſum cogitare, quòd Deus de cetero velit mihi miſereri; & video me domum diaboli, & operatricem & credulam dæmoniorum, & video me filiam eorum, & video me

me extra omnem rectitudinem & extra omnem veracitatem, & dignam infimo & vltimo profundo inferni. Et iſta humilitas prædicta non eſt illa humilitas, quam aliquando habeo, quæ facit animam meam eſſe contemptam, & facit animam venire in cogitationem bonitatis diuinæ: quia alia humilitas prædicta, non adducit mihi niſi innumerabile malum. Vnde intus in anima videtur mihi, quòd ſim tota circumdata dæmonibus, & video defectus in anima & corpore, & eſt mihi clauſus Deus & abſcōditus in omni poteſtate & gratia, ita quòd nullo modo poſſum recordari Dei, nec ipſius habeo memoriam, quia nec ipſe permittit; & videndo me damnatam, non curo aliquo modo de damnatione mea; quia plus curo & plus doleo quia offendi Creatorem meum, quem nollem offendiſſe, nec offendere, pro omnibus bonis & malis quæ poſſent nominari. Vnde & videndo offenſiones meas innumerabiles prædictas, pugno cum omnibus membris meis, & contra dæmones, vt poſſim vincere, & præualere contra prædicta vitia & offenſiones, & non poſſum per aliquem modum omnino: & etiam non inuenio aliquod vadum, nec aliquam feneſtrellam, nec aliquod omnino remedium per quod poſſim euadere, & me adiuuare; & perpendo quòd ego cecidi ita profundè; vnde & humilitate frequēter ſum inabyſſata, & facit me videre peccata mea & ſuperabundantiam malitiarum mearum & iniquitatum, ita quòd non video me poſſe manifeſtare nec diſcooperire ea per aliquem modū. Vt eas ſimulationes & iniquitates meas, & peccata mea poſſem manifeſtare, & vellem ire nuda per ciuitates & plateas, & vellem appendere ad collum meum carnes & piſces, dicens: Hæc eſt illa mulier viliſſima, plena

malis

malis & ſimulatione, & ſeminatrix omnium vitiorum & malorum. Faciebam enim bona ad famam hominum, & faciebam dici omnibus qui inuitabant nos, non comedo piſces, nec carnes, & ego eram plena gulâ & comeſſatione, & ebrioſa: & oſtendebam quòd nolebam recipere niſi quantum ſufficiebat mihi, & ſtudebam eſſe pauper exteriùs; & vbi iacebam, proiiciebam multos pannos, & de manè faciebam eos leuari, ne perſonę venientes hoc perpenderent. Videte animæ meæ diabolum, & cordis mei malitiam: audiatis quomodo ſum hypocrita & filia ſuperbiæ, & quomodo ſum deceptrix, & ſum abominatio Dei. Et oſtendebam me eſſe filiam orationis, & ego erã filia iræ, ſuperbiæ, & filia diaboli. Et oſtendebam me habere Deum in anima, & conſolationes diuinas in cella; & ego habebam diabolum in anima & in cella. Et ſciatis quòd toto tempore vitæ meæ ſtudui, quomodo poſſem habere famam ſanctitatis; & ſciatis in veritate, quòd propter malitias & ſimulationes, quæ abſconſæ ſunt in corde meo, multas gentes decepi, & ſum homicida multarum animarum, & animæ meæ. Et poſteà ſtando in iſta abyſſo, voluebam me ad iſtos fratres meos, qui dicti ſunt filij, & dicebam eis: Nolite mihi de cetero credere; nónne videtis vos quòd ſum dæmoniaca? Vos, qui dicti eſtis filij, rogate iſtam iuſtitiam Dei, vt exeant dæmonia de anima mea, & manifeſtent nequiſſima opera mea, vt non ampliùs vituperetur Deus per me. & nónne videtis, quòd ſi non eſſet malitia in toto mundo, ego replerem totum mundũ de abundantia malitiæ meæ? Nolite mihi plus credere. Nolite plùs adorare idolum iſtud: quia in iſto idolo latet diabolus, & omnia, quæ locuta ſum vobis, fuerunt falſa verba, ſimula-

mulata, & diabolica. Rogate iſtam iuſtitiam Dei vt cadat hoc idolum, & frangatur, & manifeſtentur opera diabolica eius, & mendacia, & verba inorpellata & inaurata quæ dicebam; quia deaurabam me verbis diuinis, vt eſſem honorata & adorata pro Deo. Rogate vt diaboli exeant de iſto idolo, vt non plus decipiatur mundus per iſtam feminam. Vnde rogo Filiũ Dei, quem nominare non audeo, quòd ſi non manifeſtari me per memetipſam fecerit, quòd faciat me manifeſtari per terram, vt aperiat & deglutiat me, vt facta in exemplum dicant homines & mulieres: O quomodo erat inorpellata & deaurata, & tota ſimulata interiùs & exteriùs. Et vellem mittere in collum meum vinculum, vel vnam redortam, & facerem me trahi per ciuitates & plateas, & pueri ducerent me, & dicerent: Hæc eſt viliſſima illa mulier, quæ toto tempore vitæ ſuæ oſtendit falſum pro vero. & homines dicerent ac mulieres: O ecce miraculum quod fecit Deus, quia fecit per ſemetipſam manifeſtari, & dici malitias, & iniquitates, & peccata, quæ toto tempore vitæ ſuæ fuerant abſconſa. Sed iſtud dicere, parum ſufficiebat animæ: & ſciatis quòd ſum poſita in vna deſperatione, quod numquam habui iſto modo; quia omnino deſperaui de Deo, & de omnibus bonis eius, & feci chartam inter me & ipſum. Et ideò ſum certa, quòd non eſt aliqua perſona in mundo ita plena omni malitia, & damnanda, ſicut ego ſum: quia quidquid Deus mihi conceſſit & dedit, ad maiorem meam deſperationem & damnationem permiſit. Vnde rogo vos omnes, vt rogetis iſtam iuſtitiam Dei, vt non plus tardet extrahere dæmonium de iſto idolo, & manifeſtentur nequiſſima opera, quæ intus ſunt, quia caput meum diuiditur, corpus deficit, oculi mei

Digitized by Google

mei caligauerunt propter multitudinem lacrymarum, & omnia membra mea diſiunguntur; quia non poſſum manifeſtare malitias meas & mendacia animæ meæ; ſed gaudeo, quia iam incepit aliquid manifeſtari, & omnia iſta ſine humilitate vera eſſe in veritate videbam; & ſcias quòd tu, qui ſcripſiſti, parum ſcripſiſti in comparatione malorum meorum, & iniquitatum & abuſionum mearum: quia quando eram paruula, incepi operari mala. Hæc & his ſimilia cogor dicere, prædictâ humilitate abyſſata & depreſſa. Poſteà incipit ſuperbia: quia efficior tota ira, tota ſuperbia, tota triſtitia, tota amariſſima & inflata, & aliam amaritudinem maximam recipio de bonis quæ fecit mihi Deus, quia non recordor illorum ad aliquod remedium, ſed ad iniuriam, & ad admirationem doloroſam. Videlicet, quomodo in me numquam potuerit eſſe aliqua virtus, & dubito quòd numquam in me fuerit verax, & etiam non video aliquam rationem quare Deus hoc permiſerit. Et tunc in iſta tentatione omne bonum eſt mihi clauſum & abſconditum, quia efficior in tantum tota ira, tota ſuperbia, tota triſtitia, tota amariſſima, tota inflata, & pœnata & doloroſa pluſquam poſſim dicere. Quia ſi omnes ſapientes de mundo, & omnes Sancti Paradiſi loquerentur mihi omnes conſolationes ad conſolandum me, & promitterent mihi omnia bona quæ dici poſſunt, & etiam ipſe Deus daret mihi, niſi ipſe aliter me mutaret, vel niſi aliter operaretur in anima, nullam conſolationem mihi darent, nec aliquod remedium mihi afferrent, nec eis tunc crederem, imò omnia eſſent mihi ad augmentum dolorum & malorum, & darent mihi maiorem iram, & admirationem, & triſtitiam, & dolorem pluſquam poſſim dicere. Vnde

de pro commutatione prædictorum tormentorum & tentationum, & vt Deus auferret à me prædicta, ego libenter eligerem & vellem omnia mala & infirmitates omnes,& omnes dolores qui fiunt in omnibus corporibus hominum,ſuſtinere,& crederem quòd leuiora & minora mala mihi eſſent, quàm prædicta tormenta. Vnde pluries dixi, quòd pro commutatione prędictorum tormentorum,ego eligerem omne genus martyrij ſuſtinere. Et incepit iſte prædictus ſtatus iſtorum tormentorum & tentationum aliquanto tempore ante Pontificatum Papæ Cæleſtini,& durauit pluſquam per duos annos, in quibus ſæpè ſum tormentata, & adhuc non ſum perfectè neque plenè curata, quamuis parum modò ſentiam aliquando exteriùs,non tamen interiùs. Sed modò, poſtquam fui in iſto ſtatu, cognoſco, quòd inter prædictam humilitatem malam & prædictam ſuperbiam, eſt maxima purgatio & purificatio animæ. In his enim,& per illam,humilitatem veram acquiro, ſine qua nullus homo ſaluatur: & quantò maior eſt humilitas,tantò maior eſt purgatio animæ. Vndę cognoſcò, quòd inter prædictam humilitatem & ſuperbiam comburitur & martyrizatur anima mea. Et propter cognitionem offenſionum & defectuum, quam per prædictam humilitatem anima adipiſcitur, anima purgatur à ſuperbia,& à dæmonibus: & propterea, quantò anima magis afflicta,& depauperata,& humiliata eſt interiùs, tantò magis aptatur, & purgatur, & purificatur, vt magis eleuetur; quia nulla anima poteſt aliter nec plus eleuari, niſi quantum humiliatur; & profundiùs in humilitate complantatur & radicatur. Hactenus B. Angela.

C A-

## CAPVT XVI.

### *De aliis tentationibus in via purgatiua contingentibus, ex doctrina D. Bonauenturæ.*

SANCTVS Bonauentura, rerum ſpiritualium diſcretionis dono conſpicuus, Proceſſ. 4. Relig. à cap. 1. vſque ad 10. ſex enumerat tentationum ſpecies ſiue gradus, quibus Deus purgare, erudire, & exercere ſolet Incipientes, vt ad altiora feruentiùs contendant, quæ etiam aliquando in Proficientibus inueniri ſolent, quas ſatis aptè comparat illis quas paſſi ſunt filij Iſraël cùm tranſirent per deſertum. Placuit autem propriis huius ſanctiſſimi viri verbis omnia, quæ circa hanc materiam ſcripſit, hîc inſerere.

Benignus (inquit) Deus, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, libenter impartitur has delicias ſuas ſeruis ſuis fidelibus ab adoleſcentia ſua, id eſt, in nouitate conuerſionis. Sed heu! poſteà quoſdam eorum ſentit contumaces, quando ex conſolatione ſpirituali elati ceteros deſpiciunt, & in torporem verſi, dum famam laudis deſiderant, iactantiæ vitio deprauantur, & hypocritæ fiunt: & dum meliores videri laborant quàm ſunt, Deo ſe opponunt, gloriam Dei ſibi temerè vſurpantes. Bonus autem Deus ſciens quantum vtilis eſt homini tentatio & tribulatio, priùs ei oſtendit conſolationes dulcedinis, quibus poſtmodum in tentatione confortetur ne deficiat, & alliciatur, vt ſemper ad eas redire deſideret, nec deſiſtat eas requirere, donec denuò recuperet quod amiſit. Sic laboranti in via, priùs copioſa paratur refectio, ne illius labore deficiat. Sic columbæ longiùs emittendæ, priùs nutriuntur tritico

tico cum melle, vt quæ longè emiſſæ fuerint, ſemper illuc redire contendant, vbi delicatè ſe eſſe paſtas reminiſcuntur. Sic priùs Petrus in montem excelſum ſeorſum ducitur, vbi gloriam transfigurationis Chriſti videat, vt poſteà à ſatana expetitus vt cribraret eum, in tentatione recoleret memoriam prioris dulcedinis quam expertus erat, & rediret ad Dominum, quem tam amabilem ſenſerat, ne diffidens & deficiens deſperaret. Sic filiis Iſraël priùs manna datur in deſerto, ne poſteà longo itinere & certamine fatigentur.

## *De prima ſpecie tentationum.*

§. I.

MVLTÆ ſunt tentationum ſpecies. Prima eſt, ſubtractio & inopia deuotionis: aliæ ſine iſta nullam vel minorem virtutem habent, cùm ipſa deuotio ſit quaſi domus refugij ab omni tribulatione; ideò Dauid dicit: *Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos*. Item: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra*, &c. Subtracto ergo tam ſingulari refugio, quodammodò inermis expoſitus eſt hoſtibus tentationum, & ideò pauidus efficitur & puſillanimis, niſi fidei & ſpei firmitate ſe muniat, & patientia & humilitate ſe defendat, quæ tunc maximè habent locum exercendi ſe, & magnam gloriam promerendi. Fides autem probatur, ſi iam credit vera eſſe, quæ iam deſiit per guſtum dulcedinis experiri. Dulcia nimis ſunt omnia, quæ de Deo guſtamus, ſed guſtus eorum ideò ſubtrahitur bonis, vt fides magis innitatur auctoritati Scripturæ quàm experientiæ, & magis ex hoc meritoria ſit. Spes probatur, ſi confidat Deum ſibi eſſe propitium, etiam dum flagellat, & ita ſtudeat ſtudioſè ſeruire & placere in

M omni-

Digitized by Google

omnibus, ac ſi ſentiat & videat eum ſibi eſſe placatum. Vnde Abraham laudatur, quia contra ſpem credidit diuinæ promiſſioni, & non hæſitauit diffidentia. Certiſſimè ſcias, quòd quęcumque promiſit Deus, potens eſt & facere. Patientia probatur, ſi non murmuret contra Deum, quaſi ex ſua duritia hominem tribulet & deſoletur, & ſi longanimiter ſuſtineat beneplacitum Dei, & non deficiat in aduerſis. Humilitas probatur, ſi cogitet ſe dignè puniri, quaſi quòd indignus eſt conſolatione ſpirituali, & ſi iuſtificet Deum, quòd iuſtè iudicauit puniendo reum & ingratum, priuando eum beneficio conſolationis internæ. Tantum nobis debet Deus placere, & tantum debemus Deum diligere quando nos punit, ſicut quando conſolamur: quia tam pia intentione nos punit vt purget, ſicut dum blanditur vt conſoletur; ideò Apoſtolus ait: *Quis enim filius, quem non corripit pater?* Et Ioannes: *Quos amo, arguo & caſtigo.*

## *De ſecunda tentationum ſpecie.*

§. 2.

QVIDAM enim tentantur ex difficultate benè operandi, & habent aliquam bonam voluntatem, ſed non fortem. Ex difficultate obſtacula inueniunt, quaſi qui ſaxum magnum voluunt, & inde affliguntur, tam ex remorſu conſcientiæ quæ accuſat eos, quàm ex dolore tardi profectus, & deſiderio vitæ ſanctioris. Quidam enim vellent habere bona opera, & non valent ad ea exequenda ſeipſos vincere, iuxta illud Apoſtoli: *Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio.* Aliqua verò poſſent, ſed iſta videntur eis arida & praua, quòd diffidunt ea placere Deo, vel alicuius meriti fore; & ſic vtrobique

Digitized by Google

que negligentes ſunt: ita incidunt in quamdam triſtitiam & diffidentiam, ſicut dicit Bernardus de talibus. Sunt qui in ſpiritualibus ſtudiis fatigati, & verſi in torporem, ambulant triſtes, vias Domini: longos dies, longas quærunt & noctes, frequenter murmurant, corde arido ad quælibet iniuncta accedunt. Quidam enim horror terret eos, cùm cogitant de profectu ſpirituali, quaſi dicant apud ſe: Bona eſt victoria, ſed dura eſt pugna: dulce eſt præmium, ſed labor merendi grauis. Sic exploratores miſſi in terram promiſſionis, reuerſi commendabant vbertatem terræ, oſtenſis fructibus; ſed terruerunt populum pro difficultate impugnationis hoſtium, & proceritate inhabitantium. Ita Religioſi quidam explorantes terram per Scripturas, gaudia magna prædicant in cælo fore, ſed pugnas tentationum & labores ſpiritualium exercitiorum ita exhorrent, quòd potiùs volunt in deſerto mori, quàm introduci in terram promiſſionis: hoc eſt, magis volunt in quodam medio ſtatu remanere inter ſæcularem & ſpiritualem vitam, quaſi inter Ægyptum & terram promiſſionis, in deſerto acedioſæ conuerſationis, quàm per labores & tribulationes peruenire ad gloriam perfectionis. Gigantes territi etiam mirantur, & timent quaſi monſtra Enacim, cùm magnorum Sanctorum vitas conſiderant, & de propria paruitate diffidentes, illorum perfectionem attingere non ex humilitate, ſed ex pauiditate deſperant, cauſantes & murmurantes contra Deum, quòd tam dura ſeruitia ab hominibus requirat, ſicut illi qui educti erant de Ægypto ad tales miſerias tolerandas; vnde etiam tam pauci veniunt ad perfectionem, ſicut de omnibus ſuprà ad pugnam enumeratis, tantùm duo terram promiſſionis intrauerunt:

quia illi ſoli perfecti ſunt Religioſi, qui etiam in pugna tentationis & in exercitio virtutis, infatigabiliter conſtantes fuerint in pugna reſiſtendo malis, in exercitio inſiſtendo bonis vſque in finem.

### *De tertia tentationum ſpecie.*

§. 3.

Ex hoc ſequitur alia tentatio, ſcilicet faſtidij, quâ faſtidit homo omne bonum, tædet eum orare, legere, meditari, tædet eum audire bona vel loqui, vel operari, vel intereſſe diuinis, etiam quæ ſine graui labore poſſet facere; & exinde, quia ad magna virtutum præmia peruenire diffidit, etiam in minoribus exerceri faſtidit. Et quòd hæc tentatio ex priori oriatur, oſtenditur; quia ſtatim poſt murmur populi pro labore, ſequitur murmur pro faſtidio mannæ, quod ſignificat ſpiritualis refectionis alimentum, ſicut ſunt verba ſacræ Scripturæ & bona opera, quæ paſcunt hominem & animam, & reficiunt conſcientiam. De hoc Propheta dicit: *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.* Ad duo autem trahit iſta tentatio: aut ad exteriores conſolatiunculas & ſæculares leuitates, vt qui non habent in ſpiritualibus conſolationem, ſaltem in carnalibus quærant & in ſæcularibus, vt conſulant faſtidio quo vexantur: ſic & illi qui manna nauſeant, carnes concupiſcunt, & pepones, & porros, &c. id eſt terrena & carnalia gaudia, ſollicitudines exterorum negotiorum, quæ ſua acredine, quaſi porri, faſtidientem guſtum mutando delectant, ſed poſteà conſcientiam amaricatam ad fletum compellunt, aut ad nimiam triſtitiam trahunt. Hæc tentatio faſtidij, dum non habet in ſpiritualibus delectationem, & in carnalibus conſolari

ſolari renuit, ſic nuſquam inueniens refugium, malo mœrore conſumitur. Solùm ergo reſtat, vt inſtanter clament ad Dominum dum tribulantur, vt de neceſſitatibus ſuis liberentur, & ſacrificent ſacrificium laudis, & annuntient opera eius in exultatione, id eſt, recolant beneficia Dei, vt ex illis ad laudem eius in exultatione ſpiritus prouocentur.

## *De quarta tentationum ſpecie.*

§. 4.

QVOD ſi ſtatim non ſucceſſerit, ſequitur alia tentatio grauis, impatientiæ contra Deum, quare tam durus & immiſericors ſit tribulato, quare tam parcus in dando gratiam egeno, & tam anxiè petenti, tam importunè pulſanti? Et hæc tentatio quandoque tam valida eſt, quòd quaſi inſanit homo & palpitat ex vehementi mœrore, quia ibi non inuenit ſolatium, quod deberet ei eſſe vnicum refugium in oratione, & in tanta ſuppoſitione, cùm Dominus dicat: *Qui quærit, inuenit*, &c. & Iob: *Clamo ad te, & non exaudis me; ſto, & non reſpicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduerſaris mihi.* & Iſaias: *Multitudo miſericordiarum tuarum & miſerationum ſuper me continuerunt ſe*, &c. & Habacuc: *Vſquequò Domine clamabo, & non exaudies?* &c. item: *Exurge, quare obdormis Domine?* &c. item illud murmur filiorum Iſraël: *Eſtne Deus in nobis, an non?* Hæc omnia illius tentationis anxietatem exprimunt, quæ non valet meliùs ſuperari, niſi patienter tolerando, & humiliter expectando, donec nobis benignitatis ſuæ vultum dignetur oſtendere, & manũ largitatis aperire, vt cælum, quod ſuper nos quaſi æneũ ſentitur; ſtillas gratiæ nobis influat, & terra cordis noſtri quaſi ferrea,



Digitized by Google

emollita pluuiis benignitatis Domini, det fructum ſuum, id eſt, affectus pios & deſiderium deuotionis.

*De quinta tentationum ſpecie.*

§. 5.

ILLA autem tentatio magis periculoſa eſt, quæ minùs moleſta ſentitur, quando ex longo tempore & vſu ſubtractionis gratiæ & deuotionis, poſt multa anxia deſideria & labores pro recuperanda gratia, homo quaſi laſſus remittit animum ſuum ab intentione quærendi, & ſub colore patientiæ, deſinit oculos attollere ad opes, quas ſe habere poſſe non videt, & cum indignanti humilitate cogitat ſe fortè indignum tali gratia, & quòd forſan de ipſo illud ordinauit Deus, vt ad exteriora conuerſus multis proſit, & ideò ab interioribus ſic repulſus, vult etiam ſub diſcretionis velamine deinceps parcere ſibi, ne corpus rurſus debilitetur, vel caput irrecuperabiliter deſtruatur; & incipit remiſſior eſſe in ſtudio orationis, & ad confabulationes promptior, ad euagandũ pronior ſiue paratior, ad corporis commoda ſtudioſior, ad inanes iocos promptior, ad exteriores occupationes, ſub ſpecie redimendi tempus vtiliter, voluntarius & intentus. Et ita paulatim ſubtrahitur ei feruor, & deſiderium proficiendi refrigeſcit, & ſtudium langueſcit, ſubintrant affectiones Religioſarum feminarum vſque ad viſitationes illarum, & omnibus aliis extinctis, ſolùm remanet ei ad ſolatium debile, quia adhuc ſcit loqui de ſpiritualibus, per quod vel ſeipſum præfert multis inexpertis talium experientiarum ſpiritualium; vel acquirit ſibi nomen apud Religioſas feminas, quæ exiſtimant eum loqui ex abundantia cordis, & eſſe bonum inſtructorem vitæ ſpiritualis & deuotionis

inter-

Digitized by Google

internæ. In huius tentationis tempeſtate plurimi fluctuant, & pauci enauigant, quos nec amor afficit, nec deſiderium trahit, nec timor ſtimulat, nec feruor proficiendi vrget, remiſſi in omnibus, & ſi qua bona videntur facere, ex vſu quodam vel pudore faciunt humano, vel ex timore, ne deterius eis contingat. Vnde qui hoc deſiderat ſuperare, oportet vt vim ſibimet faciat, tam cordi quàm corpori, ſicut pigrum animal, quod calcaribus trahitur & flagellis agitatur: quidam namque trahuntur impetu furoris ad bonum. Sicut igitur illi indigent fræno quo retrahantur ne præcipitentur, ita alij indigent flagello impellente, quo ad bonum quaſi coacti incitentur. Miſericors autem Deus, quò difficiliùs quis in tentationis pugna certauerit, eò magis perfectionis gratiam retribuit in præſenti, & maioris gloriæ præmium in futuro.

## *De ſexta tentationum ſpecie.*

§. 6.

SVNT & aliæ plurimæ tentationum ſpecies, quarum naturam & origines perſequi longum eſſet. Si enim nullus Medicorum omnes morborum corporalium varietates & dolores plenè poteſt cognoſcere, quantò minùs ſpirituales morbos tentationum & paſſionum, quæ ſubtiliores ſunt, valet aliquis plenè diſcernere, niſi Spiritu ſancto pleniſſimè illuſtratus? Acerbiſſimæ tamen tentationes videntur, hæſitatio in fide Catholica, & deſperatio de Dei miſericordia, & ſpiritus blaſphemiæ contra Deum & Sanctos, & tentatio iniiciendi ſibi manus & ſe perimendi, & quædam perplexitas queruloſæ conſcientiæ medicinale conſilium non admittendi. Hactenus D. Bonauentura.



Digitized by Google

# CAPVT XVII.

## *De remediis contra prædictas tentationes, ſeu deſolationes.*

EGIMVS ſanè iam multa de tentationibus, quibus Incipientes & etiam aliquando Proficientes à dæmone fortiter impugnantur; diximus quoque de cauſis deſolationis: reſtat nunc, vt qualiter qui tentati ſunt, vt cum tentatione faciant prouentum, explicemus, ac remedia aliqua, quibus deſolationes & tentationes ęquanimiter ac cum fructu ſuſtineri valeant, adducamus.

Sunt autem quamplurima remedia, ſed nos breuitati conſulentes, quæ potiora ſunt proferemus. Primum in omnibus, cuiuſcumq; conditionis ſint, tentationibus ſumendum eſt nobis ſcutum fidei, vt dæmoni efficaciter reſiſtere valeamus. *Cui*, inquit S. Petrus 1. Epiſtola c. 5. *reſiſtite fortes in fide.* Sumendum eſt igitur fidei ſcutum in omnibus, vt inquit S. Paulus. Et Propheta: *Scuto circumdabit te veritas eius*, Pſal. 90. *Oportet igitur*, (vt loquitur S. Bernard. Serm. 5. in Pſal. *Qui habitat.*) *vt quia vndique circumdatus es tentationibus, ſcuto circumdabit te veritas eius; vt quemadmodum vndique bella, vndique ſint præſidia. Veritas autem circumdat, quia verax qui promittit, & ſic exhibet vt promittit. Fidelis Deus, ait Apoſtolus* 1. *Cor.* 10. *qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Ac ſi apertiùs dicat: Si viua fide credamus veritates Scripturæ & teſtimonia omnia quæ ad fidem noſtram ſpectant, nulla ratione deficiemus in tentatione. Viua ergo fide tempore tentationis credere debemus fidelem & veracem eſſe Deum, qui nobis promiſit ſe non per-

Digitized by Google

permiſſurum, vt dæmonis tentationes, noſtras ad reſiſtendum vires excedant. Et ideò Apoſtolus inquit: *Fidelis Deus, qui non patietur*, &c. primo loco afflictis & tentatis ante oculos obiiciens Dei ſummam fidelitatem & veritatem, vt hac freti fiducia tentationibus non ſuccumbant.

Præterea Scriptura diuina monet nos fidei ſcutum amplecti, quia viua fide muniti, victores in tentationibus omnibus euademus: & ideò appellat ſcutum fidei, quia ſcuto in pugna omnia corporis membra proteguntur, & in illo cunctas hoſtium noſtrorum ſagittas excipimus; ſicque videre eſt in Prouerbiis Spiritum ſanctum verbum Dei nomine ſcuti appellantem. *Omnis ſermo Dei*, inquit Prouerb. 30. *clypeus eſt omnibus ſperantibus in eum.* Sanctus Paulus etiam eodem nomine illud compellat, dum ait Epheſ. 6. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei*, &c. Siquidem verbum Dei omnibus ipſi fidentibus eſt tamquam pelta quædam ænea, clypeuſque fortiſſimus, quo cor ipſum contegitur, & totus denique homo ab hoſtium iaculis tutatur. Vbi adnotandum eſt, ſingulari laudi verbo Dei vertendum eſſe, quod à Spiritu ſancto clypeus vocetur: idem enim eſt ac ſi diceret, ipſum vniuerſali quoddam præſidium eſſe contra omnes inimici tentationes, quemadmodum ſcutum eſt contra omnes hoſtium inſultus. Galea, gutturale, pectorale, ſuperhumerale, manicæ, armillæ, crurale, arma defenſiua ſunt; eſt tamen inter ipſa non mediocris diſcrepantia: galea namque ſolum caput defendit, collum gutturale, pectorale pectus, ſuperhumerale humeros, manicæ manus, brachia armillæ, crura crurale, & cetera armorum genera ceteras corporis partes, vnumquoduis ſuam tutantur: at ſcutum vniuerſale

propugnaculum eſt, omnia protegens ſeruanſque: hoc enim & brachia, & pectus, & caput, ipſoſque lacertos contuetur; denique nullum datur membrum, quod ab ipſo ſubſidium non capiat, etenim quaquaverſum ad elidendos ictus facilè protendi poteſt. En tibi energiam verbi Dei graphicè depictam: multùm enim differt à ceteris peculiaribus virtutibus, quæ partes ſunt armaturæ Chriſtianæ, & vna quæuis earum proprij ſibi contrarij ictus ſolùm propulſat. Caſtitas libidinem abigit & laſciuiam, ſuperbiam debellat humilitas, iram retundit mititas, auaritiã reprimit liberalitas, & ſic demum reliquæ ſingulæ virtutes ſingulis ſibi contrariantibus vitiis ſeſe opponunt: at verò fides & verbum diuinum habent ſe inſtar clypei, ad tuitionem omnium directi, omnibus omnium tentationum ictibus obuiantis, & generatim & ſpeciatim præſentaneũm contra omnia vitia remediũ præſtantis. Quocircà S. Petrus Apoſtolus, ceu Dux quidam militaris artis peritiſſimus, admonet nos & hortatur, vt ſcutum fidei, quo diabolo animicidæ reſiſtere poſſimus amplectamur, ne à leone illo rugiente, & circumeunte quærendo quem deuoret, ſubitò proſternamur. Et quoniam res iſta tanti eſt momenti, ſtatuit Eccleſia quòd diebus ſingulis ſub Completorium hæc verba reiterentur: *Fratres, ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide*; inculcans nobis quotidie diſcriminoſum illud certamen, quo dæmon nobiſcum confligit, & ob oculos nobis ſtatuendo defenſiua arma, quibus nos munire valeamus, ipſum ſcilicet fidei ſcutum. Ex quo liquet, aperiri nobis in Sacra pagina & dogmatibus à fide traditis armamentarium

quod-

Digitized by Google

quoddam præclarum, omni genere armorum defenſiuorum & offenſiuorum inſtructum, aduerſus multiformes dæmonis inſidias appoſitiſſimorum: quod & ſponſa in Cãticis hiſce verbis adumbrauit, quibus de Eccleſia ſancta ſic fatur Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* Porrò D. Gregorius Hom. 15. in Ezech. aſſerit hanc turrim Eccleſiæ eſſe ipſam Scripturam ſacram, in qua ſiue per exempla, ſiue per doctrinam arma ſalutaria contra hoſtes noſtros nobis aptantur, prout idem S. Doctor fusè proſequitur. Addit ſponſa, latere in hac turri omnem armaturã fortium; ac ſi diceret, quoduis genus armorum, offenſiuorum & defenſiuorum, prorſus vt ne vnum quidem aduerſus vllum hoſtium noſtrorum præliandi telum in ea deſideretur. Vnde conſtare poteſt, quæuis Sanctorum certamina, quaſvis victorias ac triumphos quos peperetunt vmquam, fidei huius viuæ præſidio eos peperiſſe, velut id inſinuat D. Ioannes Apoſtolus in ſua Canonica. *Hæc eſt*, inquit, *victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Cardo enim difficultatis in benè præliando, & de hoſte triumphando, hic eſt, vt arma quibus ad bellum accingimur, in fide ſint ſolidata; quandoquidem, vt vidimus, non ſolùm ſcutum & lanceam fides nobis ſubminiſtrat; ſed inſuper docet nos, qualiter & ſcutum apprehendere, & lanceam vibrare, & gladium intorquere debeamus. Quod vtique bifariàm poteſt intelligi. Primo modo, generali & ordinario, quòd ſcilicet tempore tentationis ijs armis vtamur, quibus vtendum fides nos admonet, quæ ſunt, ieiunium, oratio, humilitas, ſpes, & fidei viuificatio: ſic quippe fiet vt his armis inſtructi, diffiſi nobis ipſis, & Deo eiuſque paternæ pro-

prouidentiæ, quam de certantibus in nomine ſuo gerit, confiſi, victores euadamus; certò credentes eum nobiſcum eſſe, & manus noſtras ad prælium mouere, noſque præſidio ſuo tutari, nec dæmonem citra eius licentiam vel vnum capitis noſtri capillum poſſe diuellere. Denique, cùm res & tempus exegerit, ipſum tempeſtati imperaturum & ventis, vt procella ſedetur, omneſque has tentationes eum permittere ad bonum & vtilitatem noſtram, ad gloriam nominis ſui, & ad triumphos ex hoſtibus noſtris reportandum; quippe qui fidelis eſt, & in ſe confidentibus negare ſe haudquaquam poteſt.

Hic modus prior eſt, ſecundùm quem virtute fidei roborati præliari poſſumus; qui, vt magis innoteſcat, ſubiecto declarabitur exemplo. Vrget & angit anguis ille tartareus vehementi tentatione puellam aliquam, vt honeſtatem caſtitatis abiiciat; tunc fidei armis taliter pugnandum eſt, attendendo nimirum quid fidei lumen hoc caſu nobis ſuggerat, & ante omnia mente retinendo & reuoluendo inæſtimabilem virginitatis & caſtimoniæ dignitatem; mox perpendendo ſupplicium, quod momentaneæ voluptati, teſte fidei doctrina, correſpondet; & quòd fidelis ſit Deus, qui neminem ſupra id quod poteſt patiatur tentari, quodque decertantibus in ſuo nomine numquam deſit. Planè qui ſic perſeueranter agit, trophæum ab hoſte tandem aliquando referet.

Secundus ſe muniendi modus hic eſt, aliquem Scripturæ ſacræ locum quærere qui huc faciat, eiuſque infallibili veritati inſiſtendo, cunctis hoſtium inſultibus & tentaminibus fortiter reſiſtere. Hunc autem modum cum hoſte noſtro confligendi, Chriſtus Dominus Redemptor noſter ſalubriter nos docuit, quando in eremo tentatus à dæmonio, cunctis

eius

Digitized by Google

eius ſuggeſtionibus ſacræ Scripturæ dogmata oppoſuit. Primæ namque tentationi reſpondit, dicens: *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo.* Secundæ: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tertiæ autem: *Scriptum eſt: Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Itaque non ei per ratiocinationes diſcurſúſve reſpondit, (hos ſiquidem facilè ſolet conuellere & eludere; ) ſed per Scriptum eſt, quaſi diceret: Contra quod ſcriptum eſt, quód fides docet, quodq́ue ſuum beneplacitum eſſe Deus declarauit, in vanum laboras, oleum & operam perdens. Quapropter vtiliſſimum & ſaluberrimum remedium eſt, pro peculiaribus ſuis neceſſitatibus peculiaria ſacræ Scripturæ loca ad manum habere, quæ in caput cacodæmonis ſe infeſtantis valeat proiicere, ſicque illum procul à ſe propellere.

Secundum, illudq́ue potiſſimum medium, quo vti in omni tentatione & omni afflictione debemus, eſt patiens & humilis reſignatio, ita vt tentationes & afflictiones omnes, & quidquid nobis ſimile occurrerit, totum, viua etiam fide confortati, de manu Dei omnipotentis, veluti ex æterna paterni cordis eius dilectione nobis tranſmiſſum, non autem à creaturis accipiamus. Debemus igitur viua hac fide credere, aduerſa omnia quæ nobis euenerint, ex paterno Dei fauore & amore quo nos proſequitur naſci, quo ea, quæ nobis magis expediunt, euenire permittit. Et licet incognita ſit nobis vtilitas maxima, quæ in afflictione & tentationibus latet; debemus tamen firmiſſimè credere, benigniſſimũ Deum ea omnia ad ſupremam vtilitatem noſtram ordinare; ideoque libenter iſta patiamur, & diuinum in afflictionibus beneplacitum præſtolemur; ita vt ſi velit nos occidere, in ipſum ſperemus. Sic facie-

bat

bat S. Iob patientiæ exemplum, qui bonorum ſuorum direptionem non prædonibus, non creaturis aliis adſcribebat, ſed potiùs omnia de manu Domini ſuſcipiens aiebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.*

Sed quia & inter alia media magis præcipuum & meritoriũ eſt hæc diuina reſignatio, de illa ex mente cuiuſdam deuoti & pij Doctoris quædam documenta hîc inſerere duxi conſentaneum. *Quòd ſi fortè,* inquit Taulerus 11. Inſtit. *aliqua in aduerſis impatientia te moueri ſentias, reſiſte quantum potes, & ſuſtine: ſicut & omnium hominum perfectißimus Chriſtus Ieſus, adeò ab imminentis ei paſſionis præmeditatione pulſabatur, vt in multa cordis anguſtia diceret: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et quid dicam? Pater, ſaluifica me ex hac hora. O quantum pulſabat animum eius imminens paſſio, vt in agonia poſitus etiam ſanguinem ſudaret! ita & tu in afflictione conſtituta, ſub quanta potes celeritate vires omnes recollige, ipſamque afflictionem in ſua origine regenerans, (ex amore ſiquidem illo, qui Deus ipſe eſt, originem duxit) ipſam velut auream oblationem offerre rationabiliter, Patrique cæleſti exhibere humiliter contende, ſic dicens: O omnis paternitatis Pater, en ego pauper & infirma filia tua, afflictionem hanc hodie de paterna manu tua velut nobiliſſimum pretioſiſſimumque dilectionis munus ſuſcipio. O Pater dilectiſſime, ſi me paſionis huius calicem bibere oportet, inſtar infirmi alicuius, qui pro ægrotationis moleſtia releuanda amarum poculum ſumere compellitur, non mea, ſed tua voluntas fiat. Hoc tantùm rogo & obſecro, amantißime Pater, vt quia ſine te nihil poſſum, virtutem & gratiam mihi tribuas, eam iuxta beneplacitum tuum*

*ſuffe-*

Digitized by Google

*ſufferendi. Dumque iſtud feceris, certa eſto, æterni ac clementiſsimi Patris oculos apertos atque directos eſſe ad reſpiciendum anguſtias tuas, tibiq; opportuno tempore ſuccurrendum, ſi ſaltem expectare voles. Sicut pater aliquis prædilectum filium ſuum diu in pœnis & anguſtiis relinquere non poteſt, quin ei ſuccurrat, ipſum in eius afflictione paterna pietate foueat, recreetque. Præterea in aduerſitate poſita, neque deſperare, neque de paterno corde diffidere debes, dicendo: Oblitus eſt mei Deus, reliquit me Dominus. Cogita potiùs, quia quem diligit Deus, caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Enimuerò videbat ipſe dilectiſſimum Filium ſuum præ anguſtia ſanguinem ſudare, ad columnam ligatum flagellis atrociſſimè cædi, & demum in cruce velut fœnum areſcere: nec tamen in tanta paſsione conſtitutum minùs eum amabat: imò tam ei tunc charus erat in cruce ſuſpenſus, quàm modò in cælis in paterno ipſius ſinu conſtitutus. Et eodem planè modo omnibus eius charis amicis accidiſſe conſtat, quorum alij aſſati, alij decocti, alij in cinerem, alij in puluerem redacti ſunt. Et ita demum etiam tecum agitur, ô anima nobilis. Si enim Domino Deo tuo complacere, & ab eo familiariter diligi cupis, ab ipſo quoque ſingulari dilectione ſingularem haud grauatè paſsionem ſuſcipe. Quæ ſi in finem vſque perſeueraueris, perfecta & ſalua eris, ſicut ipſum veritatis os Chriſtus Dominus teſtatur. In afflictione namque animi, reſignatio eſt ante Deum velut cithara dulciſona, vel ſuauis harmonia. In eius ſiquidem chordis, id eſt animæ viribus, tam dulciter in intima deuotione canit ipſe Spiritus ſanctus, vt ſuauiter earum voces, cæleſtis Patris aures occulto quodam & interno ſilentio penetrent.* Idem Auctor paulò inferiùs proſequitur: *Verumtamen, ô anima nobilis, in afflictione qualibet*

*con-*

*conſtituta, ad memoriam reuocare ſtudebis omnia Chriſti ſuauia dicta pro confortatione tui, vt eſt illud: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos:* Ioan. 15. *& ſanctiſsima promiſſa illius, vt, verbi gratia: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. &: Capillus de capite veſtro non peribit:* Luc. 21. *&: Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum:* Mat. 10. *&: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt:* Mat. 13. *&: In afflictione, & mortis anguſtia ſuſcipite, & leuate capita animarum veſtrarum in gaudio, quoniam appropinquat redemptio veſtra:* Luc. 21. *Denique quicumque tales ſunt milites Chriſti, cum Apoſtolo fidenter dicunt: Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico, Gaudete. Si verò, ô amãs anima, non illicò ſub oratione tua, in qua crucem & afflictionem tuam Deo obtuliſti, diuinam tibi ſentis adeſſe conſolationem, ne quæſo mireris; magis enim ille vas tuum adhuc expurgare conſtituit, antequam in illud diuinæ conſolationis ſuæ infundat balſamum. Secura tamen eſto, ſi in orationis ac deuotionis inſtantia perſtiteris: diues ac liberalis eſt Rex tuus, ſi non illicò fortè tibi præbuerit merum, ad minus certè vinum dilutum, ſiue infirmorum, id eſt, ſolatium internum in lacrymis compunctionis per miniſtros ſuos, id eſt Angelos ſanctos, etiam te ignorante, tibi præſtabit atque miſcebit.* Hæc ille.

Tertium remedium ſit, quòd viua etiam fide recogitet, quòd tentationes illæ magis ad meritum & coronam proficiant, ſi patienter eas ferat, quàm ad animæ ſuæ detrimentum. 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt ſuſtinere poßitis.* & Apoc. 3. *Quos amo, arguo & caſtigo.* Humiliat autem nos Deus per tentationes & tribulationes, vt cognoſcamus quid ſumus ex nobis, & vt quidquid ſcoriæ

Digitized by Google

ſcoriæ vel falſitatis intus latebat, ignis tentationis prodat.

Quartum, Quòd ſæpè viua etiam fide recolat præſentem ſibi eſſe opem Dei, ſine quo nihil boni facere nec cogitare poſſet. Pſal 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Vnde Bernardus Serm. 15. in Pſal. *Qui habitat*, inquit: *Vnde ſcimus quòd nobiſcum ſit in tribulatione? Ex eo vtique, quòd in ea tribulatione nos ſumus. Quis enim ſuſtineret, quis ſubſiſteret, quis perſiſteret ſine eo? Omne gaudium exiſtimemus, cùm in tribulationes varias inciderimus, fratres mei. Non modò, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; ſed, quia iuxtà eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. Si ambulauero in medio vmbra mortis (ait quidam) non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ita ergo nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Hæc Bernardus. Memorque ſit Apoſtoli, qui 2. Cor. 7. de ipſo teſtatur, dicens: *Foris pugnæ, intus timores; ſed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus.* Quare 2. Cor. 1. illum appellat Deum totius conſolationis. *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Adducit alia documenta D. Bonauentura Proceſſ. 4. Relig. c. 8. & 13. quorum præcipua ſunt quæ ſequuntur:

Quintum, Vt omnem cogitationem à tentationibus auertere curet, alias occupationes aſſumendo, quibus obliuiſcatur impugnationum quantum poteſt, ſicut corporali paſſione laborans, ſi ad alia negotia tractanda conuertatur, oblitus paſſionis ſuæ, leuiùs interim torquetur.

Sextum remedium, Patienter & humiliter virgam Domini ſuſtinere, vt ſe dignum afflictione &

labore pugnæ iudicet,& patienter toleret,confidens quòd ei proueniet in bonum,& quòd citiùs purgabitur à peccatis, emundabitur à vitiis, ditabitur virtutibus,ſcientia,meritis,& gloria. Cum Deo non poſſumus contendere,neque per iuſtitiam,quia ſumus peccatores; nec per potentiam, quia infirmi & ſerui eius;nec fugere ab eo per aſtutiam,quia numquam eum latere poterimus, nec dominij eius terminos exire. Vnde Pſal. 138. *Quo ibo a ſpiritu tuo?* Et Iob 9. *Sapiens corde eſt, & fortis robore: quis reſtitit ei,& pacem habuit?* Vnde humiliemus nos coram ipſo, & ſic miſericordiam conſequemur.

Septimum eſt, Orationi incumbere, & auxilium ſupernæ virtutis per ſe & aliorum ſuffragia implorare; quia nec noſtris viribus, nec meritis, nec prudentia poſſumus de tot hoſtibus triumphare, vel ſine letali vulnere tranſire, niſi protecti in manu Dei, & eius adiutorio confortati. Quapropter Pſal. 49. ait: *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Ad hoc enim quandoque permittit Deus hominem tribulari, vt excitetur ad orationis ſtudium, & confugiat ad Dominum, & experiatur eius auxilium, & ad eius exauditionis ſolatium ampliùs in eius amorem exardeſcat,& ſic tam in merito virtutum,quàm in fiducia eius dilectionis exceſcat: ſic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, tam proſpera quàm aduerſa. Solet etiam Deus quandoque fidelem ſeruum ſuum poſtmodum ampliùs conſolari,& prioris perfectionis gratiam conferre in illis, de quibus aliquando fuerat in tentationis moleſtia grauiter tribulatus; ſicut de beato Benedicto ſcribit B. Gregorius, qui dum carnis tentatione grauiter impugnaretur, quia viriliter reſtitit,ita plenè vicit, vt Dei gratia numquã poſteà mo-

motus carnalis illecebræ in ſe ſenſerit; iuxta illud Pſalmi: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Sic etiam in tentationibus cõtra fidei & blaſphemiæ ſpiritus, meretur fidelis bellator quandoque in fide clariùs illuſtrari, & in amore Dei ardentiùs inflammari, vt dicitur in Iſaia: *Erunt capientes qui ſe ceperant, & abiicient exactores ſuos.*

Octauum, Materias & occaſiones tentationum fugere & declinare, maximè carnalium, quæ appropinquantes ſibi accendunt vt ignis. Hæc ſanctus Bonauentura, qui cap. 12. vt ſuprà, loquens de occaſionibus carnalibus fugiendis, ita ſcribit: *Quanti ſub ſpecie ſpiritualis dilectionis ſpirituales feminas frequentauerunt, & orationum ipſarum obtentione. Ecce, quanta puritas in prima intentione, ſcilicet charitas & deuotio: poſteà ſequuntur longæ confabulationes, modò de Deo, modò de ipſorum amore mutuo & fide, & amoroſi aſpectus, & munuſcula pro memorialibus charitatis. Ecce quomodo mixta ſunt iam bona ſpiritualis affectionis & collocutionis fidelis cum aliis inutilibus confabulationibus, & incautæ familiaritatis, & inutilis occupationis cordis circa dilectam. Tandem ſequuntur falſa bona, id eſt vera mala, ſcilicet amplexus, oſcula, tactus manuum & vberum, & ſimilia, quæ omnia ſuſpecta ſunt, & carnalis affectionis indicia, & turpis operis præludia. Poſtremò impudica ſuccedunt, quaſi fructus præcedentiũ, ſcilicet opera aperta iniquitatis. Auguſtinus: O quàm parua & breuis concubitus hora, in qua amittitur vita æterna! In hunc modum palliat ſe ſæpè ſuperbia, ſæpè inuidia, & auaritia, & acedia: vitia, quæ cùm non audent bonos tentare aperta facie, quos ſciunt omne malum odiſſe, aſſumunt aliquod velamen virtutis, ne agnoſcantur eſſe quod ſunt: ſicut*

*quando rapiemur in nubibus obuiàm Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus, ſi tamen curemus interim eum habere nobiſcum, vt ſit comes viæ, qui patriæ redditor eſt futurus; imò qui tunc patria, modò ſit via. Bonum mihi Domine tribulari, dummodò ipſe ſis mecum, quàm regnare ſine te, epulari ſine te, ſine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm eſſe ſine te vel in cælo. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Aurum probat fornax, & viros iuſtos tentatio tribulationis; imò cum eis es Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius adſtas, ſicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, vt diceret, Quia ſpecies quarti ſimilis Filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sæuit ignis, ſed Dominus nobiſcum eſt in tribulatione; ſi Deus nobiſcum, quis contra nos? Nihilominùs quoq; ſi ille eripit, quis eſt qui rapiat de manu eius? quis eſt qui de manu eius poſſit eruere? Poſtremò, ſi ille glorificat, quiſnam alius inglorium faciet? ſi ille glorificat, quis humiliabit? Audi denique quanam gloria ipſe glorificet. Longitudine, inquit, dierum replebo eum.*

## CAPVT XVIII.

### *De aliis etiam prædictis tentationibus reſiſtendi modis.*

VT autem magis animemur ad præfatas contra dæmones pugnas & certaminum gloriam, quatuor ſunt nobis, dum pugnamus, præ oculis habenda. Primum, Fidelitas, qua Regi noſtro deuincti ſumus, vt honorem eius & gloriam cum eius auxilio pro viribus defendamus, & nos ipſos (quos velut caſtra quædam nobiliſſima & ciuitates præclaras

claras in homagio legitimo ab eo tenemus) nulla impugnatione, nullo certandi diſcrimine, eiſdem hoſtibus, id eſt dæmonibus, tradamus.

Secundum eſt, Ipſa imitatio Regis noſtri Ieſu Chriſti, qui de cælo nos inuitans ad hæc bella, clamat: Certate, adiuuabo: vincite, coronabo.

Tertium eſt, Magnitudo ſpectaculi, in cuius medio ſumus certantes. Quemadmodum enim de duobus ſingulariter inuicem certantibus contingit, vt conſanguinei certamen vtriuſque aſpiciant, & victoriam præſtolentur; ſic pro vnoquoq; noſtrûm in huiuſmodi certamine conſtituto, omnes militiæ cælorum exercitus intuentes certamen noſtrum, pro nobis ſolliciti ſunt, orantes omnipotentem Deum, vt nobis de hoſte tribuat victoriam, parati nos cum applauſu & honore triumphali recipere, ſi viderint nos victoriam obtinere. Econtrariò verò, tota illa militia horribilis malignorum ſpirituum, diaboli nos impugnantis victoriam præſtolatur, in odium quidem noſtrum & confuſionem, vt victos tota auiditate ad infernum rapiat, & ibi tormentis perpetuis cruciatibuſque nos affligat. Attende igitur diligenter, quàm glorioſum ſit in oculis tot & tantorum triumphare, quàm ignominioſum ſuccumbere.

Quartum magnopere nos excitare debet, Nobilitas ac pretioſitas brauij & coronæ, quam Rex cælorum fideliter certantibus atque vincentibus pollicetur; quæ vtique ſi hominibus innoteſceret, non ſolùm præſentium certaminum diſcrimina non formidarentur, ſed & auiditate magna deſiderarentur, dicente Apoſtolo 2.Cor.4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus*

prouidentiæ, quam de certantibus in nomine ſuo gerit, confiſi, victores euadamus; certò credentes eum nobiſcum eſſe, & manus noſtras ad prælium mouere, noſque præſidio ſuo tutari, nec dæmonem citra eius licentiam vel vnum capitis noſtri capillum poſſe diuellere. Denique, cùm res & tempus exegerit, ipſum tempeſtati imperaturum & ventis, vt procella ſedetur, omneſque has tentationes eum permittere ad bonum & vtilitatem noſtram, ad gloriam nominis ſui, & ad triumphos ex hoſtibus noſtris reportandum; quippe qui fidelis eſt, & in ſe confidentibus negare ſe haudquaquam poteſt.

Hic modus prior eſt, ſecundùm quem virtute fidei roborati præliari poſſumus; qui, vt magis innoteſcat, ſubiecto declarabitur exemplo. Vrget & angit anguis ille tartareus vehementi tentatione puellam aliquam, vt honeſtatem caſtitatis abiiciat; tunc fidei armis taliter pugnandum eſt, attendendo nimirum quid fidei lumen hoc caſu nobis ſuggerat, & ante omnia mente retinendo & reuoluendo inæſtimabilem virginitatis & caſtimoniæ dignitatem; mox perpendendo ſupplicium, quod momentaneæ voluptati, teſte fidei doctrina, correſpondet; & quòd fidelis ſit Deus, qui neminem ſupra id quod poteſt patiatur tentari, quodque decertantibus in ſuo nomine numquam deſit. Planè qui ſic perſeueranter agit, trophæum ab hoſte tandem aliquando referet.

Secundus ſe muniendi modus hic eſt, aliquem Scripturæ ſacræ locum quærere qui huc faciat, eiuſque infallibili veritati inſiſtendo, cunctis hoſtium inſultibus & tentaminibus fortiter reſiſtere. Hunc autem modum cum hoſte noſtro confligendi, Chriſtus Dominus Redemptor noſter ſalubriter nos docuit, quando in eremo tentatus à dæmonio, cunctis

eius

eius ſuggeſtionibus ſacræ Scripturæ dogmata oppoſuit. Primæ namque tentationi reſpondit, dicens: *Scriptum eſt: Non in ſolo pane viuit homo.* Secundæ: *Scriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tertiæ autem: *Scriptum eſt: Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Itaque non ei per ratiocinationes diſcurſúſve reſpondit, (hos ſiquidem facilè ſolet conuellere & eludere;) ſed per Scriptum eſt, quaſi diceret: Contra quod ſcriptum eſt, quod fides docet, quodque ſuum beneplacitum eſſe Deus declarauit, in vanum laboras, oleum & operam perdens. Quapropter vtiliſſimum & ſaluberrimum remedium eſt, pro peculiaribus ſuis neceſſitatibus peculiaria ſacræ Scripturæ loca ad manum habere, quæ in caput cacodæmonis ſe infeſtantis valeat proiicere, ſicque illum procul à ſe propellere.

Secundum, illudque potiſſimum medium, quo vti in omni tentatione & omni afflictione debemus, eſt patiens & humilis reſignatio, ita vt tentationes & afflictiones omnes, & quidquid nobis ſimile occurrerit, totum, viua etiam fide confortati, de manu Dei omnipotentis, veluti ex æterna paterni cordis eius dilectione nobis tranſmiſſum, non autem à creaturis accipiamus. Debemus igitur viua hac fide credere, aduerſa omnia quæ nobis euenerint, ex paterno Dei fauore & amore quo nos proſequitur naſci, quo ea, quæ nobis magis expediunt, euenire permittit. Et licet incognita ſit nobis vtilitas maxima, quæ in afflictione & tentationibus latet; debemus tamen firmiſſimè credere, benigniſſimú Deum ea omnia ad ſupremam vtilitatem noſtram ordinare; ideoque libenter iſta patiamur, & diuinum in afflictionibus beneplacitum præſtolemur; ita vt ſi velit nos occidere, in ipſum ſperemus. Sic facie-

bat

Digitized by Google

bat S. Iob patientiæ exemplum, qui bonorum ſuorum direptionem non prædonibus, non creaturis aliis adſcribebat, ſed potiùs omnia de manu Domini ſuſcipiens aiebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.*

Sed quia & inter alia media magis præcipuum & meritoriũ eſt hæc diuina reſignatio, de illa ex mente cuiuſdam deuoti & pij Doctoris quædam documenta hîc inſerere duxi conſentaneum. *Quòd ſi fortè,* inquit Taulerus 11. Inſtit. *aliqua in aduerſis impatientia te moueri ſentias, reſiſte quantum potes, & ſuſtine: ſicut & omnium hominum perfectiſſimus Chriſtus Ieſus, adeò ab imminentis ei paſſionis præmeditatione pulſabatur, vt in multa cordis anguſtia diceret: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Et quid dicam? Pater, ſaluifica me ex hac hora. O quantum pulſabat animum eius imminens paſſio, vt in agonia poſitus etiam ſanguinem ſudaret! ita & tu in afflictione conſtituta, ſub quanta potes celeritate vires omnes recollige, ipſamque afflictionem in ſua origine regenerans, (ex amore ſiquidem illo, qui Deus ipſe eſt, originem duxit) ipſam velut auream oblationem offerre rationabiliter, Patrique cæleſti exhibere humiliter contende, ſic dicens: O omnis paternitatis Pater, en ego pauper & infirma filia tua, afflictionem hanc hodie de paterna manu tua velut nobiliſſimum pretioſiſſimumque dilectionis munus ſuſcipio. O Pater dilectiſſime, ſi me paſſionis huius calicem bibere oportet, inſtar infirmi alicuius, qui pro ægrotationis moleſtia releuanda amarum poculum ſumere compellitur, non mea, ſed tua voluntas fiat. Hoc tantùm rogo & obſecro, amantiſſime Pater, vt quia ſine te nihil poſſum, virtutem & gratiam mihi tribuas, eam iuxta beneplacitum tuum*

ſuffe-

*ſufferendi. Dumque iſtud feceris, certa eſto, æterni ac clementiſsimi Patris oculos apertos atque directos eſſe ad reſpiciendum anguſtias tuas, tibiq́; opportuno tempore ſuccurrendum, ſi ſaltem expectare voles. Sicut pater aliquis prædilectum filium ſuum diu in pœnis & anguſtiis relinquere non poteſt, quin ei ſuccurrat, ipſum in eius afflictione paterna pietate foueat, recreetq́ue. Præterea in aduerſitate poſita, neque deſperare, neque de paterno corde diffidere debes, dicendo: Oblitus eſt mei Deus, reliquit me Dominus. Cogita potiùs, quia quem diligit Deus, caſtigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Enimuerò videbat ipſe dilectiſſimum Filium ſuum præ anguſtia ſanguinem ſudare, ad columnam ligatum flagellis atrociſſimè cædi, & demum in cruce velut fœnum areſcere: nec tamen in tanta paſsione conſtitutum minùs eum amabat: imò tam ei tunc charus erat in cruce ſuſpenſus, quàm modò in cælis in paterno ipſius ſinu conſtitutus. Et eodem planè modo omnibus eius charis amicis accidiſſe conſtat, quorum alij aſſati, alij decocti, alij in cinerem, alij in puluerem redacti ſunt. Et ita demum etiam tecum agitur, ô anima nobilis. Si enim Domino Deo tuo complacere, & ab eo familiariter diligi cupis, ab ipſo quoque ſingulari dilectione ſingularem haud grauatè paſsionem ſuſcipe. Quæ ſi in finem vſque perſeueraueris, perfecta & ſalua eris, ſicut ipſum veritatis os Chriſtus Dominus teſtatur. In afflictione namque animi, reſignatio eſt ante Deum velut cithara dulciſona, vel ſuauis harmonia. In eius ſiquidem chordis, id eſt animæ viribus, tam dulciter in intima deuotione canit ipſe Spiritus ſanctus, vt ſuauiter earum voces, cæleſtis Patris aures occulto quodam & interno ſilentio penetrent.* Idem Auctor paulò inferiùs proſequitur: *Verumtamen, ô anima nobilis, in afflictione qualibet*

*con-*

Digitized by Google

*conſtituta, ad memoriam reuocare ſtudebis omnia Chriſti ſuauia dicta pro confortatione tui, vt eſt illud: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos:* Ioan. 15. *& ſanctiſsima promiſſa illius, vt, verbi gratia: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. &: Capilus de capite veſtro non peribit:* Luc. 21. *&: Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum:* Mat. 10. *&: Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt:* Mat. 13. *&: In afflictione, & mortis anguſtia ſuſcipite, & leuate capita animarum veſtrarum in gaudio, quoniam appropinquat redemptio veſtra:* Luc. 21. *Denique quicumque tales ſunt milites Chriſti, cum Apoſtolo fidenter dicunt: Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico, Gaudete. Si verò, ô amãs anima, non illicò ſub oratione tua, in qua crucem & afflictionem tuam Deo obtuliſti, diuinam tibi ſentis adeſſe conſolationem, ne quæſo mireris; magis enim ille vas tuum adhuc expurgare conſtituit, antequam in illud diuinæ conſolationis ſuæ infundat balſamum. Secura tamen eſto, ſi in orationis ac deuotionis inſtantia perſtiteris: diues ac liberalis eſt Rex tuus, ſi non illicò fortè tibi præbuerit merum, ad minus certè vinum dilutum, ſiue infirmorum, id eſt, ſolatium internum in lacrymis compunctionis per miniſtros ſuos, id eſt Angelos ſanctos, etiam te ignorante, tibi præſtabit atque miſcebit.* Hæc ille.

Tertium remedium ſit, quòd viua etiam fide recogitet, quòd tentationes illæ magis ad meritum & coronam proficiant, ſi patienter eas ferat, quàm ad animæ ſuæ detrimentum. 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt ſuſtinere poſsitis.* & Apoc. 3. *Quos amo, arguo & caſtigo.* Humiliat autem nos Deus per tentationes & tribulationes, vt cognoſcamus quid ſumus ex nobis, & vt quidquid

ſcoriæ

ſcoriæ vel falſitatis intus latebat, ignis tentationis prodat.

Quartum, Quòd ſæpè viua etiam fide recolat præſentem ſibi eſſe opem Dei, ſine quo nihil boni facere nec cogitare poſſet. Pſal 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Vnde Bernardus Serm. 15. in Pſal. *Qui habitat*, inquit: *Vnde ſcimus quòd nobiſcum ſit in tribulatione? Ex eo vtique, quòd in ea tribulatione nos ſumus. Quis enim ſuſtineret, quis ſubſiſteret, quis perſiſteret ſine eo? Omne gaudium exiſtimemus, cùm in tribulationes varias inciderimus, fratres mei. Non modò, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; ſed, quia iuxtà eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde. Si ambulauero in medio vmbræ mortis (ait quidam) non timebo mala, quoniam tu mecum es. Ita ergo nobiſcum eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Hæc Bernardus. Memorque ſit Apoſtoli, qui 2. Cor. 7. de ipſo teſtatur, dicens: *Foris pugnæ, intus timores; ſed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus.* Quare 2. Cor. 1. illum appellat Deum totius conſolationis. *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* Adducit alia documenta D. Bonauentura Proceſſ. 4. Relig. c. 8. & 13. quorum præcipua ſunt quæ ſequuntur:

Quintum, Vt omnem cogitationem à tentationibus auertere curet, alias occupationes aſſumendo, quibus obliuiſcatur impugnationum quantum poteſt, ſicut corporali paſſione laborans, ſi ad alia negotia tractanda conuertatur, oblitus paſſionis ſuæ, leuiùs interim torquetur.

Sextum remedium, Patienter & humiliter virgam Domini ſuſtinere, vt ſe dignum afflictione &

labore pugnæ iudicet, & patienter toleret, confidens quòd ei proueniet in bonum, & quòd citiùs purgabitur à peccatis, emundabitur à vitiis, ditabitur virtutibus, ſcientia, meritis, & gloria. Cum Deo non poſſumus contendere, neque per iuſtitiam, quia ſumus peccatores; nec per potentiam, quia infirmi & ſerui eius; nec fugere ab eo per aſtutiam, quia numquam eum latere poterimus, nec dominij eius terminos exire. Vnde Pſal. 138. *Quò ibo a ſpiritu tuo?* Et Iob 9. *Sapiens corde eſt, & fortis robore: quis reſtitit ei, & pacem habuit?* Vnde humiliemus nos coram ipſo, & ſic miſericordiam conſequemur.

Septimum eſt, Orationi incumbere, & auxilium ſupernæ virtutis per ſe & aliorum ſuffragia implorare; quia nec noſtris viribus, nec meritis, nec prudentia poſſumus de tot hoſtibus triumphare, vel ſine letali vulnere tranſire, niſi protecti in manu Dei, & eius adiutorio confortati. Quapropter Pſal. 49. ait: *Innoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Ad hoc enim quandoque permittit Deus hominem tribulari, vt excitetur ad orationis ſtudium, & confugiat ad Dominum, & experiatur eius auxilium, & ad eius exauditionis ſolatium ampliùs in eius amorem exardeſcat, & ſic tam in merito virtutum, quàm in fiducia eius dilectionis excreſcat: ſic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, tam proſpera quàm aduerſa. Solet etiam Deus quandoque fidelem ſeruum ſuum poſtmodum ampliùs conſolari, & prioris perfectionis gratiam conferre in illis, de quibus aliquando fuerat in tentationis moleſtia grauiter tribulatus; ſicut de beato Benedicto ſcribit B. Gregorius, qui dum carnis tentatione grauiter impugnaretur, quia viriliter reſtitit, ita plenè vicit, vt Dei gratia numquã poſteà mo-

motus carnalis illecebræ in ſe ſenſerit; iuxta illud Pſalmi: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Sic etiam in tentationibus cõtra fidei & blaſphemiæ ſpiritus, meretur fidelis bellator quandoque in fide clariùs illuſtrari, & in amore Dei ardentiùs inflammari, vt dicitur in Iſaia: *Erunt capientes qui ſe ceperant, & abiicient exactores ſuos.*

Octauum, Materias & occaſiones tentationum fugere & declinare, maximè carnalium, quæ appropinquantes ſibi accendunt vt ignis. Hæc ſanctus Bonauentura, qui cap. 12. vt ſuprà, loquens de occaſionibus carnalibus fugiendis, ita ſcribit: *Quanti ſub ſpecie ſpiritualis dilectionis ſpirituales feminas frequentauerunt, & orationum ipſarum obtentione. Ecce, quanta puritas in prima intentione, ſcilicet charitas & deuotio: poſteà ſequuntur longæ confabulationes, modò de Deo, modò de ipſorum amore mutuo & fide, & amoroſi aſpectus, & munuſcula pro memorialibus charitatis. Ecce quomodo mixta ſunt iam bona ſpiritualis affectionis & collocutionis fidelis cum aliis inutilibus confabulationibus, & incautæ familiaritatis, & inutilis occupationis cordis circa dilectam. Tandem ſequuntur falſa bona, id eſt vera mala, ſcilicet amplexus, oſcula, tactus manuum & vberum, & ſimilia, quæ omnia ſuſpecta ſunt, & carnalis affectionis indicia, & turpis operis præludia. Poſtremò impudica ſuccedunt, quaſi fructus præcedentiũ, ſcilicet opera aperta iniquitatis. Auguſtinus: O quàm parua & breuis concubitus hora, in qua amittitur vita æterna! In hunc modum palliat ſe ſæpè ſuperbia, ſæpè inuidia, & auaritia, & acedia: vitia, quæ cùm non audent bonos tentare aperta facie, quos ſciunt omne malum odiſſe, aſſumunt aliquod velamen virtutis, ne agnoſcantur eſſe quod ſunt: ſicut*

*qui mentitur ſe amicum eſſe, donec admiſſus doloſè interſiciat. Sic Ioab tenuit mentum Amaſæ, quaſi oſcularetur eum, ne ſuſpicaretur eum hoſtem eſſe, & non obſeruaret gladium eius doloſum, & ita in dolo occidit eum. Sic Iudas oſculo Chriſtum tradidit crucifigendum à Iudæis.*

Demum, Vt tribulationum vtilitatibus penſatis, non tam in patientia quàm in deſiderio habeantur, audi D. Bernardum de tribulationum bonis in Pſal. *Qui habitat*, Serm. 16. his verbis loquentem: *Vtilis tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. Cum ipſo ſum (inquit) in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Agamus gratias Patri miſericordiarum, qui nobiſcum eſt in tribulatione, & in omni tribulatione noſtra nos conſolatur. Res enim, vt dixi, neceſſaria tribulatio, quæ in gloriam vertitur, triſtitia quæ mutatur in gaudium. Gaudium ſanè longum quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res neceſſaria eſt iſta neceſſitas quæ coronam parit. Non contemnamus, fratres; ſemen modicum eſt, magnus exinde fructus exurgit: fortè inſipidum, fortè acerbum eſt, fortè granum ſinapis. Non conſideremus quæ videntur, ſed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna. Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in ſpe gloriæ magni Dei; non ſolùm autem, ſed vt dicam expreſſiùs, gloriemur in tribulatione; in ea ſiquidem ſpes gloriæ eſt. Vide ſi non hoc ipſum docere voluit Apoſtolus, cùm ſubiunxit: Quoniam tribulatio patientiam operatur,*&c. *Manifeſtè aduertere eſt, in his verbis cùm præmiſiſſet Apoſtolus gloriari in ſpe, non aliud aliquid, ſed amplius eum addidiſſe dicendo: Non ſolùm autem, ſed & gloriari in tribulationibus; non enim altera gloriatio commendatur, ſed additur*

*ditur vbi ſpes gloriæ, vbi ipſa ſpei gloriatio requiratur: ſiquidem in tribulatione ſpes gloriæ, imò & ipſa in tribulatione gloria continetur; ſicut ſpes fructus in ſemine, ſicut & ipſe fructus in ſemine eſt. In hunc modum etiam modò regnum Dei intra nos eſt, theſaurus ingens in fictili vaſe, in agro vili. Eſt inquam, ſed abſconditum eſt. Felix qui ibi inuenerit illud. Quis ille? nempe qui magis cogitauerit meſſem, quàm ſementem. Oculus fidei inuenit hunc theſaurum, non ſecundùm faciem iudicans, ſed videns quæ non apparent, ſed intuens quæ non videntur. Quàm veraciter hunc theſaurum inuenerat, quem volebat inueniri & ab aliis, qui dicebat: Momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ, ſupra modùm in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non dixit, Remunerabitur; ſed, Aeternum gloriæ pondus operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc leui, pondus ſublime, & ſupra modũ. Interim ergo feſtinemus nobis emere agrum iſtum, emere theſaurum iſtum, qui abſconditus eſt in agro. Omne gaudium exiſtimemus, cùm in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex ſententia: Bonum magis ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Cum ipſo ſum in tribulatione, ait Deus, & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum eſt. Non ſolùm autem, ſed & ponere in Domino ſpem meam; quia eripiam eum, inquit, & glorificabo eum. Cum ipſo ſum in tribulatione. Deliciæ, inquit, meæ eſſe cũ filiis hominum. Emmanuel, nobiſcum Deus. Aue gratia plena, ait Angelus ad Mariam, Dominus tecum. In plenitudine gratiæ nobiſcum eſt, in plenitudine gloriæ erimus nos cum eo. Deſcendit, vt propè ſit his qui tribulato ſunt corde, vt nobiſcum ſit in tribulatione noſtra, erit autem*

 *quan-*

*quando rapiemur in nubibus obuiàm Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus, ſi tamen curemus interim eum habere nobiſcum, vt ſit comes viæ, qui patriæ redditor eſt futurus; imò qui tunc patria, modò ſit via. Bonum mihi Domine tribulari, dummodò ipſe ſis mecum, quàm regnare ſine te, epulari ſine te, ſine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm eſſe ſine te vel in cælo. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Aurum probat fornax, & viros iuſtos tentatio tribulationis; imò cum eis es Dómine, ibi in tuo nomine congregatis medius adſtas, ſicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, vt diceret, Quia ſpecies quarti ſimilis Filio Dei. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sæuit ignis, ſed Dominus nobiſcum eſt in tribulatione; ſi Deus nobiſcum, quis contra nos? Nihilominus quoq; ſi ille eripit, quis eſt qui rapiat de manu eius? quis eſt qui de manu eius poſſit eruere? Poſtremò, ſi ille glorificat, quiſnam alius inglorium faciet? ſi ille glorificat, quis humiliabit? Audi denique quanam gloria ipſe glorificet. Longitudine, inquit, dierum replebo eum.*

## CAPVT XVIII.

### *De aliis etiam prædictis tentationibus reſiſtendi modis.*

VT autem magis animemur ad præfatas contra dæmones pugnas & certaminum gloriam, quatuor ſunt nobis, dum pugnamus, præ oculis habenda. Primum, Fidelitas, qua Regi noſtro deuincti ſumus, vt honorem eius & gloriam cum eius auxilio pro viribus defendamus, & nos ipſos (quos velut caſtra quædam nobiliſſima & ciuitates præclaras

claras in homagio legitimo ab eo tenemus) nulla impugnatione, nullo certandi diſcrimine, eiſdem hoſtibus, id eſt dæmonibus, tradamus.

Secundum eſt, Ipſa imitatio Regis noſtri Ieſu Chriſti, qui de cælo nos inuitans ad hæc bella, clamat: Certate, adiuuabo: vincite, coronabo.

Tertium eſt, Magnitudo ſpectaculi, in cuius medio ſumus certantes. Quemadmodum enim de duobus ſingulariter inuicem certantibus contingit, vt conſanguinei certamen vtriuſque aſpiciant, & victoriam præſtolentur; ſic pro vnoquoq; noſtrûm in huiuſmodi certamine conſtituto, omnes militiæ cælorum exercitus intuentes certamen noſtrum, pro nobis ſolliciti ſunt, orantes omnipotentem Deum, vt nobis de hoſte tribuat victoriam, parati nos cum applauſu & honore triumphali recipere, ſi viderint nos victoriam obtinere. Econtrariò verò, tota illa militia horribilis malignorum ſpirituum, diaboli nos impugnantis victoriam præſtolatur, in odium quidem noſtrum & confuſionem, vt victos tota auiditate ad infernum rapiat, & ibi tormentis perpetuis cruciatibuſque nos affligat. Attende igitur diligenter, quàmglorioſum ſit in oculis tot & tantorum triumphare, quàm ignominioſum ſuccumbere.

Quartum magnopere nos excitare debet, Nobilitas ac pretioſitas brauij & coronæ, quam Rex cælorum fideliter certantibus atque vincentibus pollicetur; quæ vtique ſi hominibus innoteſceret, non ſolùm præſentium certaminum diſcrimina non formidarentur, ſed & auiditate magna deſiderarentur, dicente Apoſtolo 2. Cor. 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus*



Digitized by Google

*operatur in nobis.* Et alibi: *Exiſtimo quòd non ſunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.*

Illud etiam ſummopere oportet aduertere, nullam eſſe tentationem aut vitium, contra quam non ſolùm virtute contraria, ſed & omnium virtutum actibus non poſſimus pugnare. Quod vt manifeſtius fiat, adducemus modos & artificia, quibus vtuntur virtutes contra vitia. Hæc igitur, vt benè aduertit Guilielmus Pariſienſis in tract. de Tentat. c. 5. dicimus eſſe tria. Quorum primum eſt, Iaculorum ſeu telorum, quæ à parte vitiorum iaciuntur, eliſio ſiue euaſio, quod dupliciter fit. Primò, Per fugam, iacula nimirum declinando, & tentationes elidendo, ita vt in vacuum laboret hoſtis. Secundò, Per indignationem, ſicut negotiator qui chariſſimam habet mercem aliquam, longè minùs iuſto pretio offerentem emptorem nec reſpicere nec audire dignatur, ſæpè etiam illi indignatur: ſic qui Deum amat, quidquid pro eo deſerendo diabolus offerat, eum reſpicere vel audire dedignatur, & eidem indignatur, cùm ſuper omnem æſtimationem minus offerat quàm decens ſit. Iſto autem artificio glorioſiſſimus triumphus acquiritur, quando iacula ipſa vilipenduntur. Ipſe enim diabolus ignominioſiſſimè vincitur, quando nec reputatur habere vnde pugnare valeat.

Secundum artificium eſt, Repercutere, & hoc proprio, non alieno gladio. Hoc autem facit vnaquæque virtus, quotieſcumque in tentatione eius decor & nobilitas cogitatur. Hac enim cogitatione, & ipſa peccata quæ tentant, & ipſæ cogitationes & iacula quæ ab ipſis emittuntur, ſemper tamquam vulnerata debilitantur, proſternuntur, vel etiam

diſpa-

diſparent & euaneſcunt; ſicut exhibita luce tenebræ diffugiunt. Pro eo enim ſolo, ea quæ vitiorum ſunt, alicuius momenti nobis eſſe videntur in hora tentationis, quia lux virtutum, vel per ignorantiam, vel per negligentiam tunc nobis abſconditur; ſicut putredines lignorum & ſquamæ piſcium ideò de nocte lucent, quia lux ſolis abeſt; & ex eadem cauſa, in tenebris noctis, frutices videntur acies bellatorum, & aliquando magnus exercitus. Ideò etiam nos lædunt & vulnerant ea quæ vitiorum ſunt, quia aliquid eſſe nobis videntur; ſicut in ſomniantibus, quia phantaſmata rerum, non ipſa veritas eos mouent, non minùs delectant eos aut contriſtant dum dormiunt, quàm faceret ipſa veritas vigilantes. Peccantes enim ſunt & ſe habent ſicut ſomniantes, vnde & euigilare ſibi videntur cùm reſipiſcunt, & per pœnitentiam reuertuntur. De hoc Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Et Scriptura exemplis iſtis refertiſſima eſt. Vnde patet, quòd ſic ſunt virtutes & vitia, ſicut veritates & phantaſmata, & ſtatus culpæ & gratiæ, ſicut ſomnus & vigilia. Sicut ergo adueniente vigilatione recedunt phantaſmata, ſic conſtituta mente in luce veritatis, tamquã in vigilia & veritate, recedunt phantaſmata tentationum.

Tertium artificium eſt, quo vnaquæque virtus viam ipſis vitiis intercipit: accipit enim iacula ad tranſuerberandum vnumquodque vitium ab ipſo vitio. Vocamus autem iacula, argumenta Spiritus ſancti, quæ deſumuntur ex ipſis vitiis contra ipſa vitia. In quo ſenſu exponi poteſt illud Ioan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, arguet mundum de peccato*, eliciens ſcilicet de eodem peccato argumenta ad concludendum contra peccatum & peccatorem.

Et hoc eſt quod voluit Paulus ad Rom. 7. *De peccato damnauit peccatum:* quemadmodum de ſcorpione contra ipſius morſum, & de ſerpentis veneno contra ipſius venenum medicina conficitur. Sic 1. Reg. 17. Goliath proprio gladio interficitur, & Iudith Holofernem proprio pugione decollauit. Iſtud igitur artificium eſt, quo ipſe qui tentatur, obiicit peccato turpitudinem ſuam. Verbi gratia, cùm conſiderat fœditatem luxuriæ, & ex ea abominatur eam, & reiicit à ſe, & ab ipſa luxuria accipit iaculum quo ipſam proſternit. Eodem modo quot malitias eius conſiderat, quot nocumenta, tot ab ipſa iacula accipit, & in ipſa eadem iaculatur. Vt autem pugna virtutum manifeſtior fiat, ponemus exemplum tentationis in quo omnes pugnant. Hoc autem illud eſt quod familiarius & lucidius nobis occurrit. Aliquis committit vxorem ſuam ſpecioſam bonæ fidei alicuius in cuſtodia; ille verò exardeſcit in concupiſcentiam ipſius. Primò igitur pugnat fides, & dicit: Toxicata eſt iſta voluptas, atque mortifera, ne biberis eam. Deinde timor obiicit tremendum Dei iudicium, & gladium extremæ ſententiæ, omniaque infernalia ſupplicia. Tertiò pugnat ſpes, & dicit: Quid enim mihi eſt in cælo gaudiorum? ſupple, & tu caro nequiſſima quid mihi offers ſuper terram? non dimitto gaudia illa perpetua ac puriſſima, pro hac quam offers mihi ſpurciſſima & falſiſſima & breuiſſima voluptate. Deinde pugnat charitas, & dicit: Charũ habeo Deum meũ, tam vili pretio nec me nec ipſum vendam, gratiam eius diligo, non ipſum pro te, ô nequiſſima voluptas, offendam. Deinde caſtitas: Ne labores in vanum, eouſque mihi placet puritas & candor meus, vt omnia inquinamenta tua, tamquam mortem dete-

deteſter. Deinde caſtitas ſpiritualis: An neſcis quia cum Rege regum contraxi matrimonium in Baptiſmo? nullo modo illud polluam vel infringam. Deinde pugnat fortitudo, & dicit: Nec vires habes nec arma contra me, ferrum & ignem paratus ſum pati, & tu me puluinaribus tentas obruere? Deinde magnificentia cordis, & dicit: Tu quæ es, aut quanta es, vt me audeas prouocare? Poſthac iuſtitia pugnat, & dicit: Ad furtū & proditionem me inuitas, non te audeo: fidei meæ commiſſa eſt mulier iſta, cuſtos eius eſſe debeo, non proditor. Deinde ſanctitas ait: Iſta mulier templum Dei eſt in Baptiſmo conſecratum, & imago Dei viua & ſancta: abſit vt illud violem vel polluam. Poſtmodum ſapientia, An neſcis, inquit, quia ego puritas palati cordis ſum & guſtus ſpiritualis munditiei? & tu apponis fæculentiam luxuriæ comedendam? An neſcis indignationem ſtomachi ſpiritualis in quo ſum, qui nec modicum ſe inquinari ſuſtinere poteſt, quin illud per confeſſionem ſtatim euomat? Ego ſum illa, in quam nihil inquinatum incurrit, ſicut legitur Sapientiæ 6.

## CAPVT XIX.

*Quæ ſint potiſsimùm obſeruanda ab Incipientibus, ne illis aberrare contingat in via hac ſupernaturali, tam tempore conſolationis quàm deſolationis.*

SI QVI ſunt in via ſpirituali quibus inſtructione aliqua opus ſit, maximè ſunt Incipientes, & viam purgatiuā ſupernaturalem ingreſſi; tum quia inexercitatos habent ſenſus, & à vitiis & paſſionibus nondum purgatos; tum etiam, quia nunc ſenſibili

bili delectatione exuberantes, nunc deſolatione, derelictione, aliiſque tentationibus ſummopere oppreſſi, iam ad cælos vſque glorioſi aſcendunt, nunc ad abyſſos vſque miſeri & deſolati deſcendunt: nunc igne calidiores feruentioreſque videntur, nunc gelu ipſo frigidiores inueniuntur. Qua ſpiritualium humorum inæqualitate maximo in periculo verſantur. Vnde fit vt præ aliis hi, magiſtri ſpiritualis diſcretione, niſi aberrare velint, regi debeant. Quare non erit ab re, eis ſalutares aliquas tradere inſtructiones. Sed quia in Incipientibus duplex eſt ſtatus maximè inter ſe diuerſus, debet attendi primus, cùm influxus diuinæ gratiæ illis præſens eſt, cæleſtique rore irrigantur; ſecundus, quando deuotionis gratia à Deo omnino eis ſubtrahitur, ac inopes & deſolati variis dæmonum tentationibus impugnantur. Igitur iuxta hunc duplicem ſtatum; quid in vnoquoque ab Incipientibus præſtandum ſit, edocere conabimur. Incipiemus autem à tempore viſitationis diuinæ.

## CAPVT XX.

### *Qualiter ſe gerere debeant Incipientes tempore affluentis gratiæ & conſolationis.*

SICVT temporanea ac terrena felicitas mundanos homines excæcat, & in ſuperbiam aliaque vitia ſolet adducere; ſic & ſpiritualis proſperitas, etiamſi ex ſe bona & à Deo ſit, ſpirituales viros multis ſolet exponere periculis. *Proſperitas ſtultorum*, inquit Sapiens Prou. 1. *occidet eos*. Quare hoc tempore ſingulari opus eſt diſcretione, quam impoſſibile ferè eſt inuenire in ſpirituali tyrone. Animaduertat igitur diligenter, ſi perire non deſiderat, ea quæ ſequuntur.

Pri-

Primùm ſcire debet, ad conſeruandam gratiam nulla re æquè iuuari poſſe, quàm Dei timore, vt ſanctus Bernardus Serm. 50. in Cantic. prudenter ſcripſit: *In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. Time ergo cùm arriſerit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur: hoc eſt ſemper pauidum eſſe. Succedant viciſſim tibi in animo tres iſti timores, ſecundùm quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterùm placata redire ſentietur. Cùm adeſt, time ne non dignè opereris ex ea. Videte, inquit Apoſtolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Quid ſi receſſerit? an multò magis tunc timendum? Planè multò magis, quia vbi deficit tibi gratia, deficis tu. Time ergo ſubtractâ gratiâ tamquam mox caſurus, time & contremiſce, Deo tibi, vt ſentis, irato: time, quia reliquit te cuſtodia tua.* Quapropter quando à Deo benignè viſitaris, quando tranquilla & ſerena ſunt omnia, quando ſenſibili amore & dulcedine videris plenus, nullo pacto tibi placeas, nulla ratione ineptæ lætitiæ aut periculoſæ ſecuritati te tradas, ſed potiùs in timore ſancto contine teipſum, ac meræ diuinæ gratiæ ac pietati, non tuæ diligentiæ, atque tuis meritis ac laboribus tribuas, paratus iugiter recipere tribulationem inopiamque ſpiritualem, vbi Dominus eam ad te redire voluerit.

Secundò, Caueat, ne in gratia aut amore ſenſibili, aut aliis donis ipſius Dei, proprium commodum, vtilitatem, aut dulcedinem quærat: caueat iterùm, ne abutatur eis ad ſuam oblectationem, quin potiùs omnibus donis renuntians, hoc tantùm deſideret, vt in ſe fiat Dei rectiſſima voluntas. Quare inſtar

apis

apis argumentoſæ, circumuolare rationis & conſiderationis alis ſuper omnia dona Dilecti, atque diſcretionis aculeo ſic ſingulas ſuauitates diuinæ conſolationis delibare atque guſtare debet; in nullo dono moras contrahat quieſcendo, ſed potiùs ex quolibet materiam aſſumat ſpiritualis mellis, hoc eſt ſpiritualis laudis & gratiarum actionis. Curabitque deinde omnem proprietatem ſuæ voluntatis tam plenè in diuinum beneplacitum reſignare, vt nullam aliam in ſe voluntatem ſentiat quàm diuinam. Quare quamdiu iſtam abnegationem & reſignationem propriæ voluntatis non ſenſerit, habeat pro comperto, ſe viam ſpiritualem non inchoaſſe. Nec facilè debet arbitrari ſe aliquam ſanctitatem, cùm ſenſibili deuotione dotatur, fuiſſe conſecutum: nam grauiſſimorum virorum, vt ſuprà retulimus, ea eſt certa ſententia, multas affectiones & ſenſiones plerumque in homine inſurgere, quæ magnæ ab aliquibus reputantur; cùm verè nihil aliud ſint, quàm innati appetitus naturæ, aut voluntatis propriæ, aut dulcedinis falſæ à dæmone immiſſæ, vel ex propria apprehenſione & complexione ſua ortæ. Præſertim verò infra quadrageſimum annum natura multùm inſtabilis, inconſtans, & affectuoſa à multis viris experientiâ conſpicuis iudicatur, quæritans ſeipſam frequenter in omnibus exercitiis, commodum videlicet ſpiritualis ſaporis, & oblectationis vel ſolatij, ipſa adhuc natura ignorante; & vbi homo putat ſpiritualem vitam fouere, propriam cum voluptate paſcit naturam.

Tertiò, Semper paratus ſit carere conſolationibus iſtis, quibus à Deo tantopere recreatur: eſt enim hæc reſignatio in hoc affluentiæ ſtatu præ oculis ſemper habenda, præferendaque eſt Dei voluntas, ſiue det

ſiue

ſiue auferat, omnibus aliis donis, & Deus magis quàm donum diligendus; aliàs ſeruula mercenaria, non filia liberalis exiſtimatur. Hoc autem ſigno poterit manifeſtè colligere an ſponſa Chriſti pudica, an mercenaria ancilla debeat iudicari, ſi ſublata ei illſa ſuauitate ſenſibili, mox ipſa tota amarulenta, tota indignabunda, tota turbulenta, impatienſque tota, pietatis ſtudia deſerat, timoriſque & pudoris habenis excuſſis, ſe prorſus externis conſolationibus tradat; videlicet ſi Deus eam oblectare vult, Deo ſeruit; ſin minùs, ab eo recedit. Anima verò fidelis, ſiue Deus infundat internam ſuauitatem, ſiue non, tranquilla permanet, hilariter ſuo ſponſo famulatur, fideliter ei adhæret, conſtanter eum diligit, magis optat voluntatem Dei fieri, quàm ſuam. Sciat prætereà nullam eſſe perfectiorem & excellentiorem reſignationem, quàm in ſui derelictione eſſe reſignatam, perfectamque vitam non in eo potiſſimùm ſitam eſſe, vt conſolationibus abundet, ſed vt voluntatem ſuam diuinæ permittat ac reſignet voluntati, tam in amaris quàm dulcibus, tam in proſperis quàm aduerſis.

Quartò, Diuinæ gratiæ influxui ita ſatisfacere curet, vt vires corporales minimè lædantur: admodum enim periculoſa eſt ſpiritualis ingluuies, qua quis dulcedine gratiæ oblectatus, ſpiritũ intempeſtiuè ſolet perurgere ad maiorem feruorem, quàm corporales vires ferre poſſunt, vt latiùs in ſuperioribus adnotauimus. Diſcretè igitur ſe gerat, diſcretionis vbique regula ſeruata: nec enim expedit, vt quæcumque bona alios feciſſe legis vel audis, ea tu mox nulla infirmitatis tuę habita ratione, facias: diſce gratiam tibi donatam humiliter ſubſequi, non autem impatienter præcedere; neque coneris men-
tem

tem illuc cum effræni impetu impellere, quò nondum conſcendere permittitur: neque ad ea præſtanda violenter ipſe te perurgeas, quæ virtutem corporis aut animi tui ſuperant; ſed potiùs placidè amori & diuino influxui inſeruire conaberis: ſi fuerit enim vtile vt ad ſublimitatem theoriæ cæleſtis peruenias, ipſa Dei gratia meliùs eò te ducet, quàm tuus violentus conatus ac labor.

Quintò, Memor ſit, veram perfectionem non in perceptione magnæ dulcedinis, nec in conſolationum affluentia conſiſtere, ſed potiùs ſitam eſſe in vera iuſtitia ac mandatorum Dei obſeruatione, & vt quis ſe & omnia pro Dei amore relinquat atque mortificet, & voluntatem propriam in voluntatem Dei integrè transfundat. Ad veram igitur perfectionem, integra mortificatione atque reſignatione peruenitur. Nonnulli ſe periiſſe putant, quando ſenſibili conſolatione priuantur; & rurſum ſe ſanctos, Deoque acceptiſſimos eſſe credunt, quando illam accipiunt; ſed falluntur & errant: plerumque enim Deus ibi per gratiam ſuam maximè adeſt, vbi minimè ſentitur: & vbi maximè ſentiri videtur, ſæpè procul abeſt. Quare non raró melior eſt homini ariditas cordis, quàm profuſiſſima abundantia ſuauitatis. Certa ſanctitas & deuotio eſſentialis, eſt æqualis illa animi promptitudo, qua quis paratus eſt ſeruire Deo non minùs in aduerſis, quàm in proſperis.

Sextò, Diuinæ gratiæ abundantiam ad ſuiipſius mortificationem, ad omnium virtutum exercitationem dirigat, nec ita ſit deuotione illa abſorptus, vt vitæ actiuæ ac miſericordiæ operibus non ſtudeat; nam apis quando in floribus quieſcit, neque mel neque ceram conficit: parum enim iuuat per con-

conſolationem diuinæ viſitationis concipere, niſi etiam partus ſequatur.

Septimò, Maximi momenti eſſe ſciat ad ſpiritus profectum, arcana cordis ac ſinus animæ omnes Confeſſori aut Patri ſpirituali manifeſtare: nam, vt optimè Richardus in Cant. cap. 39. ſcribit, *docent aliqui falſa ſub ſpecie Religionis. Dæmones quoque in corde ſuggerunt falſam iuſtitiam, & falſam intelligentiam pro luce veritatis. Intendunt quippe aliqui arcum Scripturæ, & parant ſagittas ſuas in pharetra ſua, vt ſagittis ſuis ſagittent in obſcuro rectos corde, & quæ Dominus perfecit, id eſt perfectè fecit, & per Doctores expoſuit, deſtruunt, & ad ſuum errorem inflectunt. Dæmones etiam quædam ſubtilia & quaſdam reuelationes in aliquibus operantur, & item quædam noua & inſolita, quæ curioſi & ſimplices mirantur & venerantur. Bonorum igitur recta eſt & ſana intelligentia, formantur opera ſicut ex corde procedit vita. Rectos greſſus pedibus ſuis faciunt, quia cuncta cum conſilio faciunt; & non ſolùm peccata ſua, ſed etiam occultas ſuggeſtiones cordis in confeſſione exponunt. Non enim poteſt errare, qui cum conſilio viuit; nec ab inimico decipi, qui ſuggeſtiones eius detegit.* Quibus ſubſcribit Caſſianus Col. 2. cap. 1. dum inquit: *Nullo namque alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm, neglectis conſiliis ſeniorum, ſuo iudicio perſuaſerit diffinitioniq; confidere.* Quare omnino inſtituentis cura omnibus, ſed maximè Incipientibus eſt neceſſaria, ad præcauendas & eludendas ſatanæ inſidias.

Octauò, Ne nimio zelo animarum feratur, ne fortè volens alios lucrari, ſeipſum interimat. Concha priùs fiat, vt poſteà canalis gerat officium. *Nam*

*imperfectus* (vt venerabilis ſcribit Richardus c. 8. in Cant.) *quamdiu non habet niſi parum olei charitatis quo ipſe tantùm vngatur, & nondum per intima dona gratiæ ſolidari meruit, non velit exteriùs implicari, ne curarum ſæcularium æſtu & humanæ conuerſationis & mutabilitatis vento contingat eam ab eo exiguo quod accepit exſiccari. Exterior enim occupatio imperfectos citò immutat & deiicit, quia muſcæ morientes, id eſt cogitationes mundanæ, perdunt ſuaue vnguentum gratiæ minùs in anima fundatæ. Cupit ergo abundare priùs ſibi, vt ſic poſſit aliis infundere: hoc oleo vult potiùs inungi, quàm vngere; de pleno fundere, quàm effundere; fluere, quàm effluere. Qui enim indiſcretè aliis prodeſſe cupit, & ante tempus effundit, ſemper inops & à gratia vacuus manet, & profectum ſuum impedit, & aliis minùs proficit. Non vult itaque prudens anima à quiete & ſilentio, quo ſe in iuſtitia excolit, euocari, quia cultus iuſtitiæ ſilentium requirit, donec cultus iſte ad fructum & maturitatem peruenerit; videlicet, donec perfectè profecerit, & donec induatur virtute ex alto, reſidere ſtudet in ciuitate, id eſt inter clauſtra conſcientiæ.*

Nonò, Donum acceptum non intempeſtiuè apud ſe magnificet, neque de eo apud alios paſſim loqui geſtiat; (diuulgare tamen illud verecundè humiliterque poterit, ſi vtilitas ſpiritualis vel neceſſitas exegerit;) quin potiùs cogitationem tuam ab ipſo dono tunc auerte, perinde ac ſi nihil accepiſſes, Deoque intende. Si illud exactiùs apud temetipſum expendere vis, ad hoc ſolùm expende, vt & Dei erga te pietatem, & tuam erga Deum ingratitudinem meliùs animaduertas. Quod Dei eſt, totum Deo tribue, & gratus eſto; tibi verò nihil adſcripſeris præter peccatum. Agnoſce te ſeruum eſſe inutilem, in-

indignumque omni ſolatio & gratia; vt quantò magis proficis, tantò magis humilieris: ſola enim humilitas efficiet, vt bona quæ in te ſunt, integra in te permaneant. Sanè affectus illi ſenſibili amore ac dulcedine pleni, quamuis præclara ſigna ferè ſint, non tamen indubitata indicia ſalutis iudicari debent, niſi Spiritus ſanctus reuelauerit. Nonnumquam enim ſunt affectiones naturales magis quàm diuinæ, & in eo etiam corde, quod à Deo alieniſſimum eſt, gigni poſſunt. Quare nobis ipſis ſemper vileſcere, & inter caſtum timorem & ſanctam ſpem nauigare debemus, quamdiu in fluctibus vitæ præſentis verſamur.

Decimò, Amabilem vitam & paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti tamquā pretioſiſſimam margaritam in ſcrinio pectoris ſui ſemper reconditam habeat. Attendat autem ipſum Chriſtum, non vt hominem purum, ſed vt Deum & hominem. Quòd ſi ad ſublimiorem diuinitatis contemplationem adſcendere non poſſit, libenter ad humanitatem recurrat, exercens ſe in recordatione & compaſſione eorum, quæ ipſe fecit ac pertulit pro nobis, imaginationem tamen nimis preſſam & vehementem non habeat, ne caput nimis lædatur. Domino Deo ſuo pro ſe paſſo medullitus compatiatur. Ceterùm, non faciat quod plerique facere ſolent, qui cum magna quidē forinſecus deuotione, dulcedineque ac lacrymis Paſſionem Saluatoris noſtri recolunt, verùm vitia ſua mortificare, & illum ſequi recuſant. Non ita faciat, ſed ipſam Domini paſſionem, vt verus Chriſtianus meditetur, deſiderans imitari ſanctiſſima charitatis, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, & reſignationis eius exempla. Optet per omnia conformari ſacratiſſimæ humanitati Chriſti, vt ſicut

ſpiritus Domini Ieſu ſemper fuit ſubleuatus, ardens, liber, ſerenus, tranquillus, & lætus, ita ſit & ſpiritus ſuus. Chriſtus enim, etiam cùm in cruce pendens grauiſſima torméta ſentiret pateretur que, fruebatur Diuinitate ſecundùm mentem & ſuperiores animæ vires, non minùs quàm modò in cælis fruitur. Rurſus, vti anima Chriſti fuit triſtis, compatiens, modeſta, mitis, mortificata, ac humilis, corpuſque illius ſobrium, caſtum, purum, honeſtum, laborioſum, & patiens; ita ſit & ſpiritus ſuus, anima ſua, atque corpus ſuum. Grandi deſiderio id ſibi concedi à Chriſto poſtulet: neque enim aliquid magis ei neceſſarium eſt, cùm ſuprema vitæ perfectio in hac conformitate ſita ſit. O quàm beatus eſt, qui ad iſtam conformitatem peruenit! huic enim reuerà obtigit, quod beatus Paulus Apoſtolus optat cunctis fidelibus, dicens: *Deus pacis ſanctificet nos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.*

Vndecimò, Quando conſolatione ac ſuauitate interna à Deo perfunditur, agnoſcat ſe illa indignum eſſe; eam tamen non deſpiciat, ſed potiùs humili gratoque animo ad Dei gloriam ſuſcipiat, ſtudens interim ſeruare ſe ab ea tam liberum, & in tantum, quaſi nihil tale accepiſſet: ſincerus namque & ſublimis amor Dei in hoc conſiſtit, vt ſiue cum dulcedine, ſiue ſine dulcedine velimus, cupiamuſque vel gaudeamus Deum eſſe quod eſt, ac tantam gloriam, tantum Dominum, tantam opulentiam obtinere quantam obtinet, deſiderantes etiam vt omnes ei ritè ſeruiant, eumque diligant & glorificent, qui eſt omni amore, honore, & obſequio digniſſimus. Recolatque quòd quamuis bona ſit illa ſuauitas,

eam

Digitized by Google

eam tamen nobis à Deo largiri, non vt illa fruamur, ſed vt ea vtamur; vt tamquam inſtrumento aptiſſimo adiuti, faciliùs vitia in nobis mortificemus, ſæculiq́ue vanitates deſeramus, ac firmiores ſtabilioreſque maneamus in obſequio & cultu Dei.

Duodecimò demum, Audiat à Dacriano Abbate piiſſimo in Speculo Monachorum diſcrimen inter fideles & infideles Dei ſeruos, & animo attento reuoluat, an ipſe inter fideles, ſeu potiùs inter infideles ſit annumeratus. Audi frater, inquit ille, ſi dulcedine interna repletus, & ſupra teipſum eleuatus vſque ad tertium cælum euolaueris, ibiq́ue cum Angelis miſcueris colloquium, rem tam grandem non facies, ſicut ſi grauamen & exilium cordis pro Deo tuo affectuosè ſuſtinueris, ipſiq́ue Saluatori conformatus fueris, qui in extrema triſtitia, tædio, pauore, & anguſtia potiùs dixit Patri: *Fiat voluntas tua.* Qui etiam transfixis manibus ac pedibus in cruce pendens, non habuit vbi caput ſuum reclinaret: qui denique omnes amariſſimæ ſuæ paſſionis dolores & contumelias amoroſiſſimè pro te ſuſtinuit. Igitur in ſancta longanimitate contine teipſum, & expecta in ſilentio, donec placuerit Altiſſimo aliter diſponere. Et profectò in illa die non requiretur à te quantum dulcedinis internæ hîc perſenſeris, ſed quàm fidelis in Dei tui ſeruitio & amore fueris. Ex his qui ſerui Dei nominantur, multi infideliter, pauci fideliter omnino ſeruiunt. Infideles ſerui, quamdiu deuotionem ſenſibilem & gratiam lacrymarum habent, alacriter Deo ſeruiunt, libenter orant, lætanter quibuſlibet piis operibus inſiſtunt, & alta quadam cordis pace habitare videntur; ſed mox vbi ſubtraxerit Deus deuotionem illam, videas illos perturbari, indignari, amarulentos impatienteſque fieri, & iam

nec orationi, nec aliis ſanctis exercitiis velle intendere. Et quia internas conſolationes pro voto non ſentiunt, ad externas ſpiritùique contrarias ſeſe perniciosè conuertunt. Vnde liquet, eos non purè Deum, ſed Dei dona impurè requirere, eiſque ad ſuam oblectationem abuti: nam ſi Deum purè diligerent, & in donis eius vitiosè non requieſcerent, ipſis ſublatis pacati in Deo permanerent, & ne tunc quidem ad illicitas conſolationes diuerterent. Ergo infideles ſunt, quia in aduerſitatibus fidem Deo non ſeruant; ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt; ſemper proſpera volunt, contraria non ſuſtinent: ſi Deus concedit læta, quæ ſemper volunt, Deo ſeruiunt; ſi negat, ab eo diſcedunt. Imò verò, nec in lætis quidem Deo, ſed ſibi ſeruiunt, vbique ſuam magis quàm Dei voluntaté fieri cupiunt. In dulcedine & conſolatione interna potiùs quàm in mortificatione vitiorum perfecta, ſanctitatem conſtituunt, ignorantes quia per ſubtractionem deuotionis longè certiùs eluceſcit an quis verè Deum amet, quàm per ipſius deuotionis infuſionem: ſenſibilis enim illa deuotio, ſæpè naturalis veriùs quàm ſpiritualis affectus eſt. Et qualis qualis ſit, niſi quis ea prudenter vſus fuerit, ad occultam quamdam ſuperbiam, & vitioſam complacentiam, vanamque ſecuritatem, ſuum ſæpè poſſeſſorem perducere conſueuit; quemadmodum videre eſt in ipſis ſeruis infidelibus: nam dum dulcedine intus perfunduntur, ſtatim alios diiudicare & deſpicere incipiunt, ſe ſanctos iam Deique ſecretarios exiſtimant, reuelationes cæleſtes miris modis expetunt & expectant, ſed & miracula aliqua aut per ſe aut de ſe demonſtrari deſiderant, quibus ceteri cognoſcere poſſint ſanctitatem quam ſe habere putant, & non

& non habent. Hoc pacto in ſuis cogitationibus euaneſcere ſolent, qui gratiæ ſenſibili magis quàm gratiæ largitori inhiant. Ceterùm, fideles ſerui longè aliter ſe habent: neque enim ſe, ſed Deum quærunt; non ſuam conſolationem, ſed Dei beneplacitum & honorem præcipuè ſpectant, proprietatem vbique fugiunt: ſiue Deus ipſis infundere, ſiue non infundere voluerit influxum internæ ſuauitatis, iidem ſunt, & in æqualitate mentis permanentes, Deum diligere atque laudare non ceſſant. Non obnubilatio interior, non ſenſuum difficultas, non affectuum frigus, non cordis ariditas, non animi deiectio, non ſpiritus dormitatio, non tentationum anguſtiæ, non denique quarumlibet aduerſitatum miſeriæ, neque proſperitatum ſucceſſus, eos de loco ſuo deiicere poſſunt. Quamuis enim vel ex contrariis triſtitiæ inordinatæ preſſuram, vel ex proſperis delectationis ſenſualis impetum in inferioribus animæ viribus aliquando fortè ſentiant, non tamen deiiciuntur; quia in ſuperioris mentis ratione quieti perſeuerare ſtudent, & diuinæ voluntati ſeu permiſſioni ſuam voluntatem conformant, dolentque quòd vel modicum indecentis motus contradictionem in ſe ſentiant. Fundati ergo ſuper firmam petram, ſtabiles in charitate Dei perſiſtunt, quorum vtique ſummum ſolatium eſt, diuinum beneplacitum. Semper deuoti ſunt: quia dum ſummo ſtudio vitant atque abominantur quæcumque Deo diſplicent, cordiſque puritatem vel tenuiſſimè contaminare nolunt; dumque Deo ſe in omnibus rerum euentibus committunt, mentem mundam, liberam, quietamque ſemper poſſident. Iſta enim veriſſima, Deoque gratiſſima deuotio eſt. Illa altera ſenſibilis deuotio, quæ Incipientibus vel recenter conuerſis

familiarior eſt, non ita perdurat, neque tantam habet certitudinẽ. Eſt tamen & ipſa nobis multùm vtilis, ſi eâ prudenter vtamur. Serui fideles (ſic enim eos adhuc appello, quos Ieſus non ſeruos, ſed amicos nominat) ſerui inquam fideles exquirunt quidem etiam ipſi efficacem illam ſapidiſſimamque gratiæ ſuauitatem, exquirunt lætitiam ſalutaris Domini, exquirunt vultum eius amabilem & complexum ſuauiſſimum; ſed ſpirituali verecundoque deſiderio, non autem ſenſuali auiditate, neque puerili leuitate, aut turbatâ impatientiâ id faciunt. Dona Dei expetunt, non vt ipſis ſenſualiter delectentur, ſed vt per ea feruentiores atque ab omni inordinatione puriores effecti, cęleſti ſponſo magis placeant. Amant Dei dona, gratiaſque ſedulò pro eis agunt, & tamen ab ipſis ſe veluti otioſos & liberos conſeruant, dum in eis non quieſcunt. Per gratiam vlteriùs ad gratiæ datorem & ſummum bonum progrediuntur, in quo ſolo quieſcere licet. Felices omninò ſunt: quia quantò minùs donis adhærent, tantò magis dona percipiunt. Quantumlibet autem benedictionibus à Deo dotentur, non tamen erigunt animum, non deſpiciunt alios, ſed ſe deſpiciunt, & omni gratia ſpirituali indignos agnoſcunt.

## CAPVT XXI.

### *Qua ratione gerere ſe debeant Incipientes tempore derelictionum & tentationum.*

INFIDELES Dei ſerui, de quibus in fine præcedentis capitis aliqua adnotauimus, quando diuinæ gratiæ influxu deſtituuntur, frigoreque interno, duritia cordis, obnubilatione ſenſuum, diſtractione mentis, & aliis ſimilibus tentationibus & miſeriis affli-

affliguntur, ſtatim pia exercitia deſerunt, ac impatientes aduerſus Deum murmurant, ac moleſtiam & afflictionem quam ſentiunt effugere quætunt, ac ad ſenſuum oblectamenta, carnis mollitiem, corporis quietem, ac ſolatium in creaturis magno animarum ſuarum periculo ſectantur. Alij puſillanimes in derelictione inueniuntur, exiſtimantes ſe teneros & delicatos, & ideò quidquid ſolatij & commoditatis ſuo corpori quiuerint exhibere, totum ſibi neceſſarium ſuſpicantur. Sunt deinde alij, qui interna dulcedine ſubtracta, tam faſtidioſi ſibiipſis & graues exiſtunt, vt etiam valdè oneroſi ſint his cum quibus conuerſantur. nemo poteſt ipſis cum pace loqui vel reſpondere, ambulare, ſtare, aut aliud quidquam facere; imò pro qualibet re, etiam parua, adeò conturbantur, quaſi infernali quodam ſtimulo vrgerentur. Adhuc non pauci inueniuntur, qui tempore deſolationis in magnam incidunt inſtabilitatem, impelluntur que crebrò ad varia vitæ inſtituta aſſumenda, & nunc vnum viuendi modum, nunc alium ſequuntur: quia cùm non quærant Deum propter ſeipſum ſolum, ſed potiùs in ſuis exercitiis latenter propriam commoditatem, guſtum, & ſuauitatem inſectentur; natura tunc occultè potiùs ſeipſam ſub ſpecie boni, hoc eſt ſenſibilem & experimentalem deuotionē, quàm Deum ipſum eiuſque gloriam & crucem quærit. Petunt hi diuerſa conſilia, & Confeſſores adeunt, nunc iſtum, nunc illum; ſed ſicut impetuoſi & importuni ſunt in quærendis conſiliis, ſic etiam incurioſi in exequendis: quia apud eos quod conſulunt, ſuas culpas volunt excuſare, defendere, & laudare; ac cùm varia conſilia acceperint, nullū omnino ſequuntur, quia videntur ſibi in cauſa propria ceteris prudentiores.

Fideles verò ſerui, voluntati & ordinationi diuinæ ſe totos cōmittunt ac reſignant, tribulationem omnem æquanimiter tolerant, atque ad peragenda ea, quæ fructuoſa ſunt & Domino ſuo placent, ſeipſos compellunt.

Curet igitur primò, tempore deſolationis ſolita exercitia non deſerere, tempus inutiliter non expendere, ſed alicui externo operi pro temporis opportunitate conueniēter inſiſtat, oret tunc humiliter, & Domino libenter ſuis impenſis cum labore ſeruiat, atque ad eum ſi non ſuauiter, ſaltem vt poteſt, cum amaritudine aſpiret: nam bona quæ durante huiuſmodi calamitate facit, licet ipſi inſipida ſint, ſi tamen faciat quod in ſe eſt, Deo optimè ſapiunt, & ei gratiſſima ſunt. Errant enim quamplurimùm, qui tunc ſolùm ſua opera atque exercitia Deo placere putant, quando ipſi ſenſibiliter à Deo viſitantur: cùm potiùs deſolationis tempore ſint ei acceptiſſima. Dicat ergo Deo: Domine, etiamſi omnibus diebus vitæ meæ, & vſque ad extremum iudicij diem abſque aliqua conſolatione, te ita ordinante, permanere deberem, per gratiam tuam paratiſſimus eſſe vellem ad grauia quæque pro tui amore perferenda.

Secundò, Durante huiuſmodi tempeſtate, durum erit ſpirituali Aſcetæ officio diuino aſſiſtere, propter nimiam mentis inſtabilitatem ſeu obnubilationem; verumtamen longanimis eſto, & placida mente fac quod in te eſt; tranſibit nox, diſcedent tenebræ, lux iterùm exorietur. Quamdiu autem deſolatio durat, caue ne otioſus & negligens inueniaris; ſi non libet orare, pſallere, vel meditari, inſiſtat lectioni. Quòd ſi ad lectionē nauſeet animus, ſcribat, aut in aliquo alio externo opere ad tempus viriliter

liter occupetur, vanarum cogitationum ſtrepitus ſedulò interim reiiciens.

Tertiò, Quando ſe derelictum ſenſerit, præcipuè ad conſiderandos proprios defectus deſcendere debet, & ad virtutes veras imitandas: ea enim potiſſimùm de cauſa gratia diuina ſubtrahitur, vt homo ſeipſum, ſuam vilitatem ac nihilum penitiſſimè agnoſcat. Quæ vt meliùs præſtare poſſit, magnopere meditatio vitæ ac paſſionis Chriſti, eiuſque virtutum conſideratio iuuabit; ſiue enim ſapiat, ſiue non ſapiat, Chriſti vita præ oculis eſt ſemper habenda: eſt enim vtiliſſima & fructuoſiſſima, præcipuè deſolatis, cùm ipſe rerum omnium Dominus ac creator in maximo crucis agone conſtitutus, ita fuit à Patre æterno derelictus, vt cum clamore valido clamauerit: *Pater mi, vt quid dereliquiſti me?*

Pro recuperanda verò amiſſa gratia, plura ſcripſimus in libro de Contemplatione. Videndus de ea Richardus de Eruditione hominis interioris, c. 2. & præcipuè 19. & alia quæ in Via illuminatiua diſſeruimus.

Hæc ſunt quæ iuuant pro directione tempore deſolationis. Pro conſolatione verò, qua magnopere indigent hi qui tribulato & afflicto ſunt corde, ex multis quæ in libello de Conſolatione puſillanimum ſcripſit ac ex Patribus collegit piiſſimus vir Ludouicus Bloſius, nos tantùm ea quæ ad noſtrum conferunt propoſitum, proferemus.

## *Ex* HENRICO SVSONE *ſanctiſsimo viro.*

PLERIQVE, quando ſacratiora ſunt tempora, & ipſi ſe libentiùs ad Deum conuerterent, tantò magis ipſorum afflictio augetur, ita vt nec vnam qui-

quidem Orationem Dominicam nec Angelicam Salutationem abſque diabolicis ſuſurris explere liberè poſſint. Vnde & ipſi in quamdam velut deſperationem labentes, orationem à ſe abiiciunt, & hoc pacto ſibiipſis loquuntur: Quid putas iſta oratio tibi prodeſt tot ſordibus conſpurcata? Sed in hoc nimiùm errant, & ſuo aduerſario penitùs obſequuntur, cuius hoc præcipuum ſtudium eſt, vt eos ab exercitiis ſpiritualibus repellat. Neſciūt certè, quòd oratio ipſorum cum omnibus immiſſionibus illis, de quibus dolent, optimè ſapit & verè accepta eſt ante conſpectum diuinæ maieſtatis: ſæpè namque (vt D. Gregorius ait) mens humana adeò perturbatur, vt ſeipſam eruere neſciat, in præſenti dolore & anguſtia conſtituta: ſed ipſa pro eadem ante Dei oculos aduerſitas deuotiſſima interpellat; ipſaque paſſionis amaritudo in oculis illius reſplendens, citiùs eum ipſi, quàm alia exercitia inclinat, & velociùs adeſſe compellit. Vnde nec vllum omnino bonum opus negligendum eſt, nec orationes, & templi frequentatio (quæ maligno ſpiritui ſingulariter aduerſatur, & moleſta eſt non minimùm) vnquam intermittenda. Quod enim homini de orationis puritate minuitur, hoc ei ex afflictionis moleſtia accedit, & ſatis grata eſt huiuſmodi oratio oculis Dei.

## *Idem Auctor §. 36.*

CONSIDERARE libet, quàm ſuauiter & amoroſè æterna Sapientia cuncta diſponat, dum, quod plurimum ſibi nocere plerique anguſtiis tentationibuſque grauiſſimis preſſi arbitrantur, ipſa ad ſummam eorum vtilitatem inflectit. Magnam ſiquidem Purgatorij partem illa afflictio tollit, & eam patientibus impendiò prodeſt, atque ingens præmium addu-

adducit. Quamuis enim ipſi multorum ſe criminum reos arbitrentur, ſed coram Deo veri magniq́ue Martyres ſunt, cùm nulli dubium ſit, longè acerbiorem huiuſmodi perpetuam afflictionem, dolorem infligere, quàm vnius carnificis ictus collo exceptus. Denique paſſionem hanc magnæ eſſe dilectionis indicium præſagiumq́ue, tam Scripturarum teſtimoniis, quàm ipſa veritate probatur; quippe quam & copioſa gratia & multorum ſecretorum reuelatio ſubſequuntur. Debent igitur præfati homines eam non ſolùm patienter, ſed & libenter ſuſtinere, certi quòd breuis hæc amaritudo, & momentaneum tribulationis huius, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operetur in eis.

Demum pleniùs idem quoque Auctor in Dialogo Sapientiæ æternæ & Miniſtri, quantum afflictiones conferant ad vitæ ſanctitatem, ita ſcribit dicens.

§. 42.

SAPIENTIA ÆTERNA. Non rectè ſapiunt illi, qui vmquam grauatè & cum querimonia quamlibet afflictionem ferunt: omnino enim paterna caſtigatio & virga mea ex maximo amore proficiſcitur, & verè ſuauis ac benigna eſt; vt non immeritò felix ille cenſendus ſit, à quo illam numquam retraxero. Afflictio, inquam, non ex aliqua duritia aut aſperitate mea, ſed ex amore tenerrimo ac benigniſſimo trahit originē. Et hoc de qualibet cruce, vel tribulatione dictum volo, ſiue ea vltrò ſuſcepta ſit, ſiue nolenti aliunde acciderit, vbi plerumque neceſſitas mutatur in virtutem, qua tamen cruce is qui eam patitur, nolit (me inuito) eſſe abſolutus, quamq́ue amicabili ac humili cum patientia in mei æter-

æternam referat laudem. Quæ ſanè crux, quantò maiori cum amore &promptiori voluntate coniuncta eſt, tantò etiam præclarior mihiq; acceptior eſt. Itaque de huiuſcemodi afflictionibus me paulò latiùs dicentem auſculta, & quæ dixero, ipſis cordis tui viſceribus inſcribe, ſintque velut ſignum quoddam ſpiritualibus animæ tuæ oculis propoſitum. Id pro certo retineas, ita me commorari in anima mundi, ceu in quadam Paradiſo voluptatis. Eam ob rem ferre non poſſum, vt cum amore aut delectatione vlli rei incumbat vel adhæreſcat; eſt namque ex ipſa natura in noxias propenſa voluptates. Itaque ſepio viam illius ſpinis, atque omnes ſemitas eius (velit nolit) aduerſitate obſtruo, ne ex manibus meis elabatur. Cuncta eius itinera afflictionibus conſpergo, ne qua alia in re cordis ſui oblectationem, præterquam in me, conſtituat. Crede mihi, ſi corda omnia in vnum redigerentur, non poſſent in hac vita minimum ferre præmium quod redditurus ſum in illo æuo ſempiterno, etiam pro minima quaque cruce, quam quiſpiam ex amore paſſus fuerit mea cauſa. MINISTER. Fortaſſis negari non poſſit, Domine, afflictiones longè ſaluberrimas eſſe, ſi tamen non ſint nimiæ, nec plus ſatis immanes ac inuſitatæ. Atqui Domine Deus, qui ſolus noſti occulta omnia, quique cuncta in numero, pondere, & menſura condidiſti, tu ipſe perſpectum habes, cruces meas modum omnem prætergredi, & vires meas excedere. Neſcio profectò ſi quis alius toto hoc terrarum orbe duriùs perpetuò affligatur. Et quî tandem perpeti potero? Quòd ſi vulgaribus me moleſtiis afficeres, Domine, ferrem eas vtique, at verò peregrinas haſce atque inſolitas cruces animam & mentem meam adeò occultè transfigentes, tibique

vni

vni funditus cognitas, tolerare quî poſſim necdum video. Sapientia. Morbidus quiſque & ægrè affectus putat morbum ſuum eſſe omnium grauiſſimum, & ſitibundus neminem ſe miſeriorem arbitratur. Ita ergo ſi te aliis afflixiſſem modis, tu quoque ſentires idem quod modò ſentis. Itaque virili animo permitte ac reſigna teipſum voluntati meæ in qualibet re aduerſa quam te volo perpeti, idque facias abſque vlla exceptione huius aut illius moleſtiæ. Noſti me ſemper id ſolum velle, quod ſit maximè ex re tua, multò etiam ſtudiosiùs quàm tu ipſe velis. Neque te latet, ęternam me eſſe Sapientiam, quæ ſola perfectiſſimè nouerim quid tibi ſit conducibilius. Iam verò propria experientia diſces, cruces à me irrogatas, ſi quis illis ritè vti norit, propiùs attingere, penitiùs penetrare, & celeriùs in Deum vrgere ac propellere, quàm quaſuis alias proprio arbitrio ſuſceptas. Quid igitur adhuc queritaris? Quin ita potiùs dicis: Fac mecum, Pater benigniſſime, quidquid vmquam tibi viſum erit. Minister. Facilè id quidem dictu eſt, mi Domine, ſed præſens afflictio toleratu difficilis eſt ob nimium dolorem ſuum. Sapientia. Si non doleret crux, non poſſet nomen tueri ſuum. Sicut cruce nihil eſt moleſtius, ita nihil iucundius atq; optabilius quàm crucem pertuliſſe. Crux & afflictio breuis quidem dolor eſt, ſed prolixum gaudium. Crux illi perquam dolet, cui crux moleſta eſt & inuiſa: ei verò, qui illam fert æquanimiter, hoc præſtat crux, vt ipſum minimè crux excruciet. Certè, ſi tanta iugiter abundares ſpirituali ſuauitate, diuinaque conſolatione & oblectatione, vt præ cæleſti illo rore perpetuò colliqueſceres; ex his omnibus per ſe conſideratis, non tantum tibi accreſceret meriti, neque pro

his

his tanta tibi à me referenda eſſet gratia, neque perinde me tibi obligarent ac quaſi debitorem efficerent, vt crux vna vel afflictio cum amore tolerata, aut tui derelictio in mentis ariditate, in qua me ex amore ſuſtineas. Et citiùs quidem vel decem euerti poſſent ac excidere in magna voluptate, & iucunda ſuauitate cordis, quàm vel vnus ſubruatur continua laborans aduerſitate & perpeſſione. Si Aſtronomorum omnium præditus eſſes ſcientiâ, ſi tam copiosè & eleganter poſſes de Deo dicere ac eloqui quàm cunctæ hominum linguæ, non tibi tantum iſta conferrent ad vitæ pietatem ac ſanctitatem, quàm ſi in quibuſlibet afflictionibus tuis Deo te permitteres & reſignares: illa namque bonis maliſque communia ſunt; hoc verò non niſi electorum eſt. O ſi quis iuſto poſſet perpendere ac ponderare iudicio, tempus & æternitatem! mallet ille profectò vel centum annis in ardenti iacere camino, quàm vel minima leuiſſimæ afflictionis carere mercede, in cælis æternò percipienda: illud namque finem tandem habet, iſtud nullo clauditur termino. MINISTER. Ea quæ commemoras, benigniſſime Ieſu, tamquam cithara ſunt ſuauiſſima homini afflicto. Certè, Domine, ſi mihi tam dulcibus modulareris vocibus dum cruce aliqua premor, equidem lubens paterer, mallemque crucem perpeti, quā ea carere. SAPIENTIA. Age nunc, arrectis percipe auribus: Afflictio quidem mundo huic deſpectui eſt, at apud me immenſam dignitatem obtinet. Afflictio iram extinguit meam, gratiam meam conciliat & amicitiā, hominemque mihi gratum efficit & amabilem, vtpote mihi conformem. Afflictio bonum eſt occultum, quod nemo compenſare queat; adeò, vt etiamſi quis centum annis crucem amicabilem flexis genibus à me precetur,

cetur, nec ſic tamen illam emereri poſſit. Afflictio hominem ex terreſtri cæleſtem efficit. Afflictio tutiſſimum atque compendioſiſſimum iter eſt. Crede mihi, ſi quis probè cognitum haberet, quanta ſit crucis vtilitas, haud dubiè ceu donum præſtantiſſimum ex Dei manibus eam ſuſciperet. O quàm multi erant iam æternæ perditioni addicti, & ſomnum dormierant ſempiternum, quos tamen afflictio reſtaurauit & excitauit ad meliorem vitam! Afflictio à graui ſeruat ruina, præſtat homini vt ſeſe cognoſcat, intra ſeipſum ſe contineat, ſibiq́ue conſtet, ac proximis fidem accommodet: conſeruat animam in humilitate, docetq́ue patientiam, tuetur caſtimoniam, æternæ beatitudinis adfert coronam. Afflictio, peccati aufert ſarcinam, minuit pœnas Purgatorij, pellit tentationes, profligat vitia, ſpiritum renouat, veram confert fiduciam, mundam conſcientiam, atque animum ſtabilem & excelſum. Sicut roſarum eximij flores ſuauiuernantis Maij rore tinguntur, ita animam afflictio vegetat & fecundat. Ipſa animum ſapientiâ imbuit, redditq́ue hominem exercitatum. Qui afflictiones & tentationes non eſt expertus, quid quæſo ille nouit? Afflictio virga eſt amoris plena, & paterna caſtigatio electorum meorum. Afflictio hominem, velit nolit, trahit vrgetq́ue ad Deum. Patientia in aduerſis, eſt hoſtia viua & odor ſuauiſſimus præcellentis balſami in conſpectu diuinæ maieſtatis meæ, totam cæleſtis exercitus frequentiam ingenti admiratione afficit. Neque verò vmquam quiſquam, quamuis ſtrenuus pugil vel eques, publicitus cum alio congreſſus, adeò in ſe hominum oculos animoſq́ue conuertit, vti totus beatorum hominum cœtus hominem afflictiones ritè perferentem aſpectat. In aduerſis retinere pa-

P tien-

Digitized by Google

tientiam præſtabilius eſt, quàm extinctos ad vitam reuocare, aut alia perpetrare miracula. Afflictio via eſt arcta, quæ ad ipſas vſque cęli portas fortiter pertingit. Ipſa hominem ad Martyrum euehit contubernium, ipſa laudem palmamque refert ex cunctis hoſtibus, ipſa animam roſeo purpureoque veſtit indumento, ipſa coronas vel ſerta nectit roſacea, & ſceptra conficit ex palmis virentibus: ipſa eſt velut gemma pretioſiſſima in monili ad virginis pectus appenſo. Atque, vt paucis te expediam, homines afflictos mundus hic miſeros appellat, ſed ego felices dico, vtpote quos ipſe mihi elegerim. MINISTER. Pulchrè nimirum ex his apparet æternam te eſſe Sapientiam, qui veritatem ipſam tam perſpicuè in medium proferre queas, vt nullus vlli reliquus ſit ambigendi vel hæſitandi locus. Nihil iam admirationis habet, ſi is afflictiones poſſit perpeti, cui tu eas tantopere efficis commendatas. Certè, Domine, tuis planè mellitis ſermonibus id fateor apud me egiſti, vt mihi deinceps crux omnis & moleſtia longè futura ſit tolerabilior iucundiorque. Domine Deus, Pater indulgentiſſime, laudes grateſque medullitus tibi ago pro afflictionibus præſentibus atque etiam pro præteritis admodum acerbis atque moleſtis, quas ego tum acres nimiùm ſentiebam, eò quòd ex animo infenſo & hoſtili proficiſci viderentur.

## *Ex* IOANNE TAVLERO.

SCIENDVM eſt, fideliterque retinendum, quòd in homine Deum purè intendente ſæpè grauis quædam preſſura & anguſtia oboriatur, quâ oppreſſus videtur ſibi Deum non purè intendiſſe, & ita omnium laborum ſuorum feciſſe iacturam, omnem-

nemque perdidiſſe operam. Hinc iam pacem pectoris amittit, animique mœrorem & perturbationem incurrit. Hæc autem preſſura nonnumquam ex grauitate naturali, ſeu indiſpoſitione, vel complexionis malitia; nonnumquam ex influentia cæli, vel aëris inæqualitate; nonnumquam verò ex maligni ſpiritus operatione, qui per huiuſmodi grauiſſimas immiſſiones ſuas hominem iſtum perturbare moliatur, accidere ſolet. Sed hæc ſuauiter declinanda ſunt cum benigna tranquillaque manſuetudine, ita enim faciliùs vincuntur. Vnde non ſatis rectè faciunt quidam, qui preſſuram hanc violenter & impetuosè à ſe excutere, eamdemque perrumpere volunt, deſtruentes ac debilitantes per hoc capita ſua; quique nimis inordinatè Doctores & Dei amicos pro conſilio & auxilio accedunt, eripere ſe inde & euadere cupientes: vnde ſæpiùs magis implicantur, cùm nemo facilè inde eos extrahere & expedire queat. Quamobrem, vbi iſta preſſura & tempeſtas in homine exurgunt, haud ſecùs faciat quàm ſolent homines facere, vbi tempeſtas oritur, & pluuiæ vel grandines cadunt: tunc enim fugiunt omnes ſub tectum, donec tempeſtas ſopiatur & pluuiæ ceſſent. Ita & ipſe, vbi intra ſe ſimpliciter ſentit ac deprehendit, quòd nihil velit neque deſideret niſi Deum dum hac preſſura corripitur, modeſtè ſubtiliterque fugiat, donec integrè ſibi ipſi reſtituatur: ſimulque in vera reſignatione ac patienti abſtractione humiliter ſuſtinens, tranquillo ac benigno animo in hac afflictione Deum præſtoletur, etiamſi vna hebdomada, vel vno menſe, vel ſex menſibus, vnóve anno, vel etiam diutiùs ſine ceſſatione illa perduret. Et quis nouit quali modo quáve ratione benigniſſimus Deus ad ipſum venire, ſuaque illi



Digitized by Google

chariſmata & dona infundere velit? Stet itaque cum benigna manſuetudine ſub tecto diuinæ voluntatis ac beneplaciti, certus quòd hoc vel centuplo gratius ſit, magiſque placeat Deo, quàm ſi magna ſenſibili deuotione afflueret, & multas virtutes Deo quotidie offerret, intuſque florerent & virerent omnia, & ipſe diuino lumine irradiaretur. In preſſura namque non ita facilè quis ſeipſum & ſua quærere vel retinere poteſt, ſicut in conſolationis ac ſenſibilis dulcedinis deuotioniſque affluentia. In hac namque ſæpè ſe natura admiſcet, & dum anima in ea immodicè delectatur, maculam contrahit.

## *Ex eodem* TAVLERO.

PLERIQVE aliqua moleſtia grauati, ita mihi dicere conſueuerunt: Pater, malè mecum agitur, diuerſis enim afflictionibus multoque mœrore perturbor. Et ego rectè cum eis agi pronuntio. Tum illi, Non, aiunt, Domine, ſed mea culpa id actum. Ad quod rurſus ego: Siue tua culpa id actum ſit, ſiue non, crede ipſam afflictionis crucem à Deo tibi impoſitam, eidemque gratias agens ſuſtine, & reſigna teipſum. Ruſum illi: Sed magna intus ariditate obſcuritateque contabeſco. Quibus ego, Feras, aio, dilecte fili patienter, & meliùs tecum agetur, quàm ſi in magna multaqne ſenſibili deuotione verſareris.

## *Idem* TAVLERVS.

IN grauiſſima illa preſſura & tenebroſa deſolatione homine conſtituto, preſſuræ omnes, miſeriæ, calamitates quas iampridem euicerat & ſuperarat, iterùm in eo conſurgunt, denuò impugnant, totoque impetu nauem illius magna cum tempeſtate con-

concutiunt, & fluctibus ſuis impetunt exagitántque. Sed, obſecro, quicumque hæc ſentis, noli timore deiici, modò nauicula tua probè anchoræ fixa ſit, venti ei & fluctus obeſſe non poterunt. Ad mentem tibi veniat quod Iob ait: *Poſt tenebras ſpero lucem.* Tantùm ergo tecum maneas, non foràs euageris: ad finem vſque tentamenta & preſſuram hanc ſuſtine, nec aliud aliquid quæras quo hanc euadas moleſtiam, ſicut faciunt plerique, qui dum hanc internam paupertatem & preſſuram ſentiunt, ſemper aliquid inquirunt, quo eam effugere poſſint; quod profectò officit plurimùm.



Digitized by Google

# DE ORATIONE DIVINA SIVE ADEO INFVSA LIBER TERTIVS:

## *De Via illuminatiua ſupernaturali.*

## PROLOGVS.

POST laborum certamina, poſt tentationum fluctus, ac demum poſt tenebroſam illam & obſcuram noctem, quam anima in via Purgatiua experta eſt, meritò à diuino ſponſo ad altiorem lucis & iucunditatis gradũ his verbis Cant. 4. inuitatur: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libana, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonũ de montibus pardorum.* Sponſæ in primis apertè ſignificans per cubilia leonum & pardorum montes, ingentia pericula in quibus ipſa in duriſſima illa purgatione commorabatur, exponenſque ei prædictis ſimilitudinibus eo-

rum-

rumdem locorum, in quibus anteà detinebatur, aſperitatem & difficultatem, vtpote quæ ſimilia eſſent ſpeluncis, in quibus leones & aliarum ferarum copia habitaret: ſuadens demum ei ac inuitans, vt ad altiſſimos contemplationis montes celeri volatu conſcendat: pollicetur enim ſe eam in illos ducturum, qui omnium qui in Iudæa erant amœniſſimi & cognitu digniſſimi habebantur; quaſi apertiùs dicat: Veni mecum, ſponſa, à locis hiſce periculoſiſſimis, ac horum montium altitudinem conſcende, ibique eorum amœnitate & pulchritudine mirum in modum perfruere. Aſcende inquam mecum, & è verticibus illorum non ſolùm ſublimiora loca contemplare, ſed & ſubiecta perſpice, pulcherrimis arboribus, pratis, herbis, floribus, vrbibus, rebúſve aliis decora. Hæc ſunt montium cacumina ſiue altitudines, per Iſaiam Prophetam purgatis ac defœcatis mentibus cap. 58. promiſſæ. *Suſtollam te*, inquit, *ſuper altitudines terræ*. Quæ ſunt iſtæ terræ altitudines, niſi cæleſtium ac diuinorum Sacramentorum contemplatio? quantò enim à terrenis affectibus iuſtorum mentes perfectiùs purgantur, tantò ad diuina arcana intuenda, ac Dei faciem contemplandam aptiores fiunt. Præclarè enim D. Gregor. lib. 24. Moral. in illa verba Iob 33. *Videbit faciem eius in iubilo*, ſcripſit, dicens: *Menti enim noſtræ de conſide-*

*rationis cæcitate ſua priùs ignis tribulationis immittitur, vt omnis vitiorum ærugo concremetur, & tunc mundatis oculis cordis, illa lætitia patriæ cæleſtis aperitur, vt priùs purgemus lugendo quod fecimus, & poſtmodum manifeſtiùs contemplemur per gaudium quod quæramus: priùs à mentis acie exurente triſtitia interpoſita malorum caligo detergitur, & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircumſcripti luminis illuſtratur.* Et paulò infrà: *Quia enim per faciem quemlibet agnoſcimus, non immeritò cognitionem Dei, faciem eius vocamus: rectè ergo poſt tot labores de hoc tentato homine dicitur: Videbit faciem eius in iubilo.*

Diuinitus igitur purgata mente, ac priuato amore eradicato, ſtatim anima capacior redditur maioris illuſtrationis & amoris diuini. Quam quidem maiorem illuſtrationē (quæ vberiùs in hoc gradu poſt mirabilem illam purgationem, de qua ſuperiùs diximus, contigit) meritò viam Illuminatiuam Myſtici nuncuparunt; lucet enim in ea ſupernaturale quoddam lumen, intellectum noſtrum in illius faſtigio ſeu ſublimitate irradians, quod quidem ad Intellectus doni ſecundum gradum, quo ſenſibiles formas ac imagines excedere edocemur, ſpectat. Hoc autem Donum aptè Solis radiis ſimile dici poteſt: vt enim Sol ſplendore ſuo aërem perfundit ac complet claritudine, rerumque ſpecies declarat,

clarat,& colorum diſcrimina ſub oculos ponit, vim ſuam hoc ipſo reddens omnibus maniſeſtam; vtque calor illius toti vbique terrarum orbi, quantum ad vtilitatem & fecunditatem attinet, communis eſt: ita nimirum huius Doni fulgor ad Illuminatiuam viam ſpectans, ſpiritui noſtro mirabilem præſtat claritatem, perinde ac aër radiis ſplendentis Solis, qui mirum in modum acuitur ac illuſtratur ad diuinorum ſecretorum arcana capeſſenda. Etenim Donum hoc dilucidè ac citra laborem diuitias Dei contemplari nos docet: & quemadmodum Solis radiis terra non ſolùm illuſtratur, ſed etiam eius calore non parum æſtuat; ita huius Doni ſplendore non tantùm intellectus diuino lumine perluſtratur ac perfunditur, ſed & voluntas ardentiſſimo charitatis igne incaleſcit, gratia doniſque Dei completur, & per diuinum amorem quamdam Dei incipit habere ſimilitudinem.

Huius viæ Illuminatiuæ, quæ omnino à Deo infunditur, ſtudium & exercitia præclarè docuit Carthuſianus de Fonte lucis, c.8. his verbis: *Porrò via Illuminatiuæ eſt ſtudium ſeu occupatio mentis circa contemplanda ſublimia Dei, præſertim in contemplatione ſuperbeatiſsimæ Trinitatis, ac ſimpliciſsimæ & ſuperpulcherrimæ Deitatis. Deinde in ſpeculatione bonorum cæleſtium & ſupernaturalium verita-*

*tis fidei Chriſtianæ ac ſpiritualium rerum. Cùm etenim in clara & immediata per ſpeciem horum contemplatione tota conſiſtat noſtra felicitas; profectus noſter hic eſt, vt contemplationi illi tam beatificæ ac perfectæ nunc quotidie propinquemus, proficiendo in fidei illuſtratione, in bona ſapientiæ, in ſummæ & increatæ veritatis, ac diuinorum cognitione. Denique Ioannis 8. cùm Deus ( cuius opulentiæ ac munificentiæ nullus eſt finis ) ſit eſſentialiter ſapientia infinita, & lux ſplendidiſsima prorſus incircumſcripta, cùm videt animam modo prætacto purgatam humilitate, patientia, manſuetudine, caſtitate, iuſtitia, &c. ceteris quoque virtutibus moralibus informatam, veritatiſq́; auidam, & fonti ſapientiæ inhiantem, ac de ſe perilluſtrari affectantem: mox vultum ſuum ſuper eam illuminat ſapientiæ radio, eam clarificat, ſeipſum ei præ ſolito clariùs gratioſiuſq́; oſtendens, atque incerta & occulta ſapientiæ ſuæ propalans, ita vt ea quæ fidei ſunt, rationeſq́; credendorum, & nexum ac ordinem credibilium ſubtiliter ſpeculetur, ita vt lætabunda ac grata mente decantet Pſal. 15. Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Quod quàm deſiderabile ſit ac præclarum, fatetur Propheta dicens Pſal. 93. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Vnde & S. Ioannes Apoſtolus, in prima ſua Epiſtola (*1. Ioannis 2.*) ſcribit purgatis huiuſmodi fidelibus:*

*bus: Vnctio eius docet vos de omnibus.*

Hanc igitur viæ Illuminatiuæ ſupernaturalis tractationem breuiter quatuor partibus comprehendemus. In prima, De luce ſiue contemplatione, quæ ingredientibus & proficentibus hanc viam contingere ſolet; in ſecunda, De amore; in tertia, De ſpiritali huius viæ purgatione; ac demum in quarta, De quibuſdam ad eam ſpectantibus documentis, fauente Deo, diſſeremus. In priori, Spiritus ſanctus diuinis ſplendoribus intellectum illuſtrat. In ſecunda, voluntatem ardentiſſimo charitatis igne ſuccendit. In tertia, purgatione mirabili vtramque perficit potentiam. In quarta denique, qualiter huius viæ athletæ per eam ſine offenſione currere debeant, edocentur.

## CAPVT I.

### *Lux, ſiue ſupernaturalis contemplatio viæ Illuminatiuæ congruens.*

VT Lectori facilior ad hoc contemplationis genus pateat ingreſſus, ex his quæ lib. 4. de Contemplatione diuina, & ſuperiùs in tractatu De via Purgatiua cap. 9. fuſiùs diſputauimus, breuiter hîc aliqua præmittemus, quibus veluti in parua imagine amplam illius Libri 4. materiã adumbrabimus. Quod vt pleniùs intelligi poſſit, ſupponendum eſt, in Donis Spiritus ſancti, præcipuè Sapientiæ & Intellectus, tres inueniri eiuſdem Sancti ſpiritus ſuperna-

pernaturalium operationum gradus, vt latiùs Libro 1.cap.3. oſtendimus. Primus ſeu infimus eſt, quando operatio illius Doni principaliter media imaginatione contingit, quæ operatio propria eſt eorum, qui circa viam Purgatiuam ſupernaturalem verſantur, vt prædicto cap.9.annotauimus. Secundus eſt perfectior, cùm doni Sapientiæ operatio in intellectu ſiue ratione recipitur. Tertius & ſupremus, quando ſuprema hominis intelligentia ſiue mentis apex mirè ac ineffabiliter ab eodem Spiritu ſancto illuſtrantur: quæ omnia ſequenti exemplo fient clariora. Sicut enim claritas Solis à nobis tribus modis percipitur, vno in obiecto materiali opaco, verbi gratia, in pariete vel ligno, quæ eſt veluti infima ſolaris luminis participatio; altero, in radiis ipſis per aërem aliúdve diaphanum corpus diffuſis, qui eſt quaſi gradus medius; tertio, in ſeipſo, hoc eſt in globo ſeu rota ſolari, vbi ſupremus Solis ipſius fulgor reſplendet: ſic diuinæ lucis radij, mediantibus Sapientiæ & Intellectus donorum habitibus, triplici hac differentia purioribus iuſtorum mentibus manifeſtantur. In prima etenim, quæ in imaginatione tamquam infimo cælo potiſſimùm reſidet, relucet primus doni Intellectus radius, quo imaginatio, non tamen ſine comite intellectu, illuſtratur ex corporalibus iſtis quæ ſenſu percipiuntur; nempe ex viſibilibus creaturis, ad ea quæ in Deo ſunt inuiſibilia intuenda gradum facit, vt plenè lib.3.de Contemplatione, & breuiter cap.9.De via Purgatiua declarauimus.

In via verò Illuminatiua, quæ in ſecundo animæ cælo, nempe in intellectu ſedem habet, viri contemplatiui, qui ad hanc vſque conſcenderunt, doni Intellectus radiis illuſtrati, Deum in ſpiritualibus



Digitized by Google

ac intellectualibus obiectis intuentur: ſicut enim aëre Solis ſplendore illuſtrato, totius mundi decor, elegantia & opes conſpiciuntur, noſtriſque ſeſe paſſim ingerunt obtutibus, & oculi multiplici colorum hauſta varietate, animum exhilarant & oblectant; ſic vbi mens noſtra doni Intellectus irradiatur lumine, præexcelſas Dei perfectiones ac ineffabiles theſauros diuitiarum incipit agnoſcere: quas quidem perfectiones mortalium nemo penetrare ac intelligere poterit, niſi hoc ſit Dono præditus.

Hæc autem diuina & ſupernaturalis contemplatio, quæ viæ Illuminatiuæ, vt diximus, propria eſt, triplici perfectionis gradu conſtat: ( nec enim omnes per eam viam incedentes æqualiter à Spiritu ſancto, medio Intellectus ſiue Sapientiæ dono illuſtrantur) infimo videlicet, medio, & ſupremo.

## *Primus gradus contemplationis viæ Illuminatiuæ.*

§. 1.

PRIMVS infimuſque gradus, ſpeculatione ſui, id eſt cognitione animæ noſtræ, quæ Dei imago cenſetur, ad ipſius Dei contemplationem mentem celeriter erigit: præcipuum enim & principale ſpeculum ad videndum Deum, ſanè eſt anima rationalis. Si enim inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, nullibi quàm in eius imagine diuinæ cognitionis veſtigia expreſſiùs ſculpta reperientur: hominem enim ſecundùm animam ad Dei imaginem factum certò ſcimus & credimus; quare ad eius cognitionem aptius ſpeculum quàm ſpiritum rationalem non inueniemus. Tergat igitur ſpeculum ſuum, quiſquis cupit videre Deu ſuum; exterſo autem ſpeculo, ac diligenter inſpecto, incipiet

pietei quædam diuini luminis claritas interlucere, & diuinus quidam Spiritus ſancti radius oculis eius apparere. Hoc lumen oculos eius irradiauerat qui dicebat Pſal 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiam in corde meo.* Hoc igitur Spiritus ſancti lumen nihil aliud eſt, quàm donum Intellectus mentibus noſtris inſpiratū, quod in primis docet nos penetrare velamina ſiue tenebras mentis noſtræ, donec ad notitiam propriam deueniamus, & imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis nobis concreatam agnoſcamus, cùm Dominus dicat Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos eſt*: id eſt, in imagine ſua, ideoque Dauid Pſal. 138. aiebat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Vnde S. Auguſtinus maximè in hoc verſatus exercitio, lib. 10. Confeſſ. c. 7. inquit: *Quid ergo amo, cùm Deum meum amo? Quis eſt ille ſuper caput animæ meæ? Per ipſam animam meam aſcendam ad illum. Tranſibo vim meam qua hæreo corpori, & vitaliter compagem eius repleo.* Et infrà c. 27. *Serò te amaui pulchritudo tam antiqua & tam noua, ſerò te amaui. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa quæ feciſti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent.* Quare animus, qui in ſui cognitione non eſt exercitatus, planè ad Dei contemplationem non ſuſtollitur; fruſtrà enim cordis oculum erigit ad videndum Deum qui non idoneus eſt ad videndum ſeipſum.

Praxim verò ex contemplatione animæ noſtræ ad Dei cognitionem aſcendendi tam ex Hugone Victorino, quàm ex D. Gregorio, qua etiam ratione penſanda ſit animæ noſtræ nobilitas, & qualiter Dei imago in animæ noſtræ naturalibus potentiis inſignitæ, imagine refulgeat, eodem Libro 4. capitibus

Digitized by Google

tibus 1. 2. & 3. ex Patrum doctrina vberiori ſermone pertractauimus.

Mirabilis quidem eſt contemplatio Dei, ſiue ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ ex imagine animæ noſtræ tribus condecoratæ potentiis, intellectu ſcilicet, voluntate, & memoria aſſurgit: ſed ſanè multò mirabilior ac fecundior eſt ipſius Dei ex hac eadem imagine donis gratuitis ac ſupernaturalibus reformata intuitio. Hoc enim contemplationis genere, præeunte Intellectus doni radio, aſpirantis diuinæ gratiæ qualitatem, modos effectúſve cum attentione miramur, & cum admiratione ad Creatoris laudem aſſurgimus: quidquid enim boni in iuſtorum cordibus agitur, ſeptiformis ille Spiritus per inſpirantem gratiam operatur; nam ſine cooperante gratia omnino non ſufficimus vel ad cognitionem veritatis, vel ad amorem virtutis. Si enim ex naturæ operibus ad diuinas perfectiones intuendas quaſi per ſcalam aſcendimus, pleniùs ſanè ex effectibus gratiæ & gloriæ, quorum maior eſt nobilitas, diuina penetrabimus. Et hoc eſt Deum ex ſupernaturalibus effectibus cognoſcere. In hoc igitur gradu contemplamur pariter & admiramur, quomodo hæc diuina gratia tot animi affectiones quotidie in virtutes redigat, & in bona intentione figat, & quomodo inſiſtat, vt omnis noſtra affectio ab illicitis ad licita transferatur: virtute enim huius gratiæ agitur vt affectus boni nutriantur, promoueantur, ſolidentur, ac vt affectus mali cohibeantur & deſtruantur. Itaque hunc humiliat, & hunc exaltat; ſuſcitans de puluere egenum, & de ſtercore erigens pauperem. Nónne gratiæ officium eſt (vt rectè conſiderat Richardus, quamuis in alio propoſito, l. 3. de Contempl. cap. 23.) totam illam internæ familiæ turbam,

bam, tot cogitationum, tot affectionum pro arbitrio diſponere, & imperãtis more ſub legibus ſubiugare?

Ad hanc etiam contemplationis ſpeciem reduci poſſunt tam gratiæ quàm gloriæ mirabiles effectus. Qualiter verò per opera gratię, quæ ſunt effectus intelligibilis Dei, ac per gloriæ cæleſtis felicitatem, ad ipſius Dei munificentiæ, bonitatis, & ſapientię contemplationem aſcendere debeamus, copioſiùs l. 4. de Contemplatione, cap. 4. 5 & 6. diſſeruimus, vbi ex Patribus ampliſſimam contemplatiuis materiam ſubminiſtrauimus.

Inter opera autem gratiæ primum ſibi vendicat locum Chriſtus Dominus, ſiue redemptionis noſtræ ſpeculatio; quæ, vt rectè Rupertus lib. 1. de Operibus, eſt cæleſtiſſimum opus Dei. Qua demum ratione per Chriſtum Seruatorem ac per alia redemptionis noſtræ opera debeamus tam ad diuina aſſurgere, quàm ad noſtri ipſorum vilipenſionem deſcendere, breuiter expoſuimus tract. De via purgatiua, cap. 9. circa finem.

Eadem eſt materia vtriuſque Viæ, licet modus ipſam Sapientiam incarnatam contemplandi ſit diuerſus; ibi enim ſub velamine incarnatæ Veritatis altiſſimas Dei theorias ſcrutamur: velamina verò ſunt omnes infirmitates & affectus quos pro nobis Deus in natura humana aſſumpſit, vt fames, ſitis, & id genus, quæ paſſibilitatem doloreſque naturæ aſſumptæ ſatis oſtendunt; quæ omnia in ſenſibilibus formis & imaginibus Incipientes & nondum purgati contemplantur, ac mirabili modo ad amorem Chriſti ſenſibilem, compaſſioniſque & compunctionis affectus paſſim excitantur. In via verò Illuminatiua ſupernaturali, purgata iam mentis acie, hanc eamdem Chriſti Domini vitam & paſſionem altio-

Digitized by Google

altiori modo, nempe in imaginibus intellectualibus contemplando penetrant, ac penetrando degustant: nam præcipuus huius Viæ finis eſt, Dei infinitas perfectiones in Chriſti humanitate reſplendentes alta mente conſpicere, ac immenſa nobis à Deo per Chriſtum collata beneficia ipſiuſque Chriſti mirabiles virtutes recolere, earumque imitationi totis viribus incumbere.

### *Secundus gradus, Dei & diuinarum perfectionum contemplatio.*

§. 2.

SVBLIMIOR eſt præcedenti hic contemplationis gradus, in quo ipſius Dei eſſe ac immenſas perfectiones intuemur: in priori enim adhuc per creaturarum ſcalam ad Deum aſcendimus, hac verò perfecti non egent, exercitatos namque habent ſenſus, & ideò minimè indigent ex his quæ facta ſunt, Factoris notitiam mendicare: vnde nec medium requirunt ad eam contemplationem corporis ſenſum, ſed vno veluti ſaltu ipſum Deum attingunt, ex quo huius gradus dignitatem licet colligere: in aliis enim gradibus Deum in creaturarum ſpeculo contemplamur, in hoc verò ad intelligentiam ſupercæleſtium & diuinorum immediatè ſubleuamur.

Vberrima eſt huius contemplationis materia; ad eam ſiquidem omnia ſpectant quæ de Deo naturali lumine & ſupernaturali cognoſci poſſunt, vt quòd Deus ſit ens primum, æternum, incauſatum, independens, perfectum, infinitum, immateriale, ſimpliciſſimum, ac prima omnium & gubernatrix cauſa. Omnia verò, quę ad materiam huius contemplationis reduci poſſunt, breuiter cap. 11. de Fonte lucis annotauit Carthuſianus. *Quemadmodum*, inquit,

quit, *Deus ſit bonitas pura, veritas ſempiterna, vnitas ſimpliciſſima, purus actus, omnipotens virtus, ſanctitas exemplaris, ſapientia æternalis, cauſa & ratio omnium idealis, eſſe purum in ſe ſubſiſtens ac ſeparatum, vniuerſorum principium, prima omnis rectitudinis, omniſque iuſtitiæ, veritatis & virtutis regula & menſura; ens, in quo eſt omnis nobilitas, omnis pulchritudo, omnis felicitas ac dulcedo, omnis pietas & iuſtitia, ſumma charitas, plena libertas, omniſque perfectio abſque menſura ac fine, & prorſus ſimpliciſſimè; ita vt omnia iſta ſint vnum, vnitaſque in Deo, ſcilicet ſimpliciſſimum ac ſuperditiſſimum eius eſſe tam infinitè incomprehenſibiliterque perfectum, vt omnia iſta in ſe ſimpliciſſimè ac ſupereminentiſſimè comprehendat. Hæc omnia de Deo excelſo ac glorioſo limpidè, amorosè ac congratulatoriè contemplari, ad hanc contemplationis ſpeciem attinet.* Hæc ille.

Circa hanc Deitatis, diuinorumque attributorum contemplationem pleniùs lib. 4. de Contemplatione, à cap. 7. vſque ad 11. ſcripſimus.

### *Tertius gradus, Beatiſſimæ Trinitatis contemplatio.*

### §. 3.

Altior omnino aliis gradibus eſt diuiniſſimæ Trinitatis profundiſſima ac mentibus humanis imperuia contemplatio: neque paſſim omnibus huius generis contemplationis gratia à Deo conceditur; rariſſimi enim ſunt, qui vaſtiſſimos illos Trinitatis ſinus ſciant, & poſſint inueſtigare.

De huius diuiniſſimæ contemplationis altiſſima materia, ac defæcatis mentibus ſuauiſſima, lib. 4. de Contemplatione, à c. 12. vſque ad 17. latiſſimè diſſeruimus; vbi de Trinitatis incomprehenſibilitate,

pro-

Digitized by Google

proprietatibus, & mutua dilectione vtcumque egimus. Ad hanc enim contemplationis ſpeciem pertinet, intueri quemadmodum in vero ac ſimplici Deo ſit æterna, actualiſſima, ac puriſſima generatio, qualis eſt emanatio Verbi æterni à Patre ſummo, qui ſeipſum perfectè æternaliterque cognoſcens ac intuens, ſuiipſius conceptum & Verbum internum in ſe profert ac gignit. Quod namque in ſe & de ſe cognoſcit ac intuetur, hoc intra ſe loquitur ac producit: & quoniam vnico actu intelligit ſeipſum, & omnia perfectè intelligit, idcircò vna prolatione interna ſeu generatione mentali, ſeipſum & cuncta pleniſſimè intra ſe exprimit, & vnicum dumtaxat Verbum gignit, quod eſt ipſius perfecta ac naturalis imago, ſplendor, ac Filius, omniumque creaturarum exemplar: ideò & ratio atque totius vniuerſi forma archetypa in mente diuina, de quo Auguſtinus, *Qui negat*, inquit, *mundum, archetypum negat, & Dei Filium.* Hinc in Verbo iſto æterno tota Patris natura reſplendet, totaque eius maieſtas ac perfectio repræſentatur in eo. Vnde lib. 15. de Trinit. aſſerit Auguſtinus: *Pater tamquam ſeipſum dicens, genuit Verbum ſibi æquale.* Ampliùs ad hanc contemplationis ſpeciem pertinet, intueri quemadmodum Pater & Filius ſe intuentes, inuicem volentes, & mutuò incomprehenſibiliter ac ſuperſuauiſſimè complacentes, producunt & intra ſe ſpirant vnum increatum, plenum ac infinitum Amorem, propriæ amabilitati proportionatum, qui eſt amor & nexus, oſculumque amborum. Quemadmodum enim eſt verbum emanatio intellectus, ſic amor eſt emanatio voluntatis. Rurſus ſpectat ad hanc ſpeciem, contemplari quàm verè ſuperbeatiſſima ac ſuperdelicioſiſſima huius altiſſimæ Trinitatis ſit vita, quem-

admodum hæ ſuperuenerabiles, ſuperſublimes ac ſuperſanctæ perſonæ ſe mutuò intueātur intuitione penitùs comprehenſiua, iucundiſſima, & æterna, ſe inuicem quoque diligant amore ſuperardentiſſimo & immenſo, ſibique mutuò perfectè ac ſupergaudiosè complaceant, atque ſe inuicem ſuperfeliciſſimè perfruantur, & qualiter ſit in eis plena communio, ſuperiucunda diffuſio, conſiſtentia ſupergloſiſſima & æterna. Ecce hæc omnia humiliter ac ſincerè, quietè & amorosè circa diuiniſſimum hoc Trinitatis myſterium in via Illuminatiua ſunt contemplanda, cum præcordialiſſima congratulatione tam infinitæ beatitudinis & excellentiæ Trinitatis ſuperexaltatæ & adorandæ.

Quantò verò Trinitas eſt altior & purior, tantò maiori humilitate, reuerentia, & cordis puritate ad eius contemplationem oportet accedere: nam vt rectè ſcripſit Auguſtinus: *Nullibi periculoſiùs erratur, nec laborioſiùs quæritur, aut fructuoſiùs inuenitur, quàm vnitas Trinitatis.* Quare in his quæ circa ſanctiſſimæ Trinitatis contemplationem vim intellectualem tranſcendunt, curandum nobis eſt ne nimiùm intellectus acuetur aut figatur, ſed ſimplici ac ſtabili fide huic inſiſtendum eſt, & cum laude conſpiciendum & admirandum eſt, quod tam ex Scripturæ quàm Patrum documentis docetur ac traditur. Alia autem ſunt obiecta, quæ in beatiſſimæ Trinitatis contemplatione vim affectiuam inflammant, deuotionemque augent, quæ ſuppoſita fide faciliùs capiuntur, fructuoſiùs conſpiciuntur, dulciuſque guſtantur, & mentem Deo fortiùs affigunt & accendunt, vt prædicto lib. 4. c. 17. de Contemplatione annotauimus. Demum omnia ferè, quæ circa diuina attributa, medio Intellectus dono contem-

tem-

templari poſſumus ac debemus, Rusbrochius de Ornatu nuptiarum, lib. 2. c. 69. annotauit, dicens: *Enimuerò hoc Intellectus donum contemplari & cognoſcere nos docet noſtram ipſorum præſtantiam ac nobilitatem, & virtutum & exercitiorum omnium diſcrimen ſiue diſcretam cognitionem nobis præſtat, vt ſciamus quo pacto in æterna veritate citra errorem viuendum nobis ſit; & quiſquis eo illuminatus eſt, verſari ac ambulare in ſpiritu, & omnia tam in cælis quàm in terris ratione illuſtrata, probè ac ſanè & conſiderare & intelligere nouit. Atque eam ob rem in cælis degens cum Sanctis omnibus, dilecti ſui attendit & contemplatur pulchritudinem, & incomprehenſibilem ſublimitatem, inexhauſtam profunditatem, longitudinem, latitudinem, ſapientiam, veritatem, bonitatem, ineffabilem liberalitatem ac pietatem, & cæteras id genus amabiles Dei proprietates vel attributa, quæ in Deo, hoc eſt ſublimi natura Dei, prorſus innumera ſunt, eademque penitùs immenſa ac infinita, cùm ſint idem ipſe. Deinde, reductis ad ſeipſum & cunctos homines & creata omnia oculis, diligenter conſiderat, vbi Deus ex liberrima pietate ac liberalitate ſua ſecundùm naturam ea condiderit, doniſque variis affecerit: vtque etiam ſupra naturam ſeipſo ea donare ac ditare velit, ſi modò id inquirere ac deſiderare non recuſent. Iſtiuſmodi rationalis multiplicium diuitiarum ac donorum Dei conſideratio ſpiritum mirificè exhilarat, ſi tamen pro Dei amore nobiſipſis emortui ſimus in Deo, viuamuſque & conuerſemur in ſpiritu, & guſtu percipiamus ea quæ ſemper manſura ſunt. Idem etiam Intellectus donum eam quam in Deo habemus, ac per fruitiuum & penitùs abſorptum amorem poßidemus, vnitatem nobis reddit manifeſtam: itemque ſimilitudinem illam Dei, quam per charitatem & virtutes in nobis*



Digitized by Google

*ipſis habemus, atque etiam lumen nobis & claritudinem miniſtrat, in qua diſcretè ambulemus in ſpiritu, & contemplemur ac cognoſcamus Deum in ſpiritualibus ſimilitudinibus, & noſipſos quoque & omnia pro luminis ipſius ratione ac menſura Dei voluntate, & intellectus noſtri dignitate ac præſtantia.*

## CAPVT II.

### *De altiori contemplationis luce, qua in via Illuminatiua Proficientes illuſtrari ſolent.*

QVIA clementiſſimus Deus defęcatas iuſtorum mentes miris illuſtrationibus, ſine habitualium donorum adminiculo, non raro illuſtrare ſolet, veluti in prophetia contingit; operæpretium erit vt de hoc altiſſimo contemplationis genere, quod ſanctioribus ac purioribus mentibus quandoque ſolet euenire, diſſeramus, vberiùs de eadem materia tractaturi Tomo 3. vbi de Operationibus à gratiis gratis datis promanantibus pleniùs agemus.

Superiori cap. oſtendimus, qua ratione mens noſtra, doni Intellectus adminiculo, Deum in imaginibus intellectualibus cóſpiciat, quomodo inquam Deus ſit ſumma maieſtas, veritas, bonitas, pietas, charitas, ſapientia, miſericordia, iuſtitia, &c. ac præterea, quo pacto contempletur differentiã & vnitatem diuinæ naturæ in Trinitate, & Trinitatem in vnitate; quæ omnia Intellectus dono eleuata mens ſuauiſſimè contemplari ac deguſtare ſolet: tamen miſericors Deus aliquando ſpiritualem quamdam claritatem, quæ quidem eſt lumen tranſiens, intellectui benè purgato influit, eumque ſuo ſplendore eleuat, vt prædicta omnia altiori modo per reuelationem cognoſcat; in formis tamen & imaginibus ſpi-

ſpiritualibus, quæ viſio intellectualis à Theologis nuncupatur, vt infrà capite 5. edocebimus.

Nec deſunt in ſublimi hac theoria diuerſi perfectionis gradus: inueniuntur enim quatuor, per quos huius contemplationis nobilitas diſcernitur ac penſatur, vt latiùs lib. 6. de Contemplatione c. 2. tractauimus. Primus eſt, Quando infundit Deus lumen ſupernaturale intelligibile, nullas ſpecies de nouo immittendo, neque diuinitus præexiſtentes ordinando; & hoc eſt contemplari diuina per inſpirationem internam, ſiue per lumen infuſum ad modum actus. Secundus actus tunc contingit, Quando præter lumen ſiue inſpirationem internam, imaginabiles ſpecies præexiſtentes tantùm de nouo diuinitus ordinantur. Tertius, Cùm lumini & internæ inſpirationi nouarum ſpecierũ ſiue ſimilitudinum imaginabilium accedit inſperſio. Quartus & vltimus, Quando non ſolùm lumen iſtud internum, ſed etiam ſpecies intelligibiles, (quæ imaginabilibus nobiliores ſunt) de nouo infunduntur.

Hæc autem pura contemplatio dicitur, quia in ea mens ad diuinam contemplationem non tam per ſimilitudines à rebus ſenſibilibus mendicatas, quàm à Deo ipſo immiſſas ſeu infuſas, inſtar Angelicæ naturæ ſubleuari ſolet: contingit autem ſine vlla, aut ſaltem imperceptibili phantaſmatum adumbratione. Quod quidem dupliciter fieri poteſt. Primò, Si Deus immittat pro illo tempore ſpecies intelligibiles infuſas, quas decere aliquando infundi, communis eſt Patrum ſententia, vt lib. 1. de Contemplatione, c. 2. & 3. declarauimus. Secundò huiuſmodi pura contemplatio poteſt contingere, ſi Deus tantum ſupernaturale lumen infundat, quo ſpecies intelligibiles in memoria præexiſtentes ita illuſtren-

tur & diſponantur, vt nudam puramque veritatem ſine phantaſmatum admixtione repræſentent.

Hæc verò pura ac nuda veritatis diuinæ ſine phantaſmatum velamine intuitio, eſt altiſſima doni Intellectus operatio, in qua (vt ſcribit S. Thom. in 3. diſt. 36. q. 2. art. 2. q. 2. & 2. 2. q. 8. art. 8.) per viam remotionis incedens, Deum in hac vita perfectiori modo cognoſcit, quàm ſi per affirmationem aut poſitionem intueretur. Hac igitur inſpiratione, intelligentia deſuper illuſtrata, ſuper ſe eleuatur ad Deum conſpiciendum in omni perfectione, ſanctitate & gloria infinitum atque immenſum, & proinde omni prorſus menti humanæ & Angelicæ ac beatæ incomprehenſibilem, infinitè tranſcendentem & ſuperantem omnem mentis creatæ capacitatem, & ita vnitur & intenta eſt Deo, tamquam prorſus ignoto quantum ad id quod eſt; & hac ratione cognoſcit, quòd vniuerſa quæ Deo adſcribuntur à nobis, conueniunt ei per modum infinitè eminentiorem & perfectiorem quàm nos capere & intelligere in hac vita valeamus. Et hoc D. Dionyſius multis in locis vocat Ingredi diuinam caliginem, id eſt ſuperdulciſſimam in ſe, ſed nobis ignotam & incomprehenſibilem Dei claritatem, plenitudinem, regionemque lucis & veritatis ac ſapientiæ eius prorſus immenſam, & fieri in ignorantia Dei, & per inuiſibilitatem & incomprehenſibilitatem ipſum videre atq; cognoſcere, hoc eſt, intelligere, omnino ipſum inuiſibilem & incomprehenſibilem eſſe. Veluti ſi quis (vt exemplo Dionyſij Carthuſiani de Laud. vitæ ſolit. c. 36. interdum vtar) ſtans in littore totius Oceani, hoc eſt ei Oceanum ipſum videre, noſcere ſe non poſſe illud totum viſu attingere, metiri, finire; & veluti ſi quis in ipſam Solis lucem in

ipſo

Digitized by Google

ipſo Sole formaliter exiſtentem ſuum defigat obtutum, hoc eſt ei lucem illam conſpicere, cernere ſe non poſſe eam in ſua virtute & puritate oculis irreuerberatis conſpicari. Sic igitur contemplamur Dominum Deum noſtrum, ſi interiorem mentis oculum figamus in ipſum cum omni humilitate, reuerentia & amore, abſque audaci & curioſo ſcrutinio, & intueamur quòd ipſe eſt eſſe purum, ſimpliciſſimum, & incircumſcriptum, bonitas infinita, veritas increata, vnitas ſumma, ſuperbeatiſſima vita, ſapientia prorſus immenſa, virtus omnipotens, ſuperliberrima quoque voluntas, pulchritudo ſeparata & interminata, dulcedo illimitata, ſicque de ceteris perfectionibus eius. In horum contemplatione inflammetur cor noſtrum, & diuini amoris ardore totaliter ſuccendatur, ſicque Deo profundiùs vniatur, ac abditè, tamquam ignoto pariter & obſcuro, feruentiſſimè infigatur. Hæc Carthuſianus.

## CAPVT III.

### *Contemplatio Dei in caligine.*

PORRO hæc pura contemplatio à Myſticis ſimplex veritatis intuitus, ſiue ſilentium ſpirituale nuncupatur, quia in ea phantaſmata ſilent. Ea etiam contingere ſolet, cùm ad Deum in caligine intuendum, Intellectus dono eleuamur: eſt enim propriũ huius doni (vt pleniùs alibi ſcripſimus) Deum per viam remotionis ſeu negationis contemplari; quæ quidem contemplatio in diuinam caliginem terminatur, in qua Deum intuemur ac contemplamur, quaſi in tenebris & obſcuriſſima caligine. *Dicitur autem*, teſte Dionyſio Epiſt. 5. ad Doroth.) *diuina caligo, quia eſt inacceſſibile lumen, in quo habitare*

*Deus dicitur; inuiſibilis quidem exiſtens propter excedentem claritatem, & inacceſſibilis propter exceſſum ſuperſubſtantialis luminis effuſionis.* Hæc Dionyſius. Quare hæc contemplatio nihil aliud eſſe videtur, quàm defixio mentis in immenſam & inacceſſibilem Dei lucem, intelligentiæ oculum reuerberantem, & ſua immenſitate ſeipſam abſcondentem. De hac caligine ſæpenumerò mẽtio fit in ſacra Scriptura. Dauid Pſal. 17. *Caligo ſub pedibus eius.* & 96. *Poſuit tenebras latibulum ſuũ.* & Pſal. 22. *Nubes & caligo in circuitu eius.* Quare Salomon inquit 3. Reg. 8. *Dominus dixit vt habitaret in nebula.* ſeu, vt alij legunt: *Dominus pollicitus eſt vt habitaret in caligine.*

In hac præterea caligine ſunt gradus, vt c. 4. eiuſdem lib. de Contemplatione adnotauimus. In primo, mens, pacatis paſſionibus, phantaſmatibus quaſi conſopitis, tranquillè ac purè Deum in tenebra, hoc eſt ſub quadam generali incomprehenſibilitatis ratione, contuetur. In ſecundò verò ſentitur caligo illa, ſiue inacceſſibile Dei lumen, quo non tantùm mens illuminatur perfectiùs quàm in primo, ſed etiam quaſi ſolaribus radiis vicinior ac eiſdem perculſa feruet ardentiùs. In primo, amoris vulnere ſauciatur: in ſecundo ligatur, & præ amoris magnitudine ita languet, vt nihil poſſit eī ſatisfacere præter vnionem cum dilecto, quam concupiſcit ardenter: ad ipſum enim anhelat, in ipſum ſuſpirat, ex ipſo inardeſcit, ac in ipſo ſolo deſiderat requieſcere: ſępè extra ſe amoris impetu rapitur, incipitque incomprehenſibilis Dei diuitias intueri, multaque ei per diuinam reuelationem manifeſtantur, ſed nec eis contenta manet, iterùm enim maiori impetu & feruore ad vnionem cum dilecto, omnia illa tranſcendens, ardentiſſimè anhelat.

Et

Et quamuis in vtroque contemplationis genere iſta tenebrarum caligo percipiatur, eſt tamen magnum diſcrimen inter harum tenebrarum genera: nam ſicut lumen maius à minori in claritate differt, ita tenebræ maiores à minoribus diſtinguuntur. Et ſicut (teſte Salomone Prou. 4.) *iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit vſque ad perfectam diem*; ita quoque contemplatiuorum tenebræ & caligo vſque ad perfectam noctem & caliginem mirabiliter creſcunt & intendũtur. Et hoc forſan voluit ſignificare Dauid cùm dixit Pſal. 138. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius*, id eſt, ſicut in lumine ſunt perfectionis gradus, ita & in tenebris diuinis iure debent conſtitui ſimiles etiam gradus.

Modum autem Deum contemplandi in hac caligine, & quæ ibi animæ ad Deum anhelanti eueniant, Henricus Harphius lib. 3. Myſt. Theol. par. 3. c. 23. latiùs proſequitur, cuius mentem ad breuiorem methodum, eius tamen verbis vtentes, reducamus. Poſtquam, inquit, anima in imaginibus & ſimilitudinibus tam corporeis quàm intellectualibus Deum eſt contemplata, & cùm huiuſmodi contemplationis modis minimè poſſit eſſe contenta, cùm plenam Dei cognitioné animæ non conferant; ideò relictis illis, anima dilecta totis ſe præcordiis ſubleuat, ac deſiderio accenditur ad videndum dilectum in ſua glorioſa & nuda eſſentia, deuotis ſuſpiriis clamitans & dicens: *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis:* Ioan. 14. & iterùm Pſal. 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*. conſiderans, quòd intuitiua cognitio, qua Deum in hac vita contemplamur, in imaginibus & ſimilitudinibus verſatur, quibus Deum veluti per indumenta quædam, & non ex facie cognoſcimus. Hinc protinus oculum ſuum

in-

intellectualem ab omnibus imaginibus etiam intelligibilibus, quales ſunt imagines Diuinitatis, vnitatis, Trinitatis, bonitatis, &c. denudare feſtinat, iudicans ipſa luce clariùs, quòd hęc omnia, quantumcumque præcelſa videantur, Deum tamen propriè non repræſentant, ſed tantùm ſunt menſuræ humanæ comprehenſibilitatis & intelligentiæ. Quapropter per nudam cognitionem ſuam non ceſſat intrare in illam diuinam caliginem, vbi nimirum in quadam perfecta Dei ignorantia conſtituitur, & veluti inter duas menſas quaſi præ fame moritura ponitur. Nam ad menſam inferiorem, vbi Deus in imaginibus vmbraticè cognoſcitur & diligitur, inclinare ſe renuit: ad ſuperiorem verò menſam, vbi Deus in nuda ſua glorioſa eſſentia conſpicitur, accedere non permittitur. Sic igitur manet ſedens in nuda caligine, & immediatè coram ignota glorioſæ Diuinitatis præſentia ſuam ibi conſtituens habitationem, eò quòd illic ſine medio lumen illud glorioſum in ipſa caligine refulgere non ceſſat, licet mentis noſtræ tenebræ lumen ipſum comprehendere non valeant. Interim tamen dum in hac vita peregrinatur, ſuam habitationem in ipſa caligine ſub menſa ſuperiori corã immediata præſentia dilecti, veluti ſub vmbra illius quem deſiderat, quadam anheloſa longanimitate conſtituit, & inſtar catelli micas de menſa Domini expectantis. Nec ibi otioſa inuenitur; ſiquidem ſollicita ſemper eſt quomodo Deo magis ac magis placeat, diuinum beneplacitum ob oculos ſemper habens, ac in operibus virtutis, exercitiis vigoroſis, & affectibus amoroſis ſuper omnes occupationes & multiplicitates ſe exercens, & hanc habitationem continuè viſitans, per exceſſum quemdam ſimplicem omnium cogitationum,

rum, ſimilitudinum & imaginum, imò & ſuper omnem Dei nominationem; & ſic poſt omnem occupationem, ſecundùm ſe totam in caliginoſam, ſicut in propriam habitationem reuertitur: tum etiam, quia illic otioſam quamdam habitationem habet, ſcilicet amoroſam quamdam anhelationem ad videndam nudam & glorioſam faciem dilecti ſui, ad ſedendum inquam cum ceteris electis ad menſam illam ſupremam, vbi tandem dilectus eius erit cibus & potus ipſius. Hæc Harphius. Vbi præclarè tædium, deſiderium & ſpem, & exercitia alia, quæ in hac amoroſa anhelatione in hac caligine celebrata inueniuntur, proſequitur, de quibus infrà cap. 7. pleniùs diſſeremus.

## CAPVT IV.

### *De modi neſcia contemplatione.*

Hæc ſummi boni in caligine contemplatio non immeritò à Myſticis Doctoribus modi neſcia nuncupatur: nam tunc virtus intellectiua, vt benè docet Harphius lib. 3. Myſt. Theol. 4. part. c. 29. in modum modi neſcium eleuatur, ita vt intuitus eius ſine modo fiat, nec ſic, nec hîc, nec ibi firmetur, ſed omnia quodammodò ſine modo complectitur, eò quòd eius intuitus ei ſuperexaltatus & ſuperdilatatus eſt, ita quòd neſcit vbi reſpiciat, veluti vagabundus & errans; nec intuitum reuocare poteſt, quia totus eſt ab eo diffluens ſine modo, ſine fine, ac ſine reuerſione; quia quod capere deſiderat, adipiſci ad votum non valet. In hoc ſtatu intellectus ſemper habet propenſionem & inclinationẽ vt videat quid ſit Deus in ſe, & qualis ſit: quoniam ad hoc à Deo ducitur, allicitur & inuitatur, ac eam ob cauſam, vt

ſuprà dixi, non ceſſat continuis ſuſpiriis ad portas diuinæ miſericordiæ pulſare; ſed tamen intellectus illic excubare cogitur, quia oculus eius ab immenſa claritate reuerberatur & caligat. Exultat tamen interim cum ſponſa, dicens: *Sub vmbra illius* (id eſt Chriſti) *quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Porrò illud aduertendum eſt, ad hanc contemplationis ſpeciem etiam alias, quæ variis nominibus à Myſticis vocari ſolent, reduci. Prima, quæ Spiritualis animæ ſomnus dicitur, quæ nihil aliud eſt, quàm quædam in Deo feliciſſima obdormitio, in qua ſpiritus à ſe diffluit, neſciens vbi aut quomodo; hoc tantùm ſciens, quod ſponſa Cant. 5. dicit: *Anima mea liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt.* & eodem cap. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* quia eodem tempore anima ab omnibus rebus abſtracta, & à ſeipſa, id eſt à ſenſibus, quodammodò alienata, ſolius dilecti intuitioni & caſtiſſimo amori dulciter inhæret. Et quamuis ſæpè contingat in hoc gradu animam à ſenſibus ad diuina omnino rapi, in hoc tamen ſuaui dormitione omnino non fit extra ſe: nam licet operationes externorum ſenſuum ac imaginationis quodammodò debilitentur, non tamen penitùs conſopiuntur, quemadmodum ij qui dormitare ſolent, qui nec omnino ſenſibus carent, nec omnino ſenſibus vtuntur.

Demum eſt alia contemplationis ſpecies, quæ Quies in Deum iure vocatur, in qua Deus in puro ac eminenti amore poſſidetur, & ipſe in animā cum dilectione prolabitur, alterque alterius in poſſeſſione & quiete mutua requieſcit; in ea ſpiritus clarificatur, & totus diuino lumine ac dulcore perfunditur, & Deus cum ipſo, & ipſe cum Deo mira chari-

tatis

tatis adhæſione & iucunditate ad inuicem congluti-nantur. Hæc iucundiſſima quies à pura Dei contemplatione prouenire ſolet, eſtque proxima ad vnionem fruitiuam cum Deo diſpoſitio. De hac admirabili quiete D. Bonauentura tract. de Septem gradib. contempl. ita ſcripſit: *Quies eſt totius animæ mira quædam & ſuauis tranquillitas, per infuſam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreata. Solis valdè ſpiritualibus experientia huius quietis conceditur, quibus & datur etiam ipſas ſupercæleſtes ſubſtantias contemplando tranſcendere: ſuperignota enim bonitas ipſi familiaris ſeipſam eis immittit, & eis tota virtute dilatato ſinu ſancti deſiderij, potenter ſuſcipiunt beatas immiſſiones, animalibus & præſumptuoſis omnino incognitas. Sic igitur puris Sanctorum contemplatiuorum animabus tam inſueto nutrimento ditiſſimè adimpletis ſplendeſcit ipſorum ratio, dulceſcit concupiſcentia, hilareſcit iraſcibilis, ex dilectione quorum Deificam illam quietem non ambigimus emanare.* Hæc ille. De hac ſuauiſſima contemplatione, & de ſuaui ſomno eam antecedenti, plura l. 5. c. 6. de Contemplatione ſcripſimus. Eſt autem hæc iucundiſſima quies, vltima diſpoſitio ad diuinam & arcanā vnionem animæ, vt præclarè ſanctiſſima virgo Tereſia lib. ſuæ Vitæ c. 14. & ſequentibus adnotauit.

## CAPVT V.

### *Diuinæ reuelationes, viſiones, ac locutiones, quæ in raptu ſæpiſsimè in via Illuminatiua contingunt.*

CLEMENTISSIMVS Deus ſolet (idque non rarò) in via Illuminatiua proficientibus, vtpote puris ac defæcatis mentibus ornatis, mirabiles viſiones

nes ac diuinorum ſecretorum reuelationes à corporeis ſenſibus raptis liberaliſſimè communicare. Plura eſſent hîc de raptu & reuelationibus diſſerenda, de quibus ſpeciatim alibi, adiuuante Deo, dicemus.

Solent autem illi, qui ad hunc ſtatum viæ Illuminatiuæ peruenerunt, tempore amoris æſtus & impatientiæ interdum ſupra ſeipſos in ſpiritum rapi, vbi vel ſub formis & ſimilitudinibus quædam eis proponuntur veritates, ſiue internis verbis aliqua exprimuntur, ſiue pro ipſorum, ſiue aliorum neceſſitate quandoque etiam eis futura panduntur. Iſtæ verò reuelationes, viſiones, ſiue locutiones aliquando ſub corporeis fiunt ſimulachris & imaginibus in phantaſia receptis, quæ quidem Angelorum miniſterio efficiuntur: aliquando verò ſub intellectuali veritate ac mediis intellectualibus ſpeciebus contingunt, quæ intellectualis viſio nuncupatur: interdum verò quidam ſuper ſeipſos & ſupra ſpiritum ſuum in quoddam incomprehenſibile rapiuntur bonum, quod eo modo quo ipſum vel viderunt vel audierunt, nullis vmquam verbis aut exprimere, aut indicare valent.

Porrò quandoque (vt egregiè docet Rusbrochius lib. 2. de Ornat. nupt. c. 25.) velut fulgores quoſdam repentinos inſtar fulgurũ Deus mittit in ſpiritum, ſiquidem ſubitaneus quidam ſingularis claritatis fulgor ex ſimplici radians nuditate, emicat: tum verò ſpiritus in momento ſupra ſeipſum ſubleuatur, ſed mox lumen huiuſmodi diſparet, & homo redit ad ſe. Et hoc quoque Deus ipſe operatur, & eſt quiddam præclarum valdè: quandoquidem tales ſæpiùs homines redduntur illuminati. Solet prætereà etiam aliud quiddam vſuuenire amoris æſtu labo-

laborantibus: nonnumquam enim quoddam percipiunt lumen, quod quidem profectum ſit ex Deo, ſed per media. In ipſo autem lumine cor & vis appetitiua verſus ipſum lumen ſeſe erigunt, & ex hac luminis obuiatione tanta ſentitur appetentia & delectatio, vt ſit cordi intolerabilis, & præ exultatione in quamdam prorumpit vocem, & id iubilus appellatur; quod eiuſcemodi gaudium eſt, vt verbis non poſſit explicari. Neque id deuitari aut ſupprimi poteſt. Si enim corde ſurſum erecto ac patulo quiſpiam lumini huic occurrere velit, vox talis ſequatur neceſſe eſt, quamdiu lux ipſa & exercitatio perſeuerat. Præter hos alij vel à proprio Angelo, vel ab aliis beatis ſpiritibus, in ſomnis de diuerſis ſibi neceſſariis rebus inſtituuntur.

Raptus igitur, viſiones, reuelationes, ſiue locutiones, communes quidem ſunt omnibus viam hanc ſupernaturalem, ſiue Purgatiua, aut Illuminatiua, ſiue Vnitiua illa ſit, ingredientibus, vt planè conſtat ex ijs quæ ſuperiùs, de via Purgatiua agentes c. 10. annotauimus. Multùm tamen intereſt inter viſiones, reuelationes, & alias perceptiones mentales, quæ in hoc triplici ſtatu euenire ſolent: nam frequenter, quæ nondum benè purgatis eueniunt, in inferiori cælo, id eſt in imaginatione, recipiuntur: quæ verò in Illuminatiua contingunt, in intellectu & voluntate à phantaſmatibus & affectionibus aliis expurgatis tamquam in ſecundo & nobiliori cælo recipiuntur: illæ verò perceptiones, quæ puriſſimis mentibus, quales ſunt quæ amorem vnitiuum deguſtarunt, omnium ſunt nobiliſſimæ, vtpote quæ vſque ad tertium animæ cælum, hoc eſt ad ſupremam animæ partē conſcendunt. Nec ſolùm raptus,



Digitized by Google

reuelationes & perceptiones aliæ differunt ex parte ſubiecti in quo recipiuntur, vt ex dictis conſtat; verùm etiam ex aliis multis capitibus. Primò, Ex maiori & pleniori influxu luminis intellectualis: nam Proficientibus & maiori purgatione mundatis, quales ſunt viam Illuminatiuam ingreſſi, Deus clarius & perfectius lumen, quàm incipientibus purgari, perfundit. Purgatiſſimis verò, quales ſunt qui Deo per intimam & fruitiuam vnionem adhærent, vberius lumen his qui ad hunc feliciſſimum ſtatũ nondum peruenerunt, immittit. Secundò, Ex immiſſione ſpecierum ſiue præexiſtentium noua ordinatione in mente illius, qui ad diuina percipienda rapitur; ſumi etiam poteſt harum perceptionum mentalium differentia: nam ſimilitudines, ſiue ſpecies intellectuales, excellentiores quidem ſunt imaginariis, & intellectuales illæ nobiliores ſunt, quæ de nouo infunduntur à Deo ſpeciebus aliàs in mente præexiſtentibus. Solet enim Deus nouas ſpecies intelligibiles ipſi menti infundere, vt pleniùs lib. 6. de Contemplatione, c. 2. pertractauimus. Diſertè verò ac breuiter Dionyſius Carthuſianus Opuſc. de Vita incluſarum, c. 19. vbi loquens de altiſſima contemplatione, & de exceſſu ſiue raptu, varios perfectionis gradus deſcribit, dicens: *Interdum fit hoc per ſimilitudines corporales, interdum per formas imaginarias, interdum verò ſublimiùs, puriùs, ac diuiniùs per ſpecies & radios intellectuales, hoc eſt per ſolam intellectualem illuminationem, & ſpiritualis ſpeciei aut luminis infuſionem, vt contingere ſolet perſonis perfectis, heroicis, & diuinis, quæ ſæpè inopinatis exceßibus feruntur, ſeu potiùs rapiuntur in Deum, qui frequenter benigniſsimè ſic ſubitò & ex improuiſo præuenit mentes illarum, quòd abſque proprio conamine illu-*

*ſtran-*

*ſtrantur & inflammantur à Spiritu ſancto, tamque ſuauiſſimè replentur & conſolantur ab ipſo, vt ineffabilem Dei circa ſe charitatem, pietatem, liberalitatem, ac dignationem nequaquam mirari ſufficiant, atque tam validè eleuantur & afficiuntur in Deum, vt præ claritate contemplationis & præ feruore dilectionis diuinæ deficiant, & à ſeipſis alienentur, ac corpore infirmentur, vndaſque gratiæ deſuper influentis ferre vix queant; ſicque Deo ſuum in eos continuante influxum à ſeipſis penitùs defluant, atque in abyſſo lucis æternæ, in fonte diuitiarum gloriæ infinitæ demerguntur ac abſorbentur, & igne amoris diuini quodammodò conſumuntur, ſicque dulciſſimè in Deo obdormiunt, ſoliciterque repauſant & requieſcunt.* Hæc ille.

Præterea differunt raptus, viſiones, reuelationes, &c. primi ſtatus, ab his quæ in ſecundo & tertio ſtatu contingunt: illæ enim ſunt frequentiùs periculoſæ, vt latiùs ibi annotauimus, & ſæpè deceptoriæ, vel quia à dæmone immiſſæ, vel quia à propria imaginatione confictæ: illæ verò quæ ad ſecundum & tertium ſtatum pertinent, ſecuriores ſunt, quamuis maximo periculo non careant, ſi animus recipientis cum proprietate eis incipiat adhærere: paratus enim debet eſſe, quiſquis ille ſit, pro Dei voluntate & beneplacito æquè his carere, ac frui; imò, quantum eſt ex parte ſua, potiùs eligere debet, his & aliis conſolationibus propter Dei amorem in hac vita priuari.

Demum, antequam à reuelationibus & viſionibus viæ Illuminatiuæ diſcedamus, operæpretium erit viam arduam & difficilem, quam ingreſſuri ſunt illi qui ad tantam diuinorum chariſmatum gratiam à Deo ſublimantur, ex auctoritate Richardi à S. Victore aperire, vt ſi aliquando deterreat mentem

certamen laborum, eam afficiat magnitudo præmiorum. In Pſalmum igitur octauum is eruditè (vt ſolet) quibus modis perfecti viri rapiant regnum cælorum, & quibus machinis eorum muros & portas expugnent, vſque dum illis ſecretiora diuini palatij ſecreta pateant, & ingredientes ſpolia referant, ita ſcribit: *Iſtam*, inquit, *viam* (nempe arctam) *adſcendunt viri dumtaxat ad bella doctiſſimi, & terribilis caſtrorum acies ordinata virorum fortium, & eorum qui poſſunt ad bella procedere, viam veritatis eligentes, vtpote vim facturi, arctam illam & arduam illam quæ ducit ad vitam cum alacritate apprehendunt, & cum ſumma feſtinatione per ſemitam mandatorum de valle lacrymarum aſcendunt de virtute in virtutē, quæ retrò ſunt obliti, & in interiora extenti, ſatagunt ſemper magis magiſque ſapere quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram, donec vix cum multo labore tandem aliquando apprehendentes montis verticem, perueniant vſque ad ciuitatem múnitam. Collecta itaque omni multitudine in ſummis montium, & ſecundùm caſtrorum diſciplinam acie ordinata, mirabiliter in montibus æternis cingunt vrbem, & inchoant obſidionem. Et in primo quidem congreſſu ciuium conſtantiam telorum iactu emollire nituntur. Aſſiſtunt hinc ſagittarij, illinc fundibularij. Iaciuntur itaque ab aliis ſuſpiriorum ſagittæ ab imo cordis euulſæ, ab aliis ignitæ orationis tedæ accenſæ. Volant vndique ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Hinc iſti in funda & lapide, illinc illi in ſplendore fulgurantis haſtæ ſuæ dant crebros ictus in gemitibus inenarrabilibus, vniuerſis rugientibus à gemitu cordis ſui. Nec dubium, in tam acri certamine, in tanto talium telorum imbre, quin cæleſtes illæ Angelicarum virtutum phalanges crebra ſuſcipiant miſeratio-*

*num*

*num vulnera, in tantum, vt ſauciatorum caterua neceßitate vrgente clamare cogatur, Vulnerata charitate ego ſum; vtpote pietatis affectibus medullitus confoſſa, & paßim perforata. Eriguntur prætereà machinæ meditationum, ſpeculationum, contemplationum. Patent iam vrbis interiora: ab alta ſiquidem contemplationis machina, facilè conſpiciuntur quæ intrinſecus ſunt vel geruntur. Applicatis denique ad murum machinis, & electorum ex omnibus bellatorum fortium ordinibus intus diſpoſitis, aggrediuntur cominus propugnatores ciuitatis. Sed ne ſpiculis ex diuerſo venientibus aliqua errorum vulnera ſuſcipiant, induti lorica fidei, proteguntur galea ſpei, tenentes in manibus gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. His igitur è machinis, illis è propugnaculis fortiter dimicantibus, vicißim feriunt & feriuntur, vtrimque vulnerant & vulnerantur, his compunctionis, illis pietatis vulnera ſuſcipientibus. His itaque in hunc modum certantibus, alij ad torquendos lapides baliſtas erigunt, & de Scripturarum canone ratas irrefragabilis auctoritatis ſententias eruunt. Feruntur itaque in muros ingentes ſaxorum moles, lapides lapidibus illiduntur, vt ex crebra Scripturarum collatione ſecretioris ſcientiæ ſecreta pateſcant. Sed nec iſta ſufficiunt. Admouetur prætereà ad murum aries, & intercurrente directa ratiocinatione, validæ argumentationis ictibus murorum firmitas tandem diſſoluitur, & crebreſcentibus circumquaque reuelationum rimis, vrbis interiora patefiunt. Tandem aliquando mœnia vrbis vario machinamentorum impulſu deijciuntur, & illa alta profunditas, & profunda altitudo myſteriorum diuinorum penetratur, & murus ille ſpiſſus & altus, in figuris & ænigmatibus conſtructus, dirumpitur. Rupto itaque muro, irruunt vndique fortes & perſeuerantes, ſcrutinio penetrant*



Digitized by Google

*netrant vſque ad interiora Auſtri; his & aliis dumtaxat, qui in eis audaciores ſunt, irrumpentibus penetralia diuini palatij, vbi & audiunt arcana illa verba, quæ non licet homini loqui. Diuiduntur ceteri per vicos & plateas ciuitatis, perſcrutãtes omnia, penetrantes abdita quæque locorum & ædium ſecretiora, nihil intactum prætereuntes, nihil indiſcuſſum relinquentes. Intrant tandem (nullo obſtante) in æterna gazophylacia cæleſtium theſaurorum, in quibus abſcondita iacet altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Rapit itaque quiſque quod poteſt. Ab alio ſermo ſapientiæ, ab alio ſermo ſcientiæ vendicatur. Huic cedit diſcretio ſpirituum, illi genera linguarum. In hunc itaque modum illa gaza ſpiritualium chariſmatum ab aliis & aliis varia ſorte diripiuntur, vt conſtet quod Veritas atteſtatur* Matth. 11. *Quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Direpto itaque cæleſti theſauro à virtutum prædonibus, omnes onerati ſpoliis & onuſti præda cum alacritate redeunt, & per aliam viam reuertuntur in regionem ſuam.* Et paulò inferiùs: *Amor Dei rapit eos ſurſum, amor proximi retrahit eos deorſum. Propter Deum itaque eſt quòd aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſum propter proximum, ad viſitandum eos qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, educere in manu potenti & in brachio excelſo vinctos in mendicitate & ferro. Venientes itaque veniunt cum exultatione, portantes prædam in humeris ſuis, gaudentq́ue vehementer, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, & ſicut qui inuenit ſpolia multa: & auditur vndique vox exultationis & confeſſionis in tabernaculis iuſtorum.* Hæc Richardus.

C A-

## CAPVT VI.

### *Ardentiſſimus Dei amor frequentiùs in viæ Illuminatiua exercetur.*

INTER alios effectus, quos præclariſſimum Intellectus donum ſua irradiatione in anima operatur, nobiliſſimus eſt ardentiſſimus Dei amor. Eſt enim Spiritus ſancti gratia in anima latens conſimilis candelæ, vaſi vitreo aut laternæ incluſæ. Quemadmodum enim candela iſtiuſmodi vitreum vas non ſolùm illuſtrat, & ſuo ſplendore penetrat ac tranſradiat, verùm etiam & ipſum vitrum calefacit: ita & Spiritus ſanctus, medio Intellectus dono, non tantùm purificatas illuminat mentes, & ad diuina contemplanda rapit, earumque virtutes & bona exempla aliis aperit ac manifeſtat; quinimmò, intimo calore mirum in modú incendit. Et ſicut ignis, vi & efficacia ſui caloris, aquam aut quemlibet alium liquorem aheno infuſum non calefacit ſolùm, ſed vt & ſurſum ebulliat, compellit: ad eumdem modum ignis Spiritus ſancti non tantùm impellit ac excitat omnes animæ vires vt ebulliant, ſurſumque per contemplationem efferantur; ſed vt diuino quoque incendantur amore, ita vt amoris diuini ignis ſemper in eorum mentibus ardeat & feruecat. In hac enim via Illuminatiua præcipuus amoris effectus eſt, cor affectum ac omnes animæ vires ſurſum trahere, vt Deo ipſi vniantur. Hæc autem æterni Solis irradiatio tantum amorem & gaudium excitat in anima, ipſumque cor in principio vſque adeò expandit & latè explicat, vt ægrè claudi poſſit. Hinc iam quodam vulnere cordis afficitur eo tempore anima, quod verè eſt & dicitur vulnus amoris:

ris: nihil verò poteſt hoc amoris vulnere ſentiri ſuauiùs, aut vehementiùs excruciare: hoc affici, certiſſimum eſt ſanctitatis conſequendæ indicium; hoc denique vno eodemque tempore gaudium ſimul & dolorem ingerit. Iſte gradus vulnerantis amoris Incipientes, ſiue eos qui viam Purgatiuam ſupernaturalem profitentur, exornat; Illuminatiuæ verò magis amoris vincula & languores congruūt, vt in via Purgatiua adnotauimus: ſunt enim amoris violenti quatuor gradus, vt præclarè Richardus de S. Victore in tract. de Gradibus charitatis conſiderauit. Et vt prætermittam quartum, qui viæ Vnitiuę, de qua infrà, congruit: *Primus*, ait, *amor vulnerans vocatur, qui cor quaſi neceſſitat & medullitus transfigit, vt veraciter clamet cum ſponſa: Vulnerata charitate ego ſum. Secundus verò amoris gradus, qui ligat, ſicut primum diximus qui vulnerat*. Nam, vt optimè idem Richardus, *Nonne*, inquit, *ſine omni contradictione animus ligatus eſt, quando omnium obliuiſcitur, vt aliud meditari non poſſit: quia quidquid agit, quidquid dicat, ſemper hoc mente reuoluit, perenniq́ue memoria retinet, hoc dormiens ſomniat, hoc vigilans omni hora tractat. vnde facilè eſt perpendere, vt arbitror, quomodo hic gradus priorem gradum tranſcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam eſſe permittit*. Sequitur: *Rectè itaque dictum eſt quòd prior gradus ſit qui vulnerat, ſecundus ſit iſte qui ligat. Licet ergo ligari minus ſit quandoque quàm vulnerari, tamen maior violentia videtur eſſe, ſi poſtquam aliquis percullſus deiicitur, deiectus deprehenditur, deprehenſus abducitur; abductus incarceratur, incarceratus catenatur atque ligatur, & iam omnino captiuus tenetur. Quid horum, quæſo, maius & violentius? Ille liber eſt, iſte autem à loco in quo detinetur, recedere non poteſt,*
*quia*
Digitized by Google

*quia ligatus eſt.* Hæc ille. *Sed quæ ſunt (inquies) vincula, quibus ſpiritus ſiue animus in hac vita ita ligari poteſt? Si vultis audire, de charitate ligantur. Propheta Oſeas* 11. *dicit: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Sed qui ſunt iſti funiculi Adam primi parentis noſtri, niſi munera Dei? in magna enim gloria creatus fuit. Quid igitur ſunt iſta charitatis vincula niſi Dei beneficia? bona naturæ, bona gratiæ, & bona gloriæ? huius enim beneficentia vinculis obnoxios nos fecit, quia naturam condidit, gratiam contulit, gloriam repromiſit. Ecce funiculus triplex. Adiecit autem Dominus adhuc noua vincula charitatis, quæ manu valida multiplicat ſuper nos, vt nos ſibi arctiùs adſtringat, quæ numerari non poſſunt.* Et infrà: *Sicut in priori deguſtata ſuauitas ſauciat animam, ſic in ſecundo inſpecta charitas cogitationem ligat, vt illius obliuiſci, vel aliud cogitare non poſſit.* Hactenus Richardus.

Ab hoc ſecundo amoris gradu viam Illuminatiuam ſupernaturalem ingreſſi incipere ſolent: cùm enim per contemplationem purgata mente diuina collata ſibi beneficia conſpiciunt, ac Chriſti amorem erga ſe altiùs contemplantur, non poſſunt his charitatis vinculis non ſolùm non vrgeri, ſed & arctiſſimè ligari, præcipuè verò vbi Chriſtus intus exigit & inuitat ad intimam ſecum per amorem vnionem, quã cùm auidiſſimè anima concupiſcat, neque tamen ad eam, vt deſiderat, pertingere valeat; vnde quidam enaſcitur languor amoris ſpiritualis, ita vt cor Deum amans in nullo guſtu & ſapore, aut conſolatione, quam Deus in animas infundere ſolet, quieſcere poſſit: & cùm ex alia parte obtinere non liceat, quod præ omnibus deſiderat; ac permanere cogatur, vbi animus eſſe planè recuſat;

ex his videlicet duobus languor iſte conflatur. ac deinde cùm Deum nequeat adipiſci, nec eo frauda-ri aut carere animus velit, ex his quædam in huiuſ-modi homine foris & intus exiſtit & oritur æſtuòſa impatientia: quæ quamdiu durat, nulla eſt creatura nec in cælis nec in terra, in qua illi vel quietem vel aliquod ſolatium capere libeat.

Hic amoris languor ſiue æſtus, quædam interna impatientia eſt, quæ rationi morem gerere & obſe-qui non vult, donec re amata potiatur. In hoc qui-dem gradu amoris vis tam ingens eſt, vt in omni hominis vita non ſit perfectior, adeò vt abſque vllo alio labore corpus lædatur & abſumatur. Vbi enim hæc amoris impatientia dominatur, modos omnes ſuperat, nec ſe aliquo certo modo contineri vel ſtringi patitur: nam qui ſic amat, interdum etiam impatienti mortis cruciatur deſiderio, vt à corporis ſui carcere diſſolutus cum dilecto ſuo poſſit vniri: eam ob rem oculis internis ſurſum leuatis aulam cæleſtem gloria & gaudiis affluentem, & inibi di-lectum ſuum eximiè coronatum, & immenſis cum deliciis in Sanctos ſuos profluentem contemplatur, ſimul attendens, quòd his omnibus carere compel-litur. Hinc verò ſolent interim oculi externis lacry-mis humeſcere, & anhela naſci deſideria. Deinde, reuocatis è cælo oculis, dum ſuum in quo degit ex-ſilium, quodque euadere non licet, adſpectat, iam lacrymæ doloris & auidæ expectationis per ora de-currunt, quæ quidem illius animum ſedant ac re-frigerant, & ſunt reuerà naturæ corporeæ, ob tuen-das illius vires & valetudinem, vtiles ac ſalutares, quò poſſit tantus æſtus & impatientia, donec defer-ueſcat, ſuſtineri.

Hunc animæ incredibilem languorem Richar-

dus

Digitized by Google

dus pulchrè deſcripſit his verbis: *Ad tertium itaque gradum violenti amoris aſcendit, quando omnem alium amorem excludit, quando nihil præter vnum, vel niſi propter vnum diligit.* Sequitur: *In hoc itaque tertio gradu violentæ charitatis nihil omnino ſatisfacere poteſt præter vnum, ſicut & nihil ſapere poteſt niſi propter vnum: vnum amat, vnum diligit, vnũ ſitit, vnum concupiſcit; ad vnum anhelat, in vnum ſuſpirat, in vno inardeſcit, in vno requieſcit; vnum ſolum eſt in quo reficitur, vnum ſolum eſt ex quo ſatiatur; nihil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc vno condiatur.* Sequitur: *Quidquid vltrà ſe offerat, quidquid ſponte occurrat, citò reiicitur, citò cõculcatur quod ſuo affectu non militat, vel eius deſiderio non deſeruiat. Sed quis huius affectus tyrannidem dignè deſcribat? quoniam omne deſiderium expellit, omne ſtudium excludit, omne exercitium violenter exprimit, quod ſua concupiſcentiæ deſeruire non conſpicit. Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imò intolerabile videtur, niſi in vnum ſui deſiderij finem concurrat. Cùm autem frui poteſt eo quod diligit, omnia pariter ſe habere credit: ſine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabeſcit ac langueſcit, conſilium non accipit, rationi non acquieſcit, nullam conſolationem admittit, ſed clamat cum ſponſa: Nuntiate dilecto, quia amore langueo.*

*Tertius itaque amoris gradus eſt, quando mens rapitur in Deum luminis abyſſum, ita vt humanus animus in hoc ſtatu omnium exteriorum oblitus, penitùs neſciat ſeipſum, totuſque tranſeat in Deum ſuum. In hoc itaque gradu compeſcitur planè deſideriorum turba carnalium, & fit in cælo ſilentium quaſi dimidia hora in hoc namque gradu, dum mens à ſeipſa alienatur, dum in illud diuinum ſecretum rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio circumdatur, intimè penetratur*

*tur & inflammatur, ſeipſum penitùs exurit, & diuinum quemdam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam tranſit. In hoc ſtatu anima in illum, quem diligit, liqueſcit, & in ſeipſa tota langueſcit, vt dicat: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hæc Richardus.

Effectus huius ardentiſſimi amoris, teſte Dionyſio Carthuſiano de Fonte lucis, cap. 13. ſolent eſſe, gloriatio in aduerſis, caſtigatio carnis, cuſtodia cordis, humiliatio mentis, deſpectio terrenorum, deſiderium æternorum, & omnis actus virtutum. Cumque amor priuatus omnium ſit radix vitiorum, conſtat quòd eo euulſo cuncta eradicentur peccata: quo facto, inſunt cordi munditia & charitas Dei pura, fortis, fixa ac feruida Sicque ad omne bonum, & illuminationes altiſſimas ac frequentes, & quaſi continuas, ad inflammationes æſtuantiſſimas, ad tranſformationem Deificam, ad raptum & ecſtaſim, ad exercitationem ſecretiſſimam, tranquillationem dulciſſimam, imò ad vitam Angelis proximam eſt anima tum diſpoſita, ſtatque velut in contactu continuo Solis æterni, Solis iuſtitiæ, Solis ſapientiæ infinitæ, vt exuberantiſſimè ac indeſinenter illuſtretur, calefiat, penetretur, impleatur, ac mundetur ab illo, & inſtar ſpeculi terſi, peruij, luminoſi atque clariſſimi obiecta ſubſtrata & applicata eſt ſuperlucidiſſimo Soli immenſo: idcircò non ceſſat ille Sol liberaliſſimus ſtillicidia gratiæ, fluenta ſapientiæ, charitatis ſcintillas in illam diffundere. Hæc Carthuſianus.

Demum hoc æſtuanti amoris incendio affectus, ardenter ac inceſſanter deſiderat, vt ipſe Creator ac Dominus vniuerſorum ab omnibus creaturis decenti ac debito modo colatur, honoretur, diligatur,



Digitized by Google

ac formidetur, ac ipſe in primis id totis viribus peragit, & alios ad id, quantum poteſt, inducit, totum ſe Deo impendit, ipſum totis præcordiis cupiendo, toto feruore amando, ad eius honorem & gloriam omnia referendo. Vehementiſſimè bonum Eccleſiæ commune cupiens, atq; vniuerſorum ſalutem deſiderans, vt Deus in omnibus atque ab omnibus honoretur. Idcircò de iniuriis & offenſis in eum commiſſis, de pereuntium ingratitudine & vitiis intimè contriſtatur; ac econtrariò de errantium emendatione, de iuſtorum profectu ſummopere lætatur, gratias agit, pro omnibus orat, & totus in bonitatis affectum, in zelum iuſtitiæ, in amoris ignem conuertitur, reſoluitur, & transformatur.

## CAPVT VII.

### *De ſpirituali languore & æſtu, aliiſq; huius ſtatus amoroſis exercitiis.*

ANIMA in hoc ſtatu non tantùm vulnerante ſed & languente amore transfixa, licet per altiſſimam contemplationem ipſum Deum in illa caligine, de qua locuti ſumus cap. 3. ineffabili modo intueatur, adhuc tamen quaſi inter duas menſas conſtituta, præ amoris fame videtur emori: nam ad ſuperiorem menſam, vbi Deus in ſua glorioſa eſſentia conſpicitur, & ad quem ardentiſſimo amore anhelat, accedere vnione omnimoda non permittitur; ad inferiorem verò, vbi Deus in imaginibus veluti ſub vmbra cognoſcitur, inclinare ſe renuit: quare veluti media inter cælum & terram clamare compellitur: *Suſpendium elegit anima mea, & mortem omnia oſſa mea.* Et quamuis ad ſuperiorem menſam illi non pateat ingreſſus, in illa amoroſa caligine ſub

hac

hac menſa conſtituta, anhelosâ longanimitate inſtar catelli micas de menſa Domini expectat, ſollicita ſemper quomodo Deo magis ac magis placeat, ac in operibus virtutum & affectibus amoroſis continuò ſe exercens, & præcipuè per amoroſam quamdam anhelationem, ad videndam nudam & glorioſam dilecti ſui faciem ſeipſam inclinans. Quam quidem amoroſam anhelationem in hac caligine tria (vt egregiè Harphius lib. 3. Myſt. Theol. par. 3. c. 23.) comitantur exercitia, tædium ſcilicet, deſiderium, & ſpes. Tædium autem complectitur in omnibus, quæ ſub hac caligine continentur: quoniam ibi dilectum ſuum minimè reperire præualet niſi in imaginibus & ſimilitudinibus, quem in ſua proprietate videre deſiderat. Hinc etiam quoddam amoroſum tædium de ipſa caligine, quam inhabitare cogitur, incurrit, donec ſeſe dilectus ſua pietate manifeſtare ſe voluerit: non enim ignorat, quòd ipſius dilecti occultatio contingit ex parte proprij defectus, cùm Deus in ſe glorioſum lumen eſſe dignoſcitur, in quo tenebræ non ſunt vllæ, vt dicit 1. Ioan. 1. Sicuti ſol materialis creaturis vniuerſis in ſe magis eſt viſibilis, vtpote fons ipſe viſibilis lucis; verumtamen vniuerſi corporales oculi illam aſpicere propter nimiam claritatem non poſſunt, ob eorum debilitatem & inhabilitatem. Sic ergo felix anima tædium ſuſtinet ſuæ caliginis, quam ex ſeipſa cauſatam non ignorat. Denique licet vtcumque gaudeat ſuper omnem imaginem & ſimilitudinem in hanc ſe conſcendiſſe caliginem, omnemq; creaturam effugiſſe & ſuperuolaſſe, ſtans inauertibiliter coram immediata præſentia dilecti, glorioſo lumine caliginem ſuam illuſtrantis; quamuis lumen illud glorioſum eius caligo comprehendere nequeat, tædium tamen ſuſti-

Digitized by Google

ſuſtinet propter debilitatem & inhabilitatem oculi ſui intellectualis, lumen illud capere vel ſuſtinere non valentis, quo nimirum cogitur inter duas menſas famelica & ſitibunda reſidere.

Secundum verò exercitium, eſt quoddam flammigerum deſiderium ad glorioſam & nudam dilecti faciem videndam, & fruendam in plenitudine amoris; quia numquam plenum gaudium niſi in perfecta Dei viſione & cognitione valebit adipiſci. *Petite*, (inquit Ioan. 16.) *& accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Et item ait: *Videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Cùm igitur anima in hoc feruido & penetratiuo deſiderio coram ignota, licet immediata Dei præſentia, ſteterit, ſtatim recipit verbum illud abſconditum, de quo dicitur in lib. Iob cap. 4. *Porrò ad me dictum eſt verbum abſconditum; & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* id eſt occultiſſimas inſpirationes alloquentis Verbi, quod eſt Filius Dei Chriſtus Ieſus, ſapientia Patris, qui, vt dicit Iob cap. 28. *abſconditus eſt ab oculis omnium viuentium.* Hoc verbum amoroſæ animæ dulci ſuſurrio loquitur in ipſa caligine ſuæ cogitationis, ipſe Pater in illa caligine cum Filio & Spiritu ſancto inhabitans, ſicut promiſerat Chriſtus Ioan. 14. dicens: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ibi denique verbum ſuum loquitur non in imaginibus vel ſimilitudinibus, quæ procul funditus eliminatæ ſunt; ſed in ſua glorioſa luce, licet ipſi animæ verbum hoc abſconditum maneat: quia quamuis lux ipſa luceat in tenebris, tenebræ tamen eam comprehendere non poſſunt. De quo Verbo diuino dicit Sapiens Sap. 18. *Cùm quietum ſilentium contineret omnia, & nox in curſu ſuo medium iter haberet, omni-*

*potens*

*potens ſermo tuus exiliens è cælo à regalibus ſedibus venit.* In caligine quippe cogitationis tenent omnes creaturæ ſilentium, vbi caliginoſa nox ſuum curſum habere dignoſcitur, id eſt, ſtatum ſuum in hac vita, quæ tota curſus quidam eſt: in media verò via curſus huius, inter Deum ſcilicet & creaturam, menſam ſuperiorem & inferiorem, aduenit omnipotens ſermo diuinus à regalibus ſedibus paterni cordis, quo ſcilicet dulce ſuſurrium infert auribus dilectæ ſuę diuinarum inſpirationum, quibus ipſam vigilem reddit, ne in ipſa caligine præ tædio dormiat, deſideriis otioſa, & amore tepida.

Tertium autem, eſt ſpes ſecura, quam anima ex occultiſſimo ſuſurrio paterni Verbi meretur adipiſci: nam vt cæcus à natiuitate, qui deſiderio flagrat ad videndum exteriorem viſibilem omnium creaturarum ornatum, quem quia numquam vidit, quidquid illi de huiuſmodi dicitur, cum deſiderio quidem, ſed ſine imaginibus & ſimilitudinibus recipit, cùm in ſe, quæ numquam vidit, nequaquam formare poteſt: ſic felix anima venas ſuſcipit diuini ſuſurrij auribus quidem deſideriorum ſuorum, ſed ſine imaginibus & ſimilitudinibus, quia ſuſurrium illud incomprehenſibilem gloriam diuinæ eſſentiæ multifariis demulſionibus eidem inſpirat, de qua numquam perfectam imaginem habuit, vel habere velit: quia dumtaxat nudam glorioſam diuinam eſſentiam in ſeipſa & cum ſeipſa videre deſiderat, quomodo & quando dilecto illam ſua pietate manifeſtare placuerit.

Ceterùm, licet in hoc ſtatu in ea creaturæ vniuerſæ ſilere cogantur, ipſa tamen minimè ſibi ipſi ſilentiū indicere poteſt, non ceſſando viſceroſis deſideriis dulcia ſuſurria cum dilecto inuicem frequentare,



Digitized by Google

tare, cumque nunc piis argumentationibus, nunc gratiarum actionibus, nunc amoroſis aſpirationibus conueniens & alloquens: quod vtique ſuſurrium licet ſine verbis & imaginibus celebretur, nec percipere quis poteſt, niſi ipſe dilectus & dilecta, dicente ſponſa Cant.2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*: nos tamen pro modulo noſtro balbutiendo, colloquium illud dulciſſimum proſequamur quibuſdam diſſimilibus ſimilitudinibus. Nam inſpiratum Dei Verbũ in ſua nuda cogitatione loquitur animæ, dicens Apocal.1. *Ego ſum α & ω*, hoc eſt, *principium & finis* omnium creaturarum, eſſentiale bonum earum, ac perfecta beatitudo vnicuique iuxta modum & capacitatem ſuæ naturæ: plenitudo ſum immenſarum diuitiarum æternarumque gratiæ & gloriæ, quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, quas præparaui diligentibus me, vt ſatientur & inebrientur ab vbertate domus Dei. Cui felix anima dulci ſuſurrio deſideriorum ſuorum reſpondet: O quàm beati qui edunt & bibunt ad menſam tuam, Domine! quoniã te lucidè cognoſcunt, iucundè laudant, magnificè gratias agunt, ardenter diligunt, & te fruuntur in lætitia & exultatione: ego autem hîc fame crucior: Luc.15. Proiecta in cinere & caligine, lumen cęli non video. Sitio te clarè cognoſcere, eſurio te perfectè diligere, nec deſiderium meum adipiſci valeo. Obſecro, Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.

Hæc ſunt præcipua & altiora exercitia animæ amoroſæ in via Illuminatiua ad Vnitiuam aſpirantis; ſunt enim quaſi immediatæ diſpoſitiones ad illam. Iſte verò animæ languor non adeò diuturnus eſt, quin aliquando mirabili ac cælica ſanitate contemperetur; contingit enim, vt plerique Myſtici docent,

mira viciſſitudo inter iſtum languorem quaſi infernalem, & cælicam iſtam ſanitatem: ſanitas enim aliquando ipſum ſpiritū ſuper omnia eleuat in quamdam imperturbabilem libertatem, Deum ſecundùm totum deſiderium cordis & animæ laudandi & amandi: nam cùm Deum quis in ſe cum multitudine diuitiarum eius præſentire incipit, hanc dicitur adeptus ſanitatem; ex hoc namque ſapiens efficitur ratione illuminatus, cæleſtibus profluus doctrinis, charitate accenſus, & demum ſpirituali ebrius lætitia, aliaque innumerabilia conſequitur, quæ ſolâ experientiâ edocentur. Languor autem infernalis hominem in omnem deſolationem deiicit: nam licet interdum cælica ſanitas, dum adeſt, magnam homini confidentiam & ſpem ingerat; ea tamen abſente, ſtatim iterùm animus in deſperationem deiicitur, ac vix conſolari poteſt, quaſi numquam aliquid de Deo audiuiſſet.

## CAPVT VIII.

### *Mirabilis delectatio, quæ in hoc ſtatu aliquando percipitur.*

INTER præcipua (vt egregiè philoſophatur Laurentius Iuſtinianus in Faſcic. amor. c. 5.) quæ in ſuæ conditionis primordio omnipotens Deus homini præſtitit dona, naturaliter illum concupiſcibilem fecit, quatenus ſuum naturali impulſu ſemper cuperet Conditorem, in quo concupiſcibilium omnium ſciret eſſe dulcedinem. Naturali igitur motu infatigabiliterque humanum requirit cor vnde delectatione paſcatur; non corpore neque mente quieſcit, delectationis flagrans deſiderio, ſi quo modo delectabilium omnium æternum valeat inuenire fon-

fontem, ad quem pertingendo, ſe ſatiandum eſſe non ambigit: caſſo proinde ſemper labore reſudat delectabilia quæritando, quoaduſque experiatur (quamuis tenuiter) quàm ſuauis ſit Dominus, & quàm magna ipſius ſit multitudo dulcedinis, quam abſcondit ſeruiliter timentibus ſe, perficit verò illis qui ſperant in ſe, & diligunt ſe. Modica iſtius ſcintilla dulcedinis copioſum charitatis accēdit ignem, cæleſtique deſiderio mentem ferueſcere facit. Tali vtebatur incendio Propheta, cùm diceret: *Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt.* Non mediocriter diligebat, quando renes etiam ſuos commutatos eſſe commemorabat; quippe qui priùs carnali atq; voluptuoſo paſcebatur amore, tunc ſpirituali quadam dulcedine ebrius effundebat in carne, quod præ amoris abundantia in mente continere non poterat. Plenitudo quidem hæc ex agnitione Deitatis emanat; ſe minimè cohibere, ſeque humanus capere non valet animus, cùm illius obtutui ſpirituali innoteſcit Deus. Exultat cor, lætificatur ſpiritus, pariter caſtificatur & caro, atque tota diuino mancipatur obſequio. Hoc Citharœdus ſanctus inſinuare curauit, dicens: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Porrò quicumque familiari Dei potitur contubernio, & puræ iugiter contemplationi vacat, verſiculi huius ſententiam nouit; necdum verò adultus in ſpiritu, nequaquam verborum penetrat ſenſum, tenui tantùm delectatione, quæ affectum tangit, potatur, & tamquam paruulus paruis nutritur: perfectus autem quiſque & charitate feruidus, veritatis paſcitur cibo, vtpote dilectus, dilatatus & capax, nihil fragmentorum quæ de eius ſuperſunt conuiuio, perire ſinit: nempe ex his diem feſtum agit Domino; re-

uoluit animo, quæ contemplando guſtauit, & quadam ſuauitatis circumfuſus abundantia, laudis prorumpit in vocem: *Deus*, inquit, *cordis mei, & pars mea Deus in æternum:* iuxta enim inſpectæ veritatis menſuram, amoris vehementia prærogatur.

Oritur autem ex amoris dulcedine, quæ in via Illuminatiua aliquando guſtatur, caſta quędam mentis & omnium ſpiritualium virium voluptas; quam qui experitur, diuino amoris amplexu circumdatus ac circumplexus ſibi videtur: quæ quidem voluptas & conſolatio interna cor & animam longè copioſiùs afficit, quā omnis omnino terrena, etiamſi in vnum aliquem hominem (modò id fieri queat) tota congeratur. Enimuerò, in hac caſtiſſima voluptate, per ſua dona Deus in cor hominis tanta conſolatione & gaudio ſeſe immittit ac illabitur, vt cor intus redundet ac ſupereffluat. Verſatur autem magnum diſcrimen inter delectationes quæ in via Illuminatiua deguſtantur, ab his quæ in Purgatiua percipiuntur: ſunt enim non ſolùm illis nobiliores, ac omnino celſiores, vtpote quæ in ſpiritu magis defæcato ſubiectantur; verùm etiam multò ſecuriores, quia à ſenſibus magis abſtractæ & elongatæ.

In hac ſublimi Illuminationis via Spiritus ſanctus voluntatem non ſolùm ad amoris ardentiſſimi trahit incendium, verùm etiam attactu mellifluo, à quo dimanant riuuli cunctis affluentes deliciis, internum hominis palatum omnigena (quam quidem vel excogitare vel imaginari nemo poteſt) ſuauitate afficit: Deus enim oculis animæ intellectualibus imaginem imprimit intellectualem diuinæ bonitatis & charitatis; nam & ipſe charitas eſt ſecundùm perſonarum proprietatem. In hac autem imagine ſeſe tam diuitem & vberem oſtendit, ac omnium bonorum

norum profuſè non tantùm in omnes generatim effluentem, quinimò affluentiùs multò ac copioſiùs in dilectam ſuam modo ſingulari gratiâ ſuâ, doniſque multiplicibus profluentem, adornantem, & perficientem ſapore cæleſti eius voluntatē, vt mens ſapiat, agnoſcat, & experimentum faciat quàm ſuauis ſit & bonus Dominus. Hic ſapor quandoque ad tantum peruenire ſolet incrementum, vt animæ guſtanti ceterarum omnium creatarum rerum ſuauitas maximè inſipida videatur: omnem etenim animam ſua iucunditate inuadens adeò reddit exundantem, vt omnem affectuum capacitatem quaſi aperiens & expandens, aduenienti diuinæ liberalitatis influxui ad ſe præbeat ingreſſum, quaſi totam illam immenſitatem digerere & deglutire conaretur: atque adeò ita perfluitur ipſa, & vndequaque circumplectitur, ac liquari ſe illo ſapore videtur, velut iam intraſſet in gaudium Domini ſui. Hinc ſubitò eius pars ſuperior diuini Spiritus igne ſurſum rapitur ad Deum laudandum, glorificandum, & in omnibus ex ingenti charitatis affectu gratias agendum.

Quare tunc mens feliciter illuſtrata, in æternam illam bonitatem obtutus figit, de qua tantus deliciarum torrens adeò copioſè erumpit, vt veraciter agnoſcat quòd illas incomprehēſibiles delicias numquam valeat cognitione aſſequi, quia luce creata gaudium immenſum conſiderat, & idcircò in ſua conſideratione deficit. Initia & progreſſus huius diuinæ ſuauitatis optimè proſequitur Richardus in Pſal. 4. *Nam contemplationem*, ait, *admiratio, admirationem verò ſequitur exultatio: in hac autem exultatione perfunditur animus mira quadam & ingenti dulcedine, quam nullus ſenſus poteſt æſtimare, nullus*

*ſermo valet explicare.* Et infrà: *Sed ſicut in ſuperioribus, ſic & in hac excreſcẽtia ſuauitatis internæ quoſdam poſſumus profectuum gradus attendere. Primò enim incipit ſentiri illa interna ſuauitas, & ex illa generatur mira quædam perfruendi auiditas, auiditatem ſequitur ſaturitas, ſaturitatem ebrietas, ebrietatem ſecuritas, ſecuritatem tranquillitas. Quòd enim guſtata ſuauitas auiditatem exacuet, quis ignorat? Quantò enim quid cui dulciùs ſapit, tantò deguſtantis animum ad eius appetitum acriùs accendit. Sed proculdubiò, quò auidiùs comedimus, eò citiùs ad deſideratam ſaturitatem pertingimus. In hunc itaque modum & ſuauitatem auiditas, & auiditatem ſaturitas ſubſequitur. Scimus autem, quia quique poſtquam ad ſaturitatem comedendo perueniunt, qualibet appoſita vel oblata faſtidiunt. Quid igitur huiuſmodi ſaturitatem, quam præfati ſumus, quid inquam aliud eſſe dicemus, quàm quoddam quarumlibet corporalium deliciarum faſtidium, & ex intimo affectu exteriorum omnium rerum quemdam & ſpontaneum deſpectum?* Et poſt pauca: *Ad veram itaque internæ ſatietatis plenitudinem anima peruenit, quando præ illius ſuauitatis abundantia, quam interiùs ſentit, omnium quæ exteriùs apponi poſſunt, quoddam neceſſarium potiùs quàm voluntarium faſtidium incurrit. Hanc autem veræ ſuauitatis ſatietatem ſentire non poſſunt, qui exterioribus delicijs affluunt: non enim inuenitur huiuſmodi ſuauitas in terra ſuauiter viuentium; nec ſapere poteſt ſapor huiuſmodi inter tot oblectamenta deliciarum, & tam varia condimenta ciborum. Edent* (inquit Pſal. 21.) *pauperes, & ſaturabuntur. Pauperes inquit, non diuites. Hanc autem ſaturitatem (vti iam dictum eſt) ebrietas ſequi ſolet. Scimus autem omnes, quoniam qui plenè ebrij ſunt, irriſiones ſuas ſæpè nec*

quidem

*quidem aduertunt, & circumſtantia pericula nec declinare, nec ſaltem attendere norunt. Cùm igitur videamus multos quotidie inter conuitia & opprobria hilareſcere, inter pericula & rerum damna gaudere; quid, qui huiuſmodi ſunt, niſi ebrios debemus iudicare? Quid tantam dixerim mentis alienationem, niſi ſpiritualem quamdam ebrietatem? Prius autem eſt, vt faſtidiamus varia, ſed vana mundi oblectamenta. Secundum, vt deſpiciamus quælibet eius aduerſa. Primum efficit ſpiritualis ſatietas, ſecundum autem ſpiritualis ebrietas. Satietatem ergo ebrietas ſequitur, vt ex eorum effectibus comprobatur. Ex hac autem ebrietate animus in tantam conſtantiam excreſcit, tantamque fiduciam de Domini protectione aſſumit, vt cum Apoſtolo audiat & dicat: Certus ſum, quia neq; mors poterit nos ſeparare à charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Rom. 4.

## CAPVT IX.

### *Pericula, quæ in hac ſpiritus deſolatione ſiue nimia delectatione contingere poſſunt.*

OPERÆPRETIVM erit, etiam hoc loco quædam pericula ſeu impedimenta eorum, qui amoris languore, æſtu, aut impatientia laborant, indicare, quę Rusbrochius, rerum ſpiritualium peritiſſimus, lib. 2. Nupt. cap. 26. & duobus ſequentibus annotauit. Ad eumdem, inquit, modum, vbi impatienti quiſpiam amore corripitur, quaſi in caniculares incidit dies, diuinorumque radiorum ſplendor ſupernè admodum ferueſcit & ardet, & cor amoris vulnere confectum, valdè intus incenditur & inflammatur. Itaque affectionis æſtu & deſiderij impatientiâ vſque adeò accenſis & ferueſcentibus, vt is qui hæc ſentit reddatur impatiens & inquietus,

vel malè contentus, perinde vt ſolent feminæ partu laborantes, nec tamen partum valentes edere: ſi iam iſte & cor ſuum amore vulneratum, & eum quem ſic impatienter amat, continuè adſpectare velit, dolor hic iugiter augeſcit, idque in tantum, vt natura illius corporea haud ſecùs exſiccetur & areſcat, quàm ſolent arbores in calidis regionibus; atque ita præ æſtus & amoris vehementia moriens, ad cælos abſque vllis Purgatorij pœnis euolet. Verú, quamuis feliciter hinc emigret, qui præ amore moritur, attamen dum poteſt arbor bonos ferre fructus, non eſt vtique perdenda aut deſtruenda. Nonnumquam etiam Deus tanta cum ſuauitate in corda amoris æſtu feruentia promanat, vt in deliciis, quemadmodum piſces in aquis, velut natare videantur, atque intimum eorum fundum charitatis æſtu ardeat, idque ob delicioſam in Dei donis natationem & impatientiam, delicioſumque ipſorum æſtum ac feruorem. Sed in his diu immorari, naturæ corporeæ deſtructio eſt. Denique, quotquot ita impatienter amant, & ſic amore æſtuant, omnes quidem in hoc ſtatu langueſcunt, ſed non omnes moriuntur, ſi tantùm ſe benè gerere norint.

Eſt & aliud (eodem teſte cap. 27.) periculum, vnde commonendi ſunt quibus hæc eueniunt, quod maximum poſſit damnum afferre. Vt enim interdum ſub diebus canicularibus ros quidam mellifluus fallacis dulcedinis cadit, fructus ipſos aut commaculans, aut penitùs deſtruens; vt plurimùm autem ros iſte in meridie ſole ſplendente magnis decidit guttis, & difficilè à pluuia poteſt internoſci: ita & fieri ſanè poteſt, vt lumine quodam operatione diabolica effecto quidam ſuis ſenſibus externis deſtituantur: idem enim lumen hominem ambit &

cir-

circumplectitur, & nonnumquam variæ hîc exhibentur formæ & imagines, quandoque mendacia, quandque veritas, & diuerſæ hîc inſpirationes ſentiuntur. Et iſta quidem à quibuſdam magna cum voluptate cernuntur ac circumſpiciuntur; atque interim melliſluæ hîc fallacis dulcedinis guttæ decidunt, in quibus huiuſmodi admodum ſibi placent, fitque, Deo permittente, vt qui iſthæc magni pendunt, ea copiosè percipiant, ſed ita facilè contaminantur. Si enim ea quæ à veritate diſcordant, pro veris ſuſcipere ac tueri velint, eò quòd in hunc modum reuelata ipſis aut inſpirata ſint, nimirum erroribus implicantur, & fructus virtutum pereunt. Ceterùm, qui antememorata ambularunt itinera, etiamſi ab iſtiuſmodi ſpiritu vel lumine tententur, facilè ea cognoſcunt, nec quidquam inde damni vel detrimenti patiuntur.

Demum, formicæ exemplo amoris æſtu laborantes inſtruit idem Auctor c. 28. ſequentibus verbis: Libet hîc ad breue quoddam exemplum proponere ijs qui amore æſtuant, quo hunc gradum excellenter, & ita vt oportet percurrant, & ad virtutes ſublimiores prouehantur. Eſt inter animantia vermiculus quidam, formica nomine, & ea fortis ac prudens, & ægrè moritur, libenterque in calidis & ſiccis terræ locis in ſodalium ſuorum congregatione & cœtu demoratur, laborat æſtate, & cibum frumentumque comportat, quo hieme veſcatur, idque ne computreſcat vel pereat, partitur, vt eo tempore, quo nuſquam quidquam alimenti reperire licet, vſu illius gaudeat. Non amat nec amplectitur aliena ſeu deuia itinera, ſed vnam omnes viam tenent; & quandoque etiam, ſi iuſtum expectet tempus, alas accipit quibus volet. Ita videlicet agendum eſt

impatienter amantibus, (hi enim ſunt qui in hac via Illuminatiua proficiunt;) fortes enim eſſe debent, & Chriſti aduentum præſtolari. Prudentes quoque erga reuelationes & inſpirationes diabolicas, non eligent mori, ſed Dei potiùs augere laudem, & ſibi ipſis nouas ſemper mereri & cumulare virtutes. Ad hæc in ſui cordis cunctarumque virtutum collectione commorabuntur, & diuinæ vnitatis inuitationi & exactioni obſequentur. Habitabunt etiam in ſiccis & calidis locis, hoc eſt præualido amoris æſtu & impatientia; & in præſentis vitæ æſtate ſedulam coaceruandis pro æternitate virtutum fructibus operam nauabunt, eoſdemque fructus bipartientur; quorum pars altera erit, vt ad ſublimem continenter aſpirent fruitiuam vnitatem; altera, vt quoad fieri poterit, ratione ſibi ipſis moderentur & frænum imponant. Seruabunt autem fructus hos virtutum ad tempus diuinitus præfinitum, ſicque in omnem illæſi perdurabunt æternitatem. Neque verò peregrina ſibi parabunt itinera, neque ſingulares quoſdam modos ſectabuntur; ſed amoris ambulabunt itinere, idque per omnes illius turbines & tempeſtates, quacumque illos deduxerit. Ita demum, ſi tempus opportunum ſuſtinuerint, contemplari diuina, & in Dei arcana ſubuolare valebunt. Quare in hoc impatientiæ ſtatu magna opus prudentia eſt, vtpote quia vtendum variis conſiderationum & exercitiorum modis, qui parum animum remittant ad conſeruandas vires, & vt diu liceat virtutibus dare operam.

C A-

# CAPVT X.

## *De ſupernaturali purgatione viæ Illuminatiuæ.*

De mirabili Incipientium purgatione c. 11. viæ Purgatiuæ quamplurima ſcripſimus, quæ in multis non incongruè viæ Illuminatiuæ applicari poſſunt, maximè illa quæ ſuperiorem animæ partem concernunt, de quibus ibidem ex mente D. Bonauenturæ & aliorum retulimus nonnulla. Reſtat iam vt aliqua de purgatione Proficientium in via Illuminatiua referamus.

Intellectus doni lumen non immeritò ſplendidis Solis radiis ſæpè comparauimus: quare quemadmodum, Sole ſuos retrahente radios, tenebris vniuerſus orbis obducitur, ac frigore contabeſcit; ita diuinæ illuſtrationis ſuæ radios occultante Deo, & hominem velut in tenebris deſerente, iam amoris æſtus ille dulciſſimus & impatientia deferueſcit & refrigeſcit, & feruens æſtas vertitur in Autumnum, atque opes omnes in ingentem inopiam commutantur, neque ſecùs iam cum illo agitur, quàm cum homine erudito, ſed qui poſteà ſcientiam omnem & operam perdiderit.

Duplici igitur tentationum genere ſolent torqueri hi, qui anteà diuitiis ſupernaturalibus abundabant: alterum partem inferiorem concernit, quaſi magis materiale & corporeum; alterum, vti magis ſpirituale, ſuperiorem animæ partem impugnat. De priori igitur purgationis genere priùs diſſeramus, dicturi deinde de ſecundo.

Tenta-

## *Tentationes carnales ſeu temporales, quibus in via Illuminatiua, Proficientes aliquando impugnantur.*

§. I.

SVAVISSIMA Dei luce in animæ horizonte obſcurata, ſæpenumerò euenire ſolet ob eiuſmodi iacturam naturam omnino perturbari & dolere; quandoque etiam Dei permiſſu homo ſic deſolatus, inſuper terrenis ſpoliatur rebus, aut amicis & cognatis, & à creaturis omnibus derelinquitur, & quidquid habet ſanctitatis in obliuionem abit, ac nihili penditur, totamque vitam & omnes eius actus in peiorem partem homines interpretantur; contemnitur item & deſpicitur ab ijs omnibus quibuſcum viuit; interdum quoque diuerſorum generum morbis corripitur, aut tentationibus corporalibus: experiuntur enim non rarò, etiamſi caſtiſſimi ſint, vehementiſſimas carnis impugnationes à dæmone ipſo prouenientes. Beata virgo Catharina Senenſis mirabiles in hoc genere paſſa eſt tentationes, vt Laurentius Surius in eius Vita ſcripſit. *Vbi ſatis Chriſtus eam communierat, permiſit dæmonibus attentare, ſi quid poſſent obtinere ab illa. Nec illi deſides ſunt ad nocendum. Et primò quidem à rebus venereis illi ſuggerendis capiunt initium. immittunt turpes cogitationes caſtiſſimo pectori, adhibent illuſiones & phantaſmata dormienti, imò etiam corpora ex aëre ſumpta oculis & auribus vigilantis ingerunt, faciuntque multa, quæ ſine horrore dici non queant.*

Sanctiſſimus vir Franciſcus Minorum Patriarcha, non fuit alienus (etiam ſuo Ordine fundato) à ſimilibus tentationibus: nam & eas aliquando ſuſtinuit, vt S. Bonauentura in cap. 5. ſuæ Vitæ refert:

*Ad*

*Ad inſufflationem illius, cuius halitus prunas ardere facit, grauis ipſum carnis tentatio apprehendit: quam vt perſenſit caſtitatis amator, depoſita veſte, chordâ cœpit ſe verberare fortiſſimè: Eia, inquiens, frater aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagellum. Tunica Religioni deſeruit, ſanctitatis ſignaculum præfert, furari eam libidinoſo non licet.* Et ſtatim narrat, quomodo impugnatione durante ſanctiſſimus Pater ſe in niuem demerſerit, & ſeptem maſſis ex niue factis, vxorem, filios ac filias, ſeruum & ancillam, ad tentatoris irriſionem & carnis victoriam appellauerit.

Sanctus quoque Benedictus, almificus Monachorum Pater, adhuc in eremo conſtitutus, grauiſſimam acerrimamq; pugnam à carnis concupiſcentia & illecebra diuino fretus auxilio ſuſtinuit. Huius hiſtoriæ ſeriem ſic narrat D. Gregorius 2. lib. Dialog. cap. 2. *Quadam verò die cùm ſolus eſſet, tentator affuit. Nam nigra paruaque auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiuſque vultui importunè inſiſtere, ita vt manu capi poſſet, ſi hanc vir ſanctus tenere voluiſſet; ſed ſigno Crucis edito receſſit auis. Tanta autem carnis tentatio, aue eadem recedente ſecuta eſt, quantam vir ſanctus numquam fuerat expertus. Quamdam namque aliquando viderat feminam, quam malignus ſpiritus ante eius mentis oculos reduxit: tantoque igne ſerui Dei animum in ſpecie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam penè deſerere eremum voluptate victus deliberaret. Tunc ſubitò ſuperna gratia reſpectus ad ſemetipſum reuerſus eſt, atque vrticarum & veprium iuxta denſa ſuccreſcere fruteta conſpiciens, exutus indumento, nudum ſe in illis ſpinarum aculeis & vrticarum incendiis proiecit, ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus* 

*exiit,*

*exiit, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque benè pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat*. Hæc S.Gregorius.

Nec prætermittenda eſt dura illa impugnatio carnis, quam S.Hieronymus in eremo pertulit, vt ipſe in Epiſtola ad Euſtochiū prolixiùs ſcribit: *Pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant*. Et infrà: *Memini me clamantem diem crebrò iunxiſſe cum nocte, nec priùs à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam, & mihimet iratus & rigidus, ſolus deſerta penetrabam, ſicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum*, &c. Hæc Hieronymus.

Hæ igitur tentationes ad maiorem Sanctorum probationem, & ad oſtenſionem fortitudinis ſuorum militum, demum ad cuſtodiam humilitatis eorum Deus quandoq; permittit, vt præclarè Richardus in Pſal. 28. ſcripſit. *Primò*, ait, *vox illa Domini intercidentis flammam ignis, in Incipientibus & noniter conuerſis intercidit quidquid inclinare poſſet conſenſum rationis: in Proficientibus autem ſæpè auſert illicitam delectationem mentis: in raris autem & valdè perfectis remouet etiam titillationem carnis. Multi tamen, quamuis ad ſummam perfectionem profecerint, ſtimulum carnis ſuæ extinguere non potuerunt, ſed diuina hoc diſpenſatione in eis actum eſt; quam quidem, quid vnicuique vtiliùs accidat, latere non poteſt. Et in aliis quidem fiebat ad demonſtrationem ſingularis*

*ris eorum fortitudinis, quia tales erant, qui ſemper pugnare aſsiduè & triumphare ſufficerent: in aliis autem, ad cuſtodiam humilitatis, quando ſingulare aliquod bonum præ ceteris aliis omnibus acceperant.* Hactenus Richardus.

Et quod omnium grauiſſimum eſt, quamplurimis aliis ſpiritualibus (de quibus infrà) ſæpiſſimè vexantur. Multùm autem inter ſe diſtant huiuſmodi tentationes Incipientibus vel Proficientibus ſiue Perfectis contingentes: nam quæ Incipientes impugnant, ſæpè ex carnis petulantia & immortificatione promanant. Quæ verò his qui ſenſus habent iam exercitatos obueniunt, potiùs à dæmonum inuidia, quàm à propriæ carnis corruptione deriuantur. Prætereà, Incipientibus à rebelli carnis motu inopinatè ante vllam animæ operationem ſimiles pullulant tentationes: Perfectis verò, vel aliqualiter purgatis, priùs in imaginatione turpes cogitationes repræſentantur quàm carnis motus inſurgant; imò aliquando ipſa ſilente, tentatio imaginationem totumque hominem exagitat.

## *Tentationes ſpirituales in via Illuminatiua contingentes exponuntur.*

§. 2.

In primis homo ſic deſolatus aliis etiam tentationibus durioribus interdum premitur: nam ſub hac paupertate conſtitutus, iam caſum vereri incipit, & quod deterius eſt, incredibili pulſatur diffidentia, aliiſque ſimilibus tentationibus à dæmone impugnatur.

Hanc quidem ferè intolerabilem purgationem Taulerus Serm. 1. de Communi Martyrum, pulchrè deſcripſit, eamque meritò ſpirituali martyrio com-

comparat, dicens: Altera via ad Deum perueniendi, eſt reſignationis, crucis, & afflictionis. Hîc (vt præfati ſumus) omni homo ſpiritali ſolatio priuatur. Hinc porrò ſpiritalis naſcitur iſtorum Martyrum fortitudo; eſtque hæc via ariditatis & ſiccitatis deuotionis. Quamuis autem ſpiritales Martyres iſti diuerſis abundent afflictionibus, amant nihilominùs Deum ſuum, nec minori veras virtutes ſtudio & intentione quàm præcedentes proſequuntur. Habent autem curas & anguſtias multas in hac vita, adeò vt ſæpè ignorent, quò ſe præ huiuſcemodi mœroribus vertere debeant, & nudæ duntaxat fidei, ſpei, charitati in obſcura quadam caligine innituntur. Ceterùm, peccato cõſentire penitùs nolunt, quælibet iam ipſis eueniant: ſemper namque in pectore ſuo cor contritum & humile gerunt, multúmque ex aliorum hominum gratia torquentur, non quò hanc illis inuideant, ſed quòd vitio fieri credant quòd ipſi eamdem gratiam non habent, nec ſatis ſe pro illa obtinenda exercitarunt. Cumque maius adhuc ſtudium & conatum adhibent, multò adhuc intus aridiores, & lapide duriores efficiuntur, ita vt nonnumquam vix ferant patienter, & magis magiſque animo deiiciantur excrucienturque: hinc iam metuere incipiunt, inuidere ſe aliis gratiam ipſorum, atque ita dolorem ſuper dolorem accipiunt.

His verò ſeu ſimilibus adeò plerumque fatigantur, vt quid agendum ſibi ſit, penitùs animo dubij ſint: nollent equidem Deo in virtutibus eſſe ingrati, nec tamen eas queunt apprehendere. Videtur autem illis non poſſe ſe non offendere Deum, vel per impatientiam, vel per deſperationem, vel animi grauitatem ſeu mœrorem. Id verò dolent ex animo, cùm odio habeant omnem iniquitatem, quandoqui-

quidem ſolum Deo peccatum diſplicet, quod ipſi non ignorant, cùm Deum offendere nolunt. Tandem, licet non abſque graui labore & difficultate, totos ſe reſignant, & omnia ſufferunt patienter, donec Deo placeat mutare; vident enim ſe nihil poſſe ampliùs. Sic itaque docet eos Deus reſignationem ſui ſubiectionemque, vt videlicet ita ſe Deo relinquant, exeantque in omnibus; iamque illis prioribus gratia affluentibus fiunt ſimiles, & quodam modo longè nobiliores excellentioreſque, cùm hic gradus multò ſit Chriſto conformior, cuius omnis vita paſſionibus abundauit.

Iſti ſunt Martyres ſpiritales, qui pro ipſorum iudicio omnium pauperrimi, ſed coram Deo locupletiſſimi; ſunt etiam, vt ipſis videtur, omnium à Deo remotiſſimi, ſed reuerà proximi ſunt: ſic & omnium ſe credunt coram Deo abiectiſſimos eſſe, cùm ſint electiſſimi; omnium denique ſe Deo infideliſſimos ſentiunt, cùm tamen fideliſſimi ac ſtrenuiſſimi ſint ad illius promouendum honorem, contemptumque præpediendum, ob quæ & patiuntur hæc omnia.

Variis quoque tentationibus ob hanc ſpiritus paupertatem ſe ſentiunt impugnari, quæ licet ipſa quoque morte grauioribus ipſos doloribus excrucient, maximè quando pro ipſorum iudicio nonnihil ab his ſuperantur, omnino tamen conſenſum præbere recuſant. Vellent etiam & percuperēt ex animo, vitia ſua extirpare ac vincere, & exercere virtutes, ſed non poſſunt: quod ipſum, & huic ſimilia, tantos interdum dolores, curas, anguſtias intus eis parit, vt ſibi infernales pœnas pati videantur. Id verò ex ingenti cordis ipſorum erga Deum amore & fidelitate eis accidit, tametſi id ipſi de ſe ignorent. Vnde omnium quos mundus habet, ſe ſceleratiſſimos

moſ reputant, cùm tamen coram Deo puriſſimi ſint: offendunt autem ſæpiùs Deum quòd tantum in his internis preſſuris & afflictionibus doleant, & nonnumquam vindicat hoc in eis, vt ipſos quandoque in impatientiam pluresque defectus, puro contrarios amori, labi permittat, quos vtique haudquaquam inciderent vmquam, ſi in his verè eſſent reſignati; ſtuderent namque in his plena ſemper pace gaudere; idque ſi facerent, mirum in modum ſupra cunctos in his proficerent homines, quo ſe profectu ſua mœſtitia inordinata & immodica animi grauitate priuant. Naſcitur autem hîc in eis mœſtitia & dolor, quòd necdum veros illos fructus, qui hinc proueniunt, aut certè ex ſui ipſorum irreſignatione, quòd ad patiendum minimè ſint reſignati, vel quòd nimiùm eis moleſtum atque diuturnum videatur, ad finem vſque iſtas preſſuras & afflictiones tolerare: ſed certum habeant, niſi ad finem vſque pertulerint, ſe ipſas prolongare multoque ampliùs exaggerare ſeu aggrauare, vero quoque fructu illo priuare ſemetipſos, qui hinc propediem exoriretur, ſi tantùm innocenter animoque voluntario ſe reſignare poſſent; quod quò facerent ſimpliciùs, tantò nobiliùs fructum illum mererentur, longeque excellentiùs illuſtrarentur.

Enimuerò, poſt hanc noctem obſcuram & tenebroſam lux profectò clariſſima ſuccedit (ſi tantùm rectè ſe gerat homo) quæ vniuerſum illius fundum intus æterna veritate illuſtrabit: atque hinc non foris in oculis hominum, ſed intus coram Deo certus efficietur, ad ſummum illum atque puriſſimum ſe poſſe amorem pertingere; vbi ſeipſum perdit homo, & abnegat ac relinquit propter Deum cum omnibus quæ ſua ſunt, ſimulque vnus cum Deo fit

amor,

amor, quem nullus in ipſo deſtruere, nullus vmquam poterit violare, quandoquidem Deus in illo cum omnibus electis ſuis quieſcit,& omne hîc velle & nolle prorſus amittitur.

Idem Taulerus Serm. 1. de S. Auguſtino progreſſum huius purgationis, & remedium ne animus illi ſuccumbat, deſcribit his verbis: Cumque omnem, quæ hîc occurrit, moleſtiam & pœnam ad extremum vſque homo pertulit atque ſuperauit, tum Dominus, quem expectauit, in repentino fulgore quodam adueniens, in eodem fulgore rapit eum, euehitque ſuper omnia, & ibi pro diutina recreat eum expectatione ſua: ſed paulò pòſt idem Dominus, ne ex eis quæ hîc ſentit extollatur, rurſus proſternit ac deiicit & deprimit eum. Et hoc eſt quod Ieremias ait: *A facie manus tuæ ſolus ſedebam, quoniam comminatione repleuiſti me.* Quid eſt hoc, chariſſimi? Aduertite. Vbi quis ad hanc intimam pertingit quietem, & intra ſeipſum in fundũ ſuum peruenit, comminatione & terrore replet eum Dominus, tamquam ſi vtroque illi pugno minetur. Et alter quidem pugnus eſt, caligo & tenebræ, & profundum ac deſolatum iter, quæ illi intus occurrunt, ita vt nihil ſciat, nihil habeat; & inſuper adhuc omne malum, vehementiſſimæ quoque tentationes ſuperbiæ, luxuriæ, perfidiæ ſeu infidelitatis, & aliæ plurimæ ac diuerſæ impugnationes, quæ omnia ſe iampridem euaſiſſe & ſuperaſſe credebat, rurſus in eum irruunt, & fortiter oppugnant. Et hinc comminatione ſimul & terrore repletur. Alter pugnus eſt, horrenda iudicia Dei, quæ illi Deus intus proponit: quibus conſideratis, non habet iam quò ſe collocandum cenſeat, præterquam in profundiſſimo inferni. Hi pugni hominem mirabiliter premunt: nec



Digitized by Google

aliud cunctis his comminationibus quærit Deus, niſi vt peſtiferum ſuperbiæ fundum euertat deſtruatque. Hos pugnos qui rectè contemplantur, magis in eis omnem extinguũt voluptatem & delectationem, quàm cuncta queant externa exercitia, quæ multis annis peragi poſſent. Sic porrò homine cum Propheta ex toto ad ſolitudinem introuerſo, & ibidem manente, omnique in ipſo cogitationum, formarum, & imaginum ſedato impetu ac tumultu, Deus & ſanctus Angelus repentè velut in ictu oculi, amorem illi operantem inſpirant, mouentque illum ad orandum pro certa aliqua, quam ſuggerunt, cauſa, ſiue pro Eccleſia, ſiue pro viuis, ſiue pro defunctis. Hæc autem inſtar fulguris ei in mentem veniunt, facitque tunc Deus, tamquam illi oraturo confeſtim diceret: Non eſt opus vt aliquid mihi dicas, ſcio quid velis, quid deſideres. Et ſic eius deſiderio ſatisfacit. Hæc eſt oratio, dilectiſſimi, quæ in ſpiritu funditur, qua veri adoratores vtuntur. Interim & diabolus huc aduolat, diligenter explorans ſi quid fortè ſuum hîc reperire poſſit. Itaque pulſat eum, & quaſdam moleſtas ei ingerit cogitationes, eaſque illi proponit. Sed has ille contemnat ac floccipendat, & prçterfluere ſinat. Cùm enim nec amore nec intentione eas proſecutus ſit, confuſus & inanis diabolus abſcedere cogitur. Tales verò vexationes ſeu impugnationes mirabiliter hominem præparant. Et inferiùs idem Auctor proſequitur dicens: Ceterùm in quibuſdam regionibus homines inueniuntur, falſo cuidam otio vacantes, & ab omni tam intus quàm foris operatione abſtinentes, bonas etiam à ſe excludentes cogitationes. Aiunt enim ſe pacem adeptos, nec exercere ſe volunt in actibus virtutum, dicentes ſe virtutes tranſcendiſſe. Iſti diabolum

Digitized by Google

bolum quemdam ſibi aſſidentem habent, prohibentemque & repellentem ab eis omnes tam cogitationes, quàm modos ſeu inſtituta, quæ pacem ipſorum infringere poſſent, vt eos in hac falſa pace detineat, & poſteà ſecum ad æternam abducat perturbationem, ad ipſum videlicet infernum ſuum. Non hunc modum iuſti ſectantur, quin potiùs intus & foris ſeſe exercent, ſeruantque patientiam in viis omnibus, per quas eos Dominus ducit, in tentationibus, in tenebris; nec ſibi arrogare audent ſe ad pacem pertigiſſe. Nec tamen in perturbatione viuunt, ſed arctam quamdam ſemitam gradiuntur, mediam inter pacem & perturbationem, ſpem & metum inordinatum, certitudinem & dubitationem. Et licet interdum vera illis pax & certitudo ſeu ſpiritus libertas intus refulgeat, mox tamen abſque inhæſione in ipſum eas reiiciunt fundum.

Hæc arcta ingreſſuris itinera ante omnia vidẽdum eſt atque curandũ, vt in veſtigiis Domini Saluatoris fixi & fortiter perſiſtant: in quibus quantò fortiùs ac firmiùs ſteterint, tantò puriores efficientur. Hîc pugni minaces remittuntur, & in benigniſſimas atque gratiſſimas manus commutantur. Deniq; hos Deus tenerrimè ſuis hîc paternis adſtringit brachiis, & vltra omnia longè ſubuehit: tum verò cuncta eis creata excidunt, & tædet eos omnium quæ non ſunt purè Deus. Iamque Dominus difficiles & obſcuras eis vias & anguſtas ſemitas oſtẽdit, per quas tranſierunt. Dehinc nullus eis nocere poteſt: ſimulque ab omni recreantur hîc miſeria & derelictione, quam priùs experti ſunt. Hæc certè, dilectiſſimi, prorſus incognita & remotiſſima ſunt liberis illis ſpiritibus, qui de falſa libertate gloriantur; & illis ſimiliter, qui falſo vacant otio, & falſam ſibi arrogant pacem:

necnon & illis denique, qui ſuis propriis inſtitutis plus æquo inhærent, eiſque fortè quadraginta vel ampliùs annis vixere contenti, & magna interim extrinſecus fecere opera, interiorum paſſionum & vitiorum ſordibus contaminata.

## CAPVT XI.

### *Quid homini vndequaque deſolato agendum.*

SVPERIORI libro plura illius duriſſimæ purgationis ægritudine laborantibus remedia tradidimus, quæ non incommodè huic etiam Illuminatiuæ viæ purgationi poſſunt applicari; interim tamen breuiter hanc admonitionem ex Rusbrochio trademus, qui lib. 2. Spiritualium nuptiarum, cap. 30. ita ſcribit: Quiſquis hanc patitur deſolationem & penuriam, libenter bonos inquirat homines, eiſque ſuam aperiat & queratur miſeriam, eorum, & bonorum omnium, & totius Eccleſiæ preces imploret. Attendat interim humili corde, nihil ſe præter vitia & defectus habere ex ſeipſo, & cum patientia & ſui reſignatione dicat verba illa S. Iob: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.* Deſerat & reſignet ſeipſum in omnibus, & dicat ex animi ſententia: Domine, æquè paratus ſum eorum omnium, quibus deſpoliatum me ſentio, inopiam & paupertatem perpeti, quatenus tibi placet, & ad tuum honorem & animæ meæ cedit ſalutem & vtilitatem, quàm illis abundare. Non mea, Domine, voluntas naturalis, ſed tua & mea rationalis vel ſpiritualis fiat. Omnino enim totus ſum tuus, & ſi poteſt ad tuam eſſe laudem, tam libenter mergi velim in infernum, quàm recipi in cælum. Fac mecum, Domine, ſecundùm excel-

excellentiſſimæ maieſtatis tuæ voluntatem. Hoc pacto ex omni ſua afflictione, perpeſſione & deſolatione internum ſibi eliciat & efficiat gaudium, totumque ſe Dei manibus offerens, ſe pro illius honore quidpiam pati poſſe lætetur. Reuerà, ſi in hac parte rectè ſe geſſerit, & ex animo ita facere valebit, numquam poterit tam ingens gaudium internum experiri. Nihil enim Deum feruenter amanti iucundius eſt, quàm vt ſentiat ſe dilecti ſui proprium eſſe. Sin verò per virtutum iter ad hunc vſque gradum aſcendit, etiamſi modos omnes prædictos non ſit expertus, nihil refert: nec enim id neceſſe eſt, modò ipſo virtutum fundo præditum ſe ſentiat, quod eſt in agendo humilis obedientia, & in tolerando patiens reſignatio; in quibus duobus, modus iſte vel gradus perpetua ſecuritate conſiſtit. Circa hæc anni tempora Sol Libram ingreditur, & dies ac noctes æqualibus ſpatiis clauduntur, Solque ipſam lucem tenebris exæquat. Ita & Chriſtus in homine ſic deſolato libræ æquilibrium obtinet; ſiue enim dulcibus eum afficiat, ſiue amaris; ſiue lucem infundat, vel opprimat tenebris; ſiue aliud ei quidpiam imponat, ſemper libræ ſeruat æqualitatem, & omnia æqualiter accipit, ſemper tamen peccato excepto, quod penitùs oportet eſſe profligatum. Porrò cùm ita omni eſt conſolatione deſtitutus, & pro ſuo iudicio virtutum omnium expers, & tam à Deo quàm creaturis omnibus derelictus, ſi benè colligere & coaceruare norit frumentum & vinum, generis omnis fruges ſuam iam adeptę ſunt maturitatem. Quo ſignificatur, quidquid corpus quouis modo perpeti poteſt, id totum Domino Deo ſine ſuperioris voluntatis detrectatione vel contradictione libenter ac vltrò offerendum eſſe. Itemque

virtutes omnes externas & internas, quæ dum amoris duraret æſtus & ardor, delectabiliter exercebantur, eas iam, quatenus cognoſci poſſunt & vires ſuppetunt, cum labore & bona voluntate ſeu bono corde colendas & exercitandas, ſicque Deo offerendas eſſe: neque ambigendum, quin numquam maioris apud Deum pretij, aut dignitatis, aut excellentiæ fuerint. Ad hæc, conſolatione omni vmquam à Deo præſtita, quatenus eidem honorificum eſſe poſſit, libenter carendum eſt. Ita inquam frumenti, & omnigenum frugum maturarum, vnde perenniter viuemus & locupletes erimus coram Deo, comparatio & aggregatio eſt: & hoc pacto virtutes perficiuntur, & deſperatio in vinum ſempiternum commutatur. Ex huius generis hominum vita & patientia inſtituuntur & prouocantur ad meliora quotquot eos norunt, & apud ipſos commorantur, & ita virtutum eorum frumentum diſſeminatum in bonorum omnium vſum mirificè multiplicatur. (Et infrà:) Quia hoc gradu homo à Deo, à ſeipſo, à dæmone & creaturis omnibus fortiter probatur & viſitatur, tentatur & impugnatur, ipſa reſignationis virtus pro magna ac ſingulari perfectione illi rectè tribui poteſt.

## CAPVT XII.

## *Quo gradu virtutes exerceantur in via Illuminatiua.*

ILLVD quod principaliter inter alia Spiritus ſanctus per hanc purgationem intendit, eſt, inſerere mentibus noſtris veras & ſolidas virtutes humilitatis, patientiæ, obedientiæ, maximè tamen Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem: hæc ſunt enim pretio-

tioſiſſima monilia & inæſtimabiles margaritæ, quibus animam, quam ſibi in ſponſam elegit, adornare ſolet. Et quia illi per multas tribulationes tranſeundum eſt, vult illam quoque perfectas ac heroicas virtutes habere: & ad hunc finem, mediante Intellectus dono, illam diuinitus corroborat, atque in veris ſolidiſque virtutibus ſtabilit, vt ſic munita fortiter aduerſus omnes tempeſtatum afflictionúmque procellas, quinimò contra ipſas ſæuientis inferni vires ſtabilis & inconcuſſa perſiſtat. Duo ſunt autem doni Fortitudinis effectus, à quibus anima in hoc ſtatu mirúm in modum adiuuatur.

Primus eſt quædam fortitudo, quę Simplex dicitur, hominem adeò potentem ac validum efficiens, vt omnia hæc inferiora deuincere poſſit: quæ præſertim ad tria donatur. Primò, ad perficiendas operationes viriles, quibus ſuperentur peccata omneſque tentationes, & omnia hęc inferiora contemnantur, ornamentaque virtutum conſeruentur. Secundò, ad fortiter pugnandum contra tentationes diaboli, carnis, & mundi. Tertiò, ad ſufferendum omnem tribulationem, afflictionem & aduerſitatem per veram patientiam, de qua dicit Caſſiodorus ſuper Pſalterium: *Patientia vincit aduerſa, non colluctando, ſed ſufferendo; non murmurando, ſed gratias agendo: ipſa eſt quæ faces totius voluptatis abſtergit; ipſa eſt, quæ animas Deo limpidas reddit: & tunc totus homo exteriùs & interiùs perfunditur ſapore quodam mirabili, quia ſicut Dauid dicit, cum ipſo ſum in tribulatione:* Pſal. 90. Homo tunc eſt in præſentia ſanctiſſimæ Trinitatis, à qua recipit ingentem ſaporem internæ ſuauitatis & cõſolationis, cuius tractus dulcedine, contemnit omne quod mundi eſt, liber ab omni inordinatione affectionum vel occupatio-

num, & præ ebrietate ſpiritali non ſentit vllam pœnam, tribulationem, aut aduerſitatem.

Alia nuncupatur Fortitudo duplex, quæ facit hominem ſuperando tranſcendere omnem ſpiritalem conſolationem, ſenſibilem gratiam, & omnia dona Dei, quantumlibet magna, nobilia, & multiplicia, ita quòd nullo modo quieſcere conſentit in aliqua ſpiritali conſolatione, dulcedine, reuelatione, aut in quocumque dono alio, ſed omnia nititur pertranſire, vt eum (quem ſolum ſuper omnia diligit) ad votum valeat inuenire. Hic fortitudinis gradus hominem mirabili modo in virtutum heroicarum exercitio ſtabilit ac roborat.

Has duas operationes per hanc purgationem in anima Deus operatur. In primis enim magnas illi vires communicat, vt iam non quærat internos guſtus, aut diuinas conſolationes appetat, ſiue extraordinarias illuſtrationes aut viſiones, ſed in ſola Dei voluntate conquieſcens, expurgato iam affectu, ſe totam ab omni eo quod non eſt Deus viriliter auertit. Ex quo mirum eſt quantum in illa robur remaneat ad intrepidè reſiſtendum omnibus vitiis, & tentationibus, quantumlibet magnis, quæ contra illam inſurgere poſſent, paulatimque virtutum exercitiis aſſuefacta, in illis latentem incipit prælibare dulcedinem, idque mediante Sapientiæ dono, quod miram in eiuſmodi exercitiis ingerit diuini cuiuſdam ſaporis conſolationem, quam nullus niſi expertus, vt par eſt, explicare ſufficit, de quo fuſior in via Vnitiua redibit ſermo. Cùm enim in nullo ſtatu virtutes ſint magis perfectæ, & quodammodò animæ connaturales, ita vt tranſeant in affectum cordis, fit quoque vt maior ſit in illarum exercitatione voluptas.

Qua

Digitized by Google

Qua verò ratione anima in hoc ſtatu per virtutum exercitia in omnibus ſuis potentiis interioribus renouetur, docuit D. Bonauentura Tom. 2. Tract. de Reformat. ment. 1. par. cap. 12. & ſeq. renouatio enim interioris, vt ibi docet, gradatim fit in omnibus animæ potentiis, *Nam in intellectu* ( vt ille inquit) *tres gradus; primus, Credere ſimpliciter, vt ruſtici: ſecundus, Penetrare intellecta: tertius, Quaſi videre quæ creduntur. Primus pertinet ad habitum fidei; ſecundus, ad donum intellectus; tertius, ad gratiam gratis datam fidei, & ad beatitudinem quintam; nempe, Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt. In voluntate ſunt etiam tres gradus. Primus eſt, Reſiſtere vitiis, qui eſt ſtatus continentium: ſecundus eſt, Paſſionibus imperare, & pace frui: tertius, Deo adhærere & vniri, quando iam virtutes tranſeunt in affectum cordis. In memoria primus gradus eſt, Animam cum labore ab euagationibus reprimere: ſecundus eſt, Meditationibus ſine pugna imaginationis inſiſtere: tertius, Immobiliter in Deo ſtabiliri.* Hæc S. Bonauentura.

Ex his tribus gradibus harum potentiarum, qui ad earum reformationem & perfectionẽ ſpectant, ſecundus tam intellectus & memoriæ, quàm voluntatis, in via Illuminatiua, cuius eſt proprium liberè paſſionibus imperare, & pace ſtabili frui, vt infrà ſequenti cap. dicemus, exercetur. Varius eſt enim virtutum gradus, vt præcipui Philoſophi Plotinum ſecuti tradiderunt, ex quibus eoſdem gradus hauſerunt confirmaruntque Theologi, nempe Politicarum, Purgatoriarum, Purgatique animi: de quibus egregiè D. Thomas 1. 2. q. 61. art. 5. Quos quidem conuenientiùs poſſemus diuidere in duo virtutum genera; nempe communium, quales ſunt morales, quarum præcipuum munus eſt circa paſſiones verſari:

ſari: vnde Plotinus dixit, (teſte diuo Thoma vt ſuprà) *quòd paſsiones Politicæ virtutes molliunt, id eſt, ad medium reducunt; Purgatoriæ autem eas veluti auferunt; Purgati verò animi ignorāt ferè & obliuiſcuntur. Hæ autem tam Purgatoriæ quàm Purgati animi virtutes diuinæ nuncupantur: inter ſe autem diſtinguuntur ſecundùm diuerſitatem motus & termini, ita ſcilicet, quòd quædam ſunt tranſeuntium, & in diuinam ſimilitudinem tendentium, & hæ vocantur virtutes Purgatoriæ, ita ſcilicet, quòd Prudentia omnia mundana diuinorum contemplatione deſpiciat, omnemq; animæ cogitationem in ſola diuina dirigat; Temperantia verò relinquat, in quantum natura patitur, quæ corporis vſus requirit; Fortitudinis autem eſt, vt anima non terreatur per exceſſum à corpore, & acceſſum ad ſuperna; Iuſtitiæ verò eſt, vt tota anima conſentiat ad huius propoſiti viam. Quædam verò ſunt virtutes iam aſſequentium diuinam ſimilitudinem, quæ vocantur virtutes iam Purgati animi, ita ſcilicet, quòd Prudentia ſola diuina intueatur, Temperantia terrenas cupiditates neſciat, Fortitudo paſsiones ignoret, Iuſtitia cum diuina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilicet imitando. Quas quidem virtutes dicimus eſſe Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſsimorum.*

Meritò igitur Purgatoriæ virtutes in hac via Illuminatiua proficientibus conueniunt, quæ diuinæ meritò nuncupantur, vtpote tranſeuntium ſiue tendentium in diuinam ſimilitudinem: hi enim celeri paſſu ad diuinam tendunt vnionem, ad quam proximæ diſpoſitiones Purgatoriæ virtutes, vtpote eorum, qui à ſeipſis deficientes, in diuinam ſimilitudinem transformari incipiunt.

Quare in hoc ſtatu anima feliciter à Spiritu ſancto

ćto ſuperna vi adiuta, non ſolùm diuinis his virtutibus ornata, ſed etiam per nobiliſſima illius dona (nempe Fortitudinis, Intellectus, & Sapientiæ) cælitus illuſtrata, in præſtantiſſimarum Chriſti virtutum contemplationem aſſurgat, illarumq́ue exemplar cordi ſuo imprimat, vnde prælibata mirabili, quæ ab illis promanat, ſuauitatis affluentia, ſuccedunt feruentiſſima deſideria tam præclaras Chriſti Domini virtutes imitandi, ſeque totam in omnibus ſuis actionibus in illum transformandi.

## CAPVT XIII.

### *Documenta aliqua, ſiue cautelæ ſeruandæ in via Illuminatiua ſupernaturali.*

COMMVNIS humani generis hoſtis videns huiuſmodi animas ad tam ſublimem honoris gradum euectas, & ita proximè diſpoſitas, vt æterno Regi tamquam ſponſæ ſponſo arctiſſimo mutuo vnionis fœdere copulentur, omni ſtudio conatur eas ab incœptæ perfectionis ſemita diuertere, vt ſcilicet à communi & Sanctorum, qui præ aliis in Eccleſia floruerunt, maximè veſtigiis trito tramite aberrare faciat. Et ad hunc finem errores quorumdam minùs ſapientum, qui tamen ſpirituales videri volunt, ſuggerit, quorum perſuaſionibus nimiùm credulæ rudiores animæ ſeipſas mirabiliter perdunt, & in interitum præcipites ruunt.

Quapropter hoc loco neceſſarium mihi omnino viſum eſt agere de nonnullis quorumdam erroribus, qui ſub falſa ſpiritualis doctrinæ ſpecie, à peruerſis hominibus, tam olim quàm hac ætate (licet non tam apertè quàm olim) diſperſi paſſim circumferuntur, quos breuiter ex Rusbrochio lib. 2. de Ornat.

Ornat. ſpiritual. nupt. à cap. 76. vſque in finem libri collegimus. Quidam fuerunt, neque deſunt hoc noſtro periculoſo æuo, homines, toto errantes cælo, qui cùm neque actiuam neque contemplatiuam adepti ſint vitam, nihilominùs ſe totius orbis ſanctiſſimos arbitrantur; exiſtimantes ſe altiſſimæ quietis (de qua ſuperiùs diximus) contemplationi vacare interiùs, quodam diabolico otio & rerum omnium denudato ſedulò ſtudent, ibique otium, quietem, & imaginibus vacuam inueniunt ac experiuntur nuditatem. In hoc cæco & obſcuro otio putant ſe vnum eſſe cum Deo, & hanc propriam ſuam credunt beatitudinem, cùm lux diuina in eorum tenebris & caligine (id eſt, in iſto otio) minimè ſe manifeſtet: deeſt enim eis vera fides, ſpes, & charitas, atque ob nudum illud quod ſentiunt & poſſident otium, cognitionis & amoris Dei expertes, atque à virtutibus longè ſe diſtare confirmant; & vt hoc otium conſeruare queant, ſupremam ſanctitatem in eo conſtituunt, vt qui eo præditi ſunt, modis omnibus ſuæ naturæ obſequantur affectibus, nec vllum ſibi frænũ iniiciant, vt perpenſo ſpiritu poſſint intus in otio degere, & ad quemlibet motum foràs ſe recipere, & corporis explere appetitus & voluptates, carniique ſatisfacere, vt ſic celeriter ab ea abſoluantur imagine, ac ſine impedimento rurſus in nudum ſui ſpiritus otium reuertantur: & eam ob rem abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo & accuſatione viuere nituntur. Quidquid etiam mali perpetrent, negligunt, & Sacramenta omnia flocci pendunt; putant enim ſe his nihil habere opus, vt qui omnia iſta tranſcenderint: imperfectis namque ea dicunt eſſe neceſſaria.

Ex hoc errore impiiſſimo, tamquam ex radice & fonte

ſonte copioſo, quamplures alij pullularunt. Primus eſt, quòd ob eam quam experiuntur, & in ſeipſis poſſident otioſi quietem, liberos ſe eſſe putant ab omni diuinæ Legis obſeruatione & mandato, vtpote ſubleuati ſupra omnem Eccleſiæ cultum & exercitium, vltra præcepta Dei & conſilia, ſupra Legem & actus omnes virtutum, qui vno poſſint exerceri modo: ſiquidem perſuaſum ſibi habent, otium hoc tantæ eſſe præſtantiæ, vt nullis, quamuis præclaris exercitiis, perturbandum ſit, eò quòd cunctas excellat virtutes. Quare omnia Dei ac Chriſti opera, totamque Scripturam negligunt, ac ſi nullum iota pro ipſis ſcriptum eſſet; exiſtimant enim id ſe conſecutos, cuius cauſa Scriptura omnis confecta eſt. Nihilominùs quandoque aliquibus virtutum exercitiis, aliis ſe operam dare manifeſtant, & ad venerabile Sacramentum accedunt, atq; nonnumquam de ſacris loquuntur Scripturis, ſcilicet vt hac ratione meliùs occultare ſe & ſimulare queant. Libentiùs etiam raris quibuſdam & minùs vſitatis Scripturæ vocibus vtuntur, quam ad ſuum ſenſum interpretantur & intorquent, quò aliis ſimplicibus placere poſſint, eoſque in fallax illud quo perfruuntur otium pertrahere. Docere namque volunt alios, ſed ipſi à nemine doceri; alios libenter reprehendunt, ſed ſe nullo modo à quoquam reprehendi patiuntur; alios premunt, illos nemo; quidquid placet profundũt ac aſſeuerant, nec tamen ſibi à quoquam ferunt contradici; & cùm propriæ voluntati ſint deditiſſimi, nec cuiuſpiam iudicio ſe ſubmittant, hoc ipſum libertatem ſpiritualem autumant, re autem ipſa libertatem carnis ſectantur, indulgent corpori quidquid libet, & tamen id naturæ dignitatem & præſtantiam credunt.

In

Digitized by Google

In alium etiam incidunt errorem, quòd merè ſe tradant (vt ita dicam) paſſioni: nihil enim exiſtimant à ſe actiuè agendum, ſed tantùm paſſiuè à Deo moti, perinde vt inſtrumentum aliquod in ſeipſo otioſum, quod artificem, dum operare velit, præſtoletur: quippe putant, ſi quid moliantur operis, Dei operationem præpedire; manent igitur ab omni virtutis actione alieni. Quare Deum patientes dici ſe volunt, & velut inſtrumentum quo Deus, quidquid & quomodocumque velit, agat. Affirmant abſque vlla actione tantummodò poſſe ſe pati, eaque opera quæ Deus ipſis tamquam ſuis organis perficiat, præclariora ac meriti maioris eſſe, quàm cuiuſlibet alterius, quæ ipſemet in Dei gratia peregerit. Aiunt ergo, ſe Deum pati ac ſuſtinere, nihil ſeipſos agere, ſed actus ſuos omnes Deum operari. Deinde, quemadmodum alij, ſic etiam ipſi nullum ſe peccatum committere poſſe aſſeuerant, eò quòd Deus in ipſis agat omnia, ipſi verò planè otioſi ſint: & quidquid Deus velit, id per ipſos fieri, nihil præterea. Homines iſti, omni intus actione poſtpoſita, otio ſeſe dedunt, & omnis electionis vel optionis viuunt expertes; ſimplicem ac reſignatum præſeferunt viuendi modum, & moderatè ac æquabiliter ferre norunt quidquid eis accidat; putant enim Dei ſe inſtrumenta eſſe, quibus is pro ſuo arbitrio vtatur: & multis modis ac actionibus bonorum hominum mores referunt & æmulantur; in quibuſdam tamen eis contrariantur. Ad quæcumque enim interiùs incitantur, ſiue ea virtuti ſint conſona, ſiue non, ea putant à ſancto Spiritu proficiſci. Sed in hoc aliiſque id genus toto cælo aberrant: certum quippe eſt, Spiritum ſanctum neque velle, neque conſulere, neque operari in quouis homine quidquam à

Chri-

Digitized by Google

Chriſti & ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis alienum. Difficile tamen eſt, vt verum fatear, tales agnoſci; niſi ab illuminato homine, & ſpirituum ac diuinæ veritatis diſcretione pollente. Quidam enim ex eis acuti & ſubtiles admodum ſunt, & ea, quibus virtuti aduerſantur, probè fucare & velamina quædam eis prætexere nouerunt, propriæque voluntati dediti ſunt, adeoque pertinaciter ſeipſos poſſident, vt priùs mortem oppetére velint, quàm ab vnico ſemel concepto articulo diſcedant: omnium enim, quos præſens habeat vita ſanctiſſimos, maximeque illuminatos ſeſe autumant; idque adeò, vt nec laudes nec gratias agere Deo neque agnoſcere, neque velle, neque appetere, neque precari velint: arbitrantur enim ſe iam id omne obtinuiſſe, quod vel petere vel optare queant; atque ita pauperes ſpiritu ſe iam exiſtimant, vtpote qui voluntatis expertes ſint, & omnibus valefecerint, atque abſque delectatione vlla vel optione viuant; putant (inquam) planè ſe expeditos eſſe, & omnia tranſcendiſſe, & ea quorum cauſa omnis Eccleſiæ cultus inſtitutus eſt iam obtinuiſſe, atque, vt ipſi aiunt, nemo prorſus, imò ne quidem ipſe Deus quidquam ijs vel conferre vel auferre poſſit. Etenim pro ſuo arbitrio exercitia, cultum, & virtutes omnes tranſcenderunt, & ad merum quoddam otium pertigerunt, vbi à cunctis virtutibus ſint abſoluti. Et huc quidem, puta vt ita quiſpiam in otio à virtutibus abſoluatur, maiorem aiunt requiri operam ac ſtudium, quàm ad ipſas virtutes obtinendas. Quare libertatem appetentes, nulli parere volunt, neque Pontifici, neque Epiſcopis, neque Paſtoribus aut Prælatis: & quamuis extrinſecus fictam ac ſimulatam ferant obedientiam, nulli tamen intus ſubiici volunt. Quidquid



Digitized by Google

enim ſanctum agit Eccleſia vel obſeruat, ab eo ſe ſolos immunes ac exemptos volunt.

Alter quoque error ex priori dimanat: exiſtimant enim eiuſmodi homines, donec quiſpiam virtutibus acquirendis dat operam, & in omnibus exequi diuinam ſtudet voluntatem, eum necdum perfectum eſſe, eò quòd in comparandis virtutibus occupatus ſit; & ob eam cauſam non poſſit iſto ipſorum otio frui. Alium etiam incurrunt errorem: quia ſupra omnes & Angelorum & Sanctorum choros altiores ſe putant eſſe, ideoque nihil vltrà mereri, nullum vmquam ampliùs in virtutibus progreſſum facere, ſed neq; peccatum deinceps vllum admittere poſſe, quippe qui voluntatis expertes ſint, & ſpiritum ſuum Deo tradiderint in quiete & otio, adeoque vnum cum Deo effecti ſint, vt in ſeipſis penitùs in nihilum redierint. Hinc iam quidquid corpori libet, etiam planè licere ſibi affirmant; vtpote qui ad ſtatum innocentiæ reducti, nullam ſibi habeant poſitam ac præſcriptam legem.

Plura poſſent contra hos errores argumenta opponi, niſi latiùs alibi in peculiari Libro de his & aliis Myſticorum erroribus eſſemus dicturi; monitos interim eſſe volo omnes, otium quod iſti colunt, non niſi meram quamdam impoſturam cenſeri debere. Hoc enim velamine improbitatem atque peruerſitatem omnem non ſolùm fucare, ſed etiam cunctis virtutibus longè anteferre, & in ſublimiori loco ſtatuere moliuntur; atque, quod omnium deterius eſt, id ſubtilitate quadam prætexere ſtudent ac palliare, vt optimum videatur. Dubium igitur non eſt, homines huiuſmodi falſarios ac deceptores eſſe: ſiquidem vitam viuunt Deo contrariam, Scripturæque, iuſtitiæ, ac Sanctis omnibus repugnantem: neque enim

enim otioſus eſſe poteſt amor, aut Deo ſine virtutum exercitiis, & exacta præceptorum, ſacræ Scripturæ & Eccleſiæ obſeruatione, placere quiſquam poteſt: quare ſufficiat pro nunc huiuſmodi errores detexiſſe, à quibus ſummopere cauere debent, qui viæ Illuminatiuæ ſupernaturali vacant: nam niſi aduertant ſtudioſè, in hos & ſimiles, maximè ſi ſuperbia aliqua ducantur, facilè impingent.

Verùm, ne quis in hac Via à falſa libertate, à lumine naturæ, aut ab aliis pſeudoprophetis ſeducatur, præcipuè hæc tria exercitia præ oculis habere curabit. Primùm, Quòd multùm ſeriò veram omnium peccatorum cognitionem cum debita contritione ac integra omnium peccatorum confeſſione à Deo poſtulabit; & in hac voluntate ſine ceſſatione perſiſtet, quòd videlicet libenter iuxta Catholicæ Eccleſiæ conſtitutionem ſatisfacere pro peccatis ſuis, omnemque peccandi occaſionem pro viribus euitare velit: in hac inquam voluntate & deſiderio continuè perſeuerabit. Deus autem, mediante gratia ſua, per ipſum opera perficiet, ſicque homo praua peccandi libertate ſolutus, puriùs incedit.

Secundum eſt, Quòd proximi ſui æquè ac propriam ſalutem exoptabit, eique tam corporaliter quàm ſpiritaliter propter Deum, vt ei videlicet placere ſtudeat, ſuccurret pro viribus, opem ac auxilium impendat, & ipſum Deum tam pro inimicis quàm amicis ſuis, iiſque pro quibus Deus rogari vult, fideliùs deprecabitur. Hæc autem ratio efficaciſſima eſt, proximum vt ſeipſum diligendi, & ſic à naturali ſuo lumine nullatenus decipietur.

Tertium eſt, Quòd tota mentis intentione amabilem Chriſti Saluatoris vitam ac conuerſationem intus foriſque imitari deſiderabit. Tum denique cæ-



Digitized by Google

leſtem illum rogabit Patrem, vt ſe adeò perfectè ſecum vnire dignetur, vt intra ſe nihil inuenire vel agnoſcere poſſit, *niſi Ieſum, & hunc crucifixum,* qui ſuæ ſanctiſſimæ vitæ ac ſacratiſſimæ paſſionis meritis ad diuinam Patris gloriam euehat: non enim alia ad vitam patet via, niſi per Filium, ipſo teſtante: *Ego ſum via; per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Hîc nullus pſeudopropheta inſidiatur, nulla falſa occurrit libertas, nullum lumen naturale nocere poteſt.

## CAPVT XIV.

### *Exclamationes & ſuſpiria animæ, ad Dei amoroſam vnionem anhelantis.*

PRO coronide viæ Illuminatiuæ, operæpretium putaui ex D. Laurentio Iuſtiniano lib. de Incend. diuin. amor. cap. 11. æſtuantem vociferationem vulnerati ac languentis cordis, qua anhelans ſponſo copulari, dulci exhortatione ſeipſum prouocat ad eius vnionem ſuſcipiendam, hîc inſerere. Is enim vbi ſuprà ita ſcribit: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita laudare te cupit anima mea, Deus meus & Redemptor meus, ſanctus & glorioſus Ieſus, fons & eſſentialis origo omnium bonorum viſibilium & inuiſibilium. Tribue mihi, Domine, vt laudet te cor, lingua, & omnia oſſa mea. Dilata, ò melliflue amor, mentem meam, & attolle intuitum cordis mei, vt vel rapida cogitatione ſpiritus meus attingat te, æternam ſapientiam, ſuper omnia manentem, & ſuauiter omnia diſponentem. Diſſolue, diſſolue, pie Domine, me à vinculis quibus conſtrictus teneor, vt relinquens omnia iſta, feſtinem ad te. En ſtat ad oſtium, pulſat & obſecrat vt ei aperiatur. Iube ergo tu, ô amator*

*tor hominum, pulſanti aperiri miſero, vt liberis greßibus & flagranti corde laudet te, requieſcat in te, & reficiatur de te: tu enim es panis vitæ, tu lumen claritatis æternæ, tu lætitia cæleſtis Ieruſalem, tu decus & honor omnium diligentium te, tu ſplendor mentium, tu & vita animarum te laudantium, & virtus cordium, atque medullarum te quærentium. Ne tardes aperire, Domine: ecce ad te conuerſum eſt cor meum. Da, Domine, lapſo manum, collige errantem, & amantem exaudi. Quæſo, piiſſime, vocantem te ne deſeras, qui priuſquam vocarem te, quæſiſti me, vt ego filius ancillæ tuæ te quærerem, quærendo inuenirem & amarem. Quæſiui & inueni, Domine: poßidere te cupio, & in ſecreto cubiculi cordis mei tecum commorari deſidero. Da ergo te mihi, Deus meus, & redde mihi te. Tuo enim amore ardeo, tua dulci memoria delector. Et quamuis indignum ſit, Domine, vt in me omnium ſeruorum minimo requieſcere debeas; ſcis tamen, ô ſalus vitæ meæ, quòd nihil præter te ſatiare me poteſt: omnia deſipiunt mihi præter te, in quo poſui deſiderium & amorem meum. Ne, quæſo, derelinquas me, ne peream, & irrideant me inimici mei. Mitte, Domine, manum tuam de alto, & repone me iuxta te, & non erit qui exterreat. Sopitis enim cunctis quæ me premunt, in pace tua quieſcam. Ibi enim auditus, viſus, ceterique ſenſus abundabunt deliciis omnibus. Præcipuè verò, ô laus mea excelſa, & dulcis mi Domine, accende tu cor meum igne tuo ſancto, charitate tua, iucunditate tua, ſuauitate tua, quæ caſta & munda eſt, vt te diligam dulciſſimum & pulcherrimum ſponſum cum omni virtute & intentione, cum reuerentia & tremore; habens te in lingua, in corde meo, te præ oculis ſemper & vbique, ita vt in me nullus adulterinis amoribus pateat locus.*



Digitized by Google

Et infrà: *O ſereniſſime, ô pulcherrime, ô lumen verum, totum cælum & mundum illuminans, illumina me vt intelligam te, vt diligam te, vt fruar te amore beato & ſempiterno: amandus enim es tu, Domine Deus meus, amandus es propter teipſum, & ampliùs quiſque debet te diligere quàm ſeipſum. Diligendus es, ô fons amoris, & totius ſuauitatis finis; ſed nullus poteſt amare, niſi priùs à te ametur: ama ergo me, Deus meus, vt amem te. Niſi dilexeris me, non te amabo; nec te plenè potero amare, niſi habuero cor mundum, & pace refertum. Per ipſum enim, Deum pacis te eſſe guſtabo. Da ergo mihi, ô amantiſſime Domine, cor mundum & pacificum, vt te poſſim laudare dum viuam. Præpara mihi, ô Rex vniuerſæ terræ, hoſpitium cordis ad ſuſcipiendum te. Da mihi cor ſerenum, manſuetum, & honeſtum, vt iucundè deſcendas ad me, ô ſerena lux, manſueta veritas, & honeſta charitas.*

Et poſt pauca: *Loquere ergo, Domine, quia ardet charitate ſeruus tuus, præſtolatur anxiè aduentum tuum, vt diſſoluas vinculum peregrinationis ſuæ. Excitabo de cetero cor meum in excubiis tuis, Domine, vt cùm veneris ad illud, confeſtim aperiat tibi. Eia nunc, ô cor meum, ô meus collega, præpara te feſtiuè, & occurre in occurſum ſponſi tui venientis ad te: ſecum enim habet theſauros incomparabiles, quos tibi daturus eſt, ſi in eius amore reperiet te accenſum. Surge, inquam, amore beato, ſurge, conſurge feſtino animo & lætanter in occurſum Regis æterni. Ecce, præſtò eſt, iam præ foribus manet circumſpiciens, quis, qualiter, & qua alacritate ei occurrat. Propera, rumpe moras, ô cor meum, eumque ſuſcipe in hoſpitio tuo ad oſculum pacis, in amplexibus charitatis. Eia, rumpe tarditatem, accede ad ipſum in ſplendoribus Sanctorum cum virtutibus cælorum comitatus, in ſimplici & iucunda facie,*



Digitized by Google

*cie, in canticis pij amoris, in nutibus exultationis ſuſcipe illum: talibus enim delectatur obſequiis, illucq́ue quàm properè declinat. In thalamo ſecreto, in ſereno mentis, in interiori cubili deduc ipſum, vt in ipſo reclinet in meridie. Adeſt enim Deus tuus, adeſt noua feſtiuitas, adſunt deliciæ: adeſt gaudium, adeſt iubilus: foris præſtolabuntur miniſtri Angelici, venerantes cubiculum Regis & ſponſæ. Vide ergo, ô cor meum, ne ſine te diſcedat ſponſus, ne donaria ſua auferat; reuolue pedes eius, amplectere veſtigia ſponſi; dic ei cum vehementia charitatis: Tenui te, dilecte mi, nec dimittam te, donec oſtendas mihi gloriam tuam vbi paſcis, & cubas in meridie.*

# DE ORATIONE DIVINA SIVE A DEO INFVSA LIBER QVARTVS:

*De dignitate, natura, & multiplici diuiſione Vnionis ſupernaturalis & fruitiuæ.*

## PROLOGVS.

RES ſanè difficilis eſt, & inexpertæ imperuia menti, de arcana ac feliciſſima animæ cum Deo vnione diſputare. de qua quidem optimè S. Bernardus Serm. 8. in Cant. ſcripſit, dicens: *Hodie de ſummo oris oſculo diſputare propoſitum eſt: audite attentiùs, quod ſapit ſuauiùs, & guſtatur rariùs, & difficiliùs intelligitur.* Et Serm. 3. in initio, de eadem ſpirituali vnione ſiue oſculo loquens, ita inquit: *Eſt quippe manna abſconditum, & ſolus qui edit adhuc eſuriet: eſt fons*

ſigna-

Digitized by Google

*ſignatus, cui non communicat alienus, ſed ſolus qui bibit adhuc ſitiet*. Hæc ille. Vtinam noſtræ menti Spiritus ſanctus, qui profunda ſcrutatur, præſentiſſimus adſit, ac ſua nos doceat vnitione, vt poſſimus aliqua ſaltem ex parte huius ineffabilis vnionis dignitatem & magnitudinem pandere!

Maioris igitur claritatis gratiâ, in quatuor partes præſens Tractatus diſtribuetur. In prima, De dignitate, ac huius diuinæ vnionis vtilitate, ac de eius partibus ſiue gradibus; & quòd hæc ineffabilis Vnio, tam Scripturarum quàm plurimorum Patrum teſtimoniis apertiſſimè conſtet. In ſecunda, Quid Vnio hæc Myſtica ſit, & quæ ſint tam intellectus quàm voluntatis operationes eam comitantes, differemus. In tertia, diſpoſitiones ac vberrimos huius Vnionis fructus oſtendemus. In quarta demum, De Vnione illa fruitiua ac feliciſſima animæ cum Chriſto in venerabili Euchariſtiæ Sacramento puriſſimis mentibus aliquando contingente, Domino aſpirante, agemus.



Digitized by Google

# PRIMA PARS.

## *Diuinæ vnionis dignitas, vtilitas, gradus ſiue partes.*

## CAPVT I.

### *Quid nomine Vnionis ſiue via Vnitiua intelligatur.*

RELIQVIMVS (ſi benè memini) animam in ſupremo gradu viæ Illuminatiuæ diuinam illam caliginem ingreſſam, amore vulneratam, omnino languentem, deſolatam, & à ſeipſa & omnibus rebus creatis quaſi deficientem, continuis & ardentiſſimis deſideriis Dei immediatam præſentiam, ac feliciſſimam coniunctionem anxiè ſuſpirantem, ac cum Moyſe Exod. 33. clamantem: *Obſecro, Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi faciem tuam.* Nam quamuis aliquando in vmbra ſedens, dulciſſimo ſponſi fructu ſponſa paſcatur; ſemper tamen lucem meridianam inquirit, vbi ſponſus paſcit: vnde ingemiſcens ad ſponſum clamat Cant. 1. *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Quæ ſponſæ verba in hoc propoſito præclarè expendit Bernardus Serm. 3. in Cant. *Et nunc quid reſtat*, ait, *ô bone Domine, niſi vt iam in plenitudinem lucis in feruore ſpiritus ad oris quoque oſculum dignanter admittens adimpleas me lætitia cum vultu tuo. Indica mihi ô ſuauiſſime, ô ſereniſſime indica mihi, vbi paſcis, vbi cubas in meridie.* Idem Serm. 33. *Hunc locum (inquit) tantæ claritatis & pacis, & plenitudinis indica mihi, vt quemadmodum Iacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, & ſalua fa-*



Digitized by Google

*ctæ eſt anima eius; vel certè ſicut Moyſes vidit eum non per figuras & ænigmata, ſeu per ſomnia, vti Prophetæ alij, ſed modo planè præcellenti atque inexperto ceteris, ſibi noto & Deo; vel ſicut Iſaias reuelatis oculis cordis vidit eum ſuper ſolium excelſum & eleuatum; vel etiam quomodo Paulus raptus in paradiſum audiuit verba ineffabilia, & Dominum ſuum Ieſum Chriſtum vidit oculis ſuis: ita ego quoque te in lumine tuo & in decore tuo per mentis exceſſum merear contemplari paſcentem vberiùs, quieſcentem ſecuriùs. Nam & hîc paſcis, ſed non in ſaturitate: nec cubare licet, ſed ſtare & vigilare oportet propter timores nocturnos.* Hæc Bernardus.

His autem perfecti amoris affectionibus ac deſideriis, quibus anima vulnerata clamans veluti emoritur, reſpondet Dominus ac dilectiſſimus ſponſus, vt latiùs proſequitur Henricus Harphius lib. 3. de Myſt. Theol. par. 3. cap. 23. in modum dialogi inter Deum & animam, his verbis: Oſtendam tibi omne bonum, oſtendam tibi faciem meam, verumtamen non in hac vita; non enim videbit me homo, & viuet: futuri temporis eſt quod petis, non præſentis; nunc inſtruuntur ſponſalia, parantur impenſæ, inſiſtitur ornatui, in futurum tamen reſeruatur mutuæ fruitionis deſideratiſſimus complexus. Ad quæ illa: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et ego requieſcens in ſpe, velut catellus Domini mei, ſub menſa perſeuerabo patiens & ſuſtinens, vt ſaltem de micis eius vtcumque ſuſtentari valeam cum ſponſa dicente: Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Ideoque, ceteris refutatis, vbera tuæ fidelitatis & conſolationis requirere non deſinam donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Verumtamen

men dilectus meus interim ſaltem oſculetur me oſculo oris ſui, quoniam in tenebris conuenienter oſculari poteſt, licet videri non poſſit. Tunc Pater miſericordiarum, qui tribuit omnibus abundanter & non improperat, dulciter ſe inclinat, vt oſculum conferat, id eſt immediatam ſuam præſentiam ad amandum proflua prodigalitate funditus exponit, ac anima illicò ſuſpenſis ſuſurris & deſideriis vniuerſis os ſuum in Deum proclinat amoroſa quadam profundatione ſui ipſius, ibique ſe inuicem oſculantur Deus & anima; quoniam ipſa ſine medio Deo coniungitur in vnitate amoris, & feliciter Deificatur ſecundùm Diuinitatis totalitatem. Hactenus Harphius.

Præclariùs tamen & elegantiùs S. Bernardus Serm. 9. in Cant. Dialogum inter ſodales & ſponſam finxit, dicens: *Ponamus proinde iſtos, quos ſponſi ſodales diximus, viſitandi ſalutandique gratia, ſicut heri & nudiuſtertius, acceſſiſſe nunc quoque ad ſponſam, ipſamque ſubmurmurantem & tædentem repetiſſe, mirari cauſam, & quaſi alloqui in hunc modum: Quid noui accidit? quid te cernimus ſolito triſtiorem? quæ inopinati murmuris cauſa? Certè cùm auerſa & alienata ires poſt amatores tuos, cum quibus male erat tibi, compulſa tandem reuerti ad virum tuum priorem, nónne vt ſaltem mereréris tangere pedes, multis precibus & fletibus inſtitiſti? Recolo, inquit. Quid? Obtento eo, ſimulque accepta in oſculo pedum indulgentia de offenſis, numquid non rurſus facta impatiens, & tanta nequaquam dignatione contenta, ſed maioris familiaritatis cupida, ſecundam quoque gratiam eadem qua priùs inſtantia poſtulaſti & impetraſti, ita vt in oſculo manus adepta ſis virtutes non paucas & non paruas? Non diffiteor, ait. Et illi: Enimuero, num tu es*

quæ

*quæ iurare & obteſtari ſolebas, ſi vmquam ad oſculum manus peruenire daretur, ſufficere iam tibi, nihil te de cetero petituram? Ego. Quid igitur? Fortè horum quæ acceperas, quippiam ablatum cauſaberis? Nihil. An verò times repetitum iri, quod tibi de mala tua conuerſatione indultum præſumpſeras? Non. Age tamen, dic vnde queamus ſatisfacere tibi. Non quieſco, ait, niſi oſculetur me oſculo oris ſui. Gratias de oſculo pedum, gratias & de manus; ſed ſi cura eſt illi vlla de me, oſculetur me oſculo oris ſui. Non ſum ingrata, ſed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, ſed prorſus inferiora votis. Deſiderio feror, non ratione. Ne, quæſo, cauſemini præſumptionem, vbi affectio vrget. Pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor. Nec ignoro, quòd honor Regis iudicium diligit; ſed præceps amor nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubiicitur. Rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui. En gratiâ ipſius multis iam annis caſtè ſobrieque viuere curo, lectioni inſiſto, reſiſto vitiis, orationi incumbo frequenter; vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantum in me eſt, conuerſari inter fratres. Superioribus poteſtatibus ſubdita ſum, egrediens & regrediens ad imperium ſenioris. Aliena non cupio, mea potiùs & me pariter dedi. In ſudore vultus mei comedo panem meum. Ceterùm, quod in his omnibus eſt, totum conſtat de conſuetudine, de dulcedine nihil. Quid, niſi iuxta Prophetam, vitula Ephraim ſum docta diligere trituram? Denique in Euangelio, Qui hoc ſolùm quod facere debet, facit, ſeruus inutilis reputatur. Mandata forſan vtcumque adimpleo, ſed anima mea ſicut terra ſine aqua in illis. Vt igitur holocauſtum meum pingue fiat, oſculetur me, quæſo, oſculo oris ſui.* Hæc Bernardus.

Hoc

Digitized by Google

Hoc igitur oſculũ, ſine mutuus amplexus ſponſi & ſponſæ, eſt illa feliciſſima vnio, quam (ſi Deus dederit) explanare conabimur, quæ alio nomine via Vnitiua ſupernaturalis dicitur, ad quam Purgatiua & Illuminatiua veluti diſpoſitiones ad introducendam formam, mentem ornant & præparant. Sicut enim magnus Dionyſius Areopagita in lib. de Angelic. Hierarch. tres actiones hierarchicas in Angelis ſanctis conſtituit ac diſtinxit, videlicet purgationem, illuminationem, & perfectiõnem: pari quoque modo in viatoribus oportuit (vt anteà oſtendimus) tres vias ſiue profectus incrementa diſtinguere, quarum officia ſiue exercitia lib. 1. in genere deſignauimus, ac duobus præcedentibus libris de via Purgatiua & Illuminatiua ſpeciatim diſſeruimus: reſtat iam, vt quæ ſit via Vnitiũa ſupernaturalis declaremus.

Tertia demum via, quæ Vnitiua à Myſticis cognominatur, ab optima Mariæ parte nomen adepta eſt. Huius eſt, purgata iam mentis acie, diuina limpidiſſimè intueri, & arcano amoris nexu ipſi Deo adhærere, ibique, veluti in arce Sion ac proprio centro, pace quæ ſuperat omnem ſenſum, & voluptate puriſſima perfui. Quare meritò de hac via Vnitiua vltimo loco tractauimus: eſt enim præcipuus omnium ac in hac vita ſupremus ſpiritualis profectus gradus, ineffabilis mẽtis noſtræ cum Deo ipſo vnio, ac arcana coniunctio, ipſiuſque Dei in animam illapſus, ac mirabilis manifeſtatio, dulciſſimus amplexus, ac ſuauiſſima deoſculatio, quam Myſticam Theologiam cum diuo Dionyſio omnes eius expoſitores appellant. Hanc Dionyſius Carthuſianus breuiter ſequentibus verbis cap. 12. de Fonte lucis deſcripſit, dicens: Itaque via Perfectiua, ſeu Vnitiua,

ua, eſt ſtudium, occupatio, ſeu actio ad ſinceriſſimæ charitatis ardorem, ad Deitatis ecſtaticum flammigerumque amorem, ad myſticæ ſapientiæ æſtuantiſſimum, quietiſſimum, ac ſecretiſſimum tendens intuitum. Conſiſtit namque hæc via in hoc, vt ex contemplatione Dei per negationem mens diuino amore tota accendatur, & velut ignea atque Seraphica efficiatur, ſeque ſeipſam & cuncta creata relinquens, tranſcendens, ac obliuiſcens, ſuperincomprehenſibili Deo, tamquam prorſus ignoto, per hierarchicæ lucis illapſum, per occultiſſimæ inſpectionis alloquium, per ſuperſplendentem caliginem, ac ſapientiſſimam ignorantiam vniatur. Hæc Dionyſius Carthuſianus. Hæc igitur eſt via Vnitiua, de qua pleniùs infrà, quæ, ſedatis motibus aduerſis, in Dei clementiſſimi amplexibus dulciſſimo ac tranſformante amore requieſcit, vbi diuina charitas vltra viæ Purgatiuæ & Illuminatiuæ incrementa eò caput extollit, quò vix fertur intuitus; de cuius cæleſti puritate ac nobilitate iamiam tractare, fauente Deo, properamus.

## CAPVT II.

### *Huius diuinæ Vnionis vtilitas ac dignitas.*

TOT ſunt huius feliciſſimæ cum Deo creaturæ rationalis Vnionis bona, vt vix poſſint, vt par eſt, etiam experti ea aut mente concipere, aut verbis explicare. Primum igitur bonum, idque maximum, & quod ceterorum omnium veluti fons eſt & origo, illud ſit, iſtam iucundiſſimam Vnionem eſſe intimam ac perfectiſſimam amicitiam cum Deo. Nam cùm omnis charitas (quantumuis minima) ſit hominis ad Deum amicitia, in aliqua ſupernaturali com-

communione fundata, teſte D. Thoma 2. 2. q. 23. artic. 1. qua homo vult ſua bona Deo propter ſeipſum, & ei in omnibus placere conatur; & qua Deus ita hominem diligit, vt velit ei bona diuina, & faciat quoque, & manu liberaliſſima impertiat.

Hæc tamen perfecta animæ cum Deo Vnio, de qua ſermonem inſtituimus, non eſt quouis modo Dei & hominis amicitia; ſed eſt neceſſitudo tam arcta, tam intima, tam ſublimis, vt vix maior nexus inter coniuges excogitari poſſit. Quis enim, niſi aut expertus, aut in Scripturis ſacris valdè verſatus, credat, diuinam illam maieſtatem ita animæ puræ ſtrictiſſimo amicitiæ vinculo copulari, vt, velut ſponſus vino amoris inebriatus, illius aſpectum cupiat, colloquium ſitiat, ac eius amplexus & oſcula dulciſſima quærat? E conuerſò, anima Deum ipſum tamquam ſponſum & amicum reſpiciens, eius aſſiduam conuerſationem expoſcat, oſcula petat, & eum ſibi ſine medio vniri ac copulari exquirat?

Seruantur deinde inter Deum & animam perfectiſſimæ amicitiæ leges: nam, vt amici, impensè ſe amant, & mutua beneuolentia complectuntur, aſſiduè colloquuntur, & magna cum voluptate ſecum ipſi conuerſantur. Denique, vt alia prætermittam amicitiæ iura, vt amici idem omnino ſapiunt, eodemque velle & nolle fruuntur, & ſine vlla diſſenſione in omnibus conueniunt, & occulta nimis ſecreta reuelant, & cordis patefaciunt arcana. Quamobrem ſponſus, quamuis tantæ ſit dignitatis, non erubeſcit eam amicam appellare Cant. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Et præterea, anima tantæ dignitatis particeps effecta, palàm Deum amicum proclamat Cant. 5. *Dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus.*

Eſt

Eſt deinde non amicitiæ tantùm, ſed & cognationis ſtrictiſſimæ origo hæc diuina Vnio: Deus enim ſibi hoc amoris vinculo coniunctos, non cognatos, ſed dilectiſſimos filios appellat & facit; non vtcumque, ſed ſibi ſimillimos. Et hæc eſt huius Vnionis maior dignitas, vt planè hominem Dei filium, & non tantùm ſeruum fidelem aut amicũ conſtituat. Sed & illud eam magnopere extollit, quòd non filios tantùm (hoc enim gratiæ habitualis donum omnibus iuſtis indiſcriminatim largitur) ſed etiam ſimillimos Deo Patri regenerat. Sicut enim ſolet eſſe inter naturales filios differentia, quia etſi omnes ſuorum parentum naturam accipiant, in aliis verò multis diſſentiunt; nam alij moribus ac corporis diſpoſitione aſſimilantur, alij omnino diſſimiles inueniuntur: ita hoc quidem diſcrimen in filiis Dei adoptiuis reperies. Nam quamuis omnes filij Dei ſint, & gratiæ & diuinæ naturæ participes, ac proinde ei ſimiles in hac participatione efficiantur; horum tamen quidam ſunt filij paruuli, in quibus vix aliud, quàm naturæ patris participatio cernitur; alij verò ſunt filij maiores, in quibus vltra hanc participationem, ſtudia etiam & proprietates paternæ non parum elucent. Iuſti igitur imperfecti & rudes, qui parum refrænandis paſſionibus ac cordis puritati ſtudent, ſi diuinæ participationis dignitatem excipias, vix diuinæ ſimilitudini veſtigium aliud inuenies: filij ſunt Deo diſſimiles, ſolùm filiorum nomine contenti, perfectam patris ſimilitudinem non curant, & ob eam cauſam à patre, tamquam ſibi diſſimiles, minùs diliguntur, & non ſine nauſea tolerantur. Viri verò ſancti, ac qui Deo perfecta vnione coniunguntur, non gratia & charitate tantùm, ſed & moribus, & heroicis virtutibus cæleſti Patri aſſimilan-



Digitized by Google

milantur, ac meritò vſurpare poſſunt, quod Chriſtus Filius naturalis Patris de ſeipſo teſtatur Ioan. 14. *Qui videt me, videt & Patrem. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Elucet enim in eis inprimis Dei charitas, qua Deum ipſum & proximum ardentiſſimo amore proſequuntur: ſapientia conſpicitur, qua norunt diſcernere inter bonum & malum, & ſeparare inter pretioſum & vile, ac nouiſſima prouidere: ſublimis Dei ſcientia elucet, qua Deum ipſum eiuſque perfectiones immenſas puriſſimo contemplatur intuitu: puritatis quoque diuinæ gerunt imaginem, dum faciem animæ ab omni labe & inquinamento mundam geſtare conantur: nec modicùm in eis diuina ſplendet potentia & fortitudo, qua dæmonis tentationes viriliter ſuperant; ac demum pulcherrimam non tam ſermone quàm operibus Dei hanc Chriſti imaginem ſuis cordibus impreſſam ferunt.

Præterea, etſi præclara ſit amicitiæ & filiationis vnio, qua homo Deo, & Deus homini coniungitur; illa tamen multò præclarior huius vnionis dignitas eſt, quòd illa ſit arctiſſima ſponſi & ſponſæ coniunctio, & caſtum connubium, in quo Deus fit ſponſus animæ, & anima Dei & ſponſa & coniux efficitur, eamque ſponſus caſtiſſimo ſibi amore copulat, cæleſtibus donis ſubarrhat, ſuiipſius copiam facit, ac Spiritus ſancti prole fecundat. Demum, cum ea non tamquam cum ancilla vel cum amica Deus ſe gerit, ſed quaſi ſponſus cum ſponſa, quam ſibi ſpirituali connubio copulauit. Rectè igitur in celebri illo Canticorum epithalamio, vbi acta huius diuini ſponſi cum ſponſa amoris deſcribuntur, Deus animam perfectam paſſim ſponſam vocat; imperfectam verò non ſponſam, ſed adoleſcentulam; &

cum

cùm ibi introducantur varij feminarum gradus, quorum aliæ adoleſcentulæ, aliæ Reginæ, concubinæ aliæ nominentur; vna ſola vt ſponſa loquens & amore vulnerata introducitur, qui ſponſæ gradus perfectiſſimam cum Deo vnionem ac communionem planè ſignificat.

## CAPVT III.

### *Huius vitæ felicitatem in hac Vnione ſitam eſſe.*

POSTREMVM autem (& quod ſumma eſt aliorum, bonum, quod in hac præclariſſima Vnione reperitur, illud eſt, quòd homines felices & beatos etiam in hac valle miſeriæ efficiat. Duas enim beatitudines homini poſſe contingere, alteram perfectam & conſummatam in futura vita, imperfectam alteram & inchoatam in præſenti vita, omnis fermè Theologorum ſchola docet. Et vt nunc varias tam Theologorum quàm Philoſophorum concertationes prætermittam, in quo iſta beatitudo inchoata conſiſtat; illud nunc præſuppono, quod & pleniùs inferiùs demonſtrabimus, ſummam huius vitæ felicitatem in hac ſublimi & myſtica hominis ad Deum Vnione ſitam: nam teſte Boëtio lib. 2. de Conſolatione, *beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, qui hominem reddit felicem ac beatum, eiuſque mentem ac naturam hoc immenſo bonorum cumulo ſatiat.*

Hanc autem vitam beatã in ſola cum Deo Vnione ac poſſeſſione poſſe reperiri, ea ratione confirmat D. Thomas 1.2.q.2.art.8. quia bonum illud, in quo ſita debet eſſe beatitudo, neceſſariò tale ac tantum eſſe oportet, vt omnino appetitum ſatiet, atque ex

omni parte penitùs impleat; nec enim eſſet ſummum bonum, aut vltimi finis nomen illi meritò conueniret, ſi aliquid præterea appetendum reſtaret. Cùm igitur humanæ voluntatis obiectum ſit bonum vniuerſale, obiectum autem intellectus ſit vniuerſale verum; hinc fit, nihil poſſe his duabus capaciſſimis facultatibus ſatisfacere, niſi ens vniuerſale, quod idem eſt etiam bonum vniuerſale: quod quidem cùm in rebus creatis inueniri nequeat (quoniam creaturæ omnes finitam ac limitatam habent & naturam & bonitatem) in ſola Dei poſſeſſione hominis felicitas erit collocanda, in quo omnia ſunt infinitè perfecta.

Hanc autem D. Thomæ rationem confirmat D. Auguſtinus docta & accurata ſententia, qui lib. de Moribus Eccleſiæ cap. 2. tria ad beatitudinem requirit. Primò, Vt id quo beatitudo quæritur, ſit hominis optimum; deinde, Vt ametur; tertiò, Vt etiam habeatur: nam & qui appetit quod adipiſci non poteſt, cruciatur; & qui adeptus eſt quod appetendum non eſt, fallitur.

Et quamuis in hac vita Dei perfecta poſſeſſio nemini contingat (eſt enim propria ſtatus Beatorum) quò tamen propiùs ad eam quibuſdam quaſi paſſibus accedimus, & ei quod cum hac maiorem habet ſimilitudinem, eò magis perfectæ felicitati appropinquamus. Vnde etſi in hac vita, perfecta ſummi boni poſſeſſio non habeatur, ſed tantùm in futura, in qua Deum reuelata facie videbimus ſicuti eſt: in hac tamen vita eſt quædam veluti imago, quæ æternæ illi felicitati aſſimilatur, quæ in ecſtatica & fruitiua vnione hominis cum Deo conſiſtit. Hæc verò nihil aliud eſt, quàm perceptio vitalis experimentalis guſtus omnium ſenſuum internorum Summi boni,

boni, nempe Dei, ac quædam intima coniunctio iſtius ſummi boni cum intellectu noſtro in ratione ſummæ lucis, cum voluntate in ratione ſummi boni & ſummè delectabilis, ac demum oſtenſio faciei diuinæ ſub ratione omnis boni, quantum in hac vita permittitur; & ob eam cauſam hæc diuinorum prægustatio meritò beatitudo huius vitæ nuncupatur. Cuius rei ea reddi poteſt ratio; quia homo operatur tunc perfectiſſimos actus, & perfectiſſimo modo: qui actus magis fini, ſcilicet beatitudini, appropinquant & aſſimilantur, & ideò ſimiles actus à Theologis beatitudines appellantur, vt aptè docuit diuus Thomas 1.2.q.109. vbi art.2. ait: *Aliqua inchoatio beatitudinis eſt in hac vita in viris perfectis.*

Clariùs tamen & pleniùs D. Bonauentura Proceſſu 7. Religionis cap. 15. vbi ſublimiorem hominis perfectionem ac beatitudinem quamdã inchoatam in intima ac plena omnium animæ potentiarum cum Deo vnione docuit conſiſtere, dicens: *Hæc eſt hominis in hac vita ſublimior perfectio, ita vniri Deo, vt tota anima cum omnibus potentiis ſuis & viribus in Deum collecta, vnus ſpiritus fiat cum eo, vt nihil meminerit niſi Deum, nihil ſentiat & intelligat niſi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio vniti in ſola Conditoris fruitione ſuauiter quieſcant. Imago enim Dei in anima, in his tribus potentiis expreſſa conſiſtit; videlicet, in ratione, memoria, & voluntate: & quamdiu iſta non ſunt ex toto Deo impreſſa, non eſt anima Deiformis. Forma enim animæ, Deus eſt, cui debet imprimi ſicut ſigillo ſignatum. Hæc numquam plena eſt, niſi cùm ratio perfectè iuxta capacitatem ſuam illuminatur ad cognitionem Dei, qui eſt ſumma veritas, & voluntas perfectè afficitur ad amandum ſummum bonum, & memoria plenè abſorbetur ad intuendam, &*



Digitized by Google

*fouendam, & tenendam ſummam felicitatem: & quia in horum conſummata adeptione conſtat gloria beatitudinis, quæ perficietur in patria: licet quòd iſtorum perfecta inchoatio, eſt perfectio viæ in hac vita.*

Demum Gerſon de Myſtica Theologia, conſideratione 42. beatitudinem huius vitæ in hac Vnione docet & probat ſitam eſſe ſequentibus verbis: *Per prædictam amoroſam Vnionem, in qua Myſtica Theologia conſiſtere videtur, anima quietatur, ſatiatur, & ſtabilitur in Deo; quod facile eſt in primis ex priori deducere. Nam cùm res qualibet ſit in quiete, dum perfectionem ſuam adepta eſt, illique coniuncta; & ſpiritus noſter vnitur & coniungitur in hac Vnione ſummo perfectibili per amorem perfectum; vt exinde quietetur, ſatietur, ſtabiliatur neceſſe eſt. Sic materia in forma habita, ſic lapis in centro poſitus, ſic res qualibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippe rationalis, dum coniungitur & vnitur Deo, copulatur ſuo ſummo bono. Eſt enim Deus ſummum bonum eius, eſt centrum eius, finis, totaque perfectio. Quid ergo aliud ipſa requireret? aut ad quid aliud ipſa vlteriùs inhiaret?*

*Porrò in ipſa anima conſidero tres tendentias principales proportionabiliter ad triplicem vim eius ſiue potentiam, quarum vna eſt concupiſcibilis, alia rationalis, tertia iraſcibilis nominatur. Concupiſcibilis tendit in bonũ, rationalis in verum, iraſcibilis in arduum. Sic anima per has vias tendentiam habet in benedictam & ſanctam Trinitatem, nimirum quia ad eam & eius ſimilitudinem facta eſt, eiuſque imago conſtituta.*

*Attribuimus itaque Spiritui ſancto bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiſcibilis; attribuimus Filio veritatem, & ad hanc tendit vis rationalis; attribuimus Patri potentiam, maieſtatem, & gloriam, & ad hoc*

*hoc tendit vis iraſcibilis. Oportet igitur vt his viribus ſatiatis per coniunctionem cuiuſlibet cum ſuo ſupremo appetibili, anima rationalis totaliter ſatietur, quietetur, & ſtabiliatur: nam ſi delectatio in bono conueniente & voluptatis ſuauitate quæritur, quid de animæ voluptate (beata maximè) ſentiendum eſt? Audiamus quid Propheta dicit ad Dominum: Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et infrà: *Deus ergo finis eſt animæ, & eius vltima perfectio; ipſe eſt velut centrum & locus naturalis omnium deſideriorum ſuorum. Dum ergo in ſe deficit anima in ſalutare Dei, velut ad nihilum redacta, nulli iam alteri, nec ſibimet innititur, ſed ſoli Deo, vt ſuæ dulcedini, vt ſuæ veritati, vt ſuæ glorificationi, dicens pro primo: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Dicens pro ſecundo: Nihil arbitratus ſum me ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, factus ſtultus propter ipſum. Dicens pro tertio: Vtinam, qui gloriatur, in Domino glorietur! Ac proinde non habens quò vlteriùs tendat, aut quid vltrà requirat, quietatur anima in Deo atque ſtabilitur, poſſidens in eo omnia, ceteraque contemnens atque paruipendens.* Hæc Gerſon.

Cùm igitur in hac iucundiſſima ac feliciſſima cum Deo coniunctione huius vitæ beatitudo ſita ſit, mirum eſt quomodo vniuerſi homines, quibus à natura ſitis ac appetitus beatitudinis innata eſt, ceteris curis prætermiſſis, in hanc vnam tam cæleſti voluptate refertam certatim non incumbant. Si qua enim felicitatis pars in hoc exilio prælibatur, hæc profectò eſt, quæ ex puriſſima quadam Dei notitia, guſtu tactuque conflatur. Viros igitur Religioſos, fortes ac ſtrenuos, cupientes Deo ſingulari fœdere ſociari, ipſos, imò & omnes alios verbis alloquar Auguſtini in Pſal. 102. *Bonum*, inquit, *tuum quæ-*



Digitized by Google

*re, ô anima. Eſt enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent aliquod bonum ſuum, bonum integritatis ſuæ, & perfectionis naturalis ſuæ. Intereſt quid cuique neceſſarium ſit vt perficiatur. Quære tuum bonum: nemo bonus, niſi Deus. Summum bonum, hoc eſt bonum tuum. Quid ergo deeſt, cui ſummum bonum, bonum eſt? Sunt & inferiora bona, quæ aliis & aliis bona ſunt. Pecori quid bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentia, dormire, geſtire, viuere, ſanum eſſe, generare? Tale tu bonum quæris? Coheres Chriſti quid gaudes, quia ſocius es pecorum? Erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium.*

## CAPVT IV.

### *De multiplici animæ cum Deo Vnione, præcipuè de actuali, & fruitiua.*

Omissis variis Vnionis Dei cum anima diuiſionibus, de quibus multa Myſtici Doctores ſcripſerunt, de his tantùm, quæ arcanæ & fruitiuæ Vnioni deſeruire poſſunt, diſſeremus.

Primum igitur Vnionis genus illud eſt, quo Deus ratione ſuæ immenſitatis omnibus rebus, tam corporalibus quàm ſpiritualibus, eſt intimè præſens, multò quàm lumen aëri, vel anima corpori penitior: *in ipſo enim* (vt Act. 17. dicitur) *viuimus, mouemur, & ſumus*. At hic modus vnionis, quamuis ſupponatur ad fruitiuam & ſupernaturalem cum Deo coniunctionem, (vt infrà clariùs exponemus) adhuc tamen eſt inſufficiens ad eam perficiendam, cùm omnibus rebus communis ſit, neque propriè vnionem aliquam conſtituat, ſed ſolùm præſentiam localem, ac intimam Dei penetrationem præſeferat. Quare cùm Vnionem Dei cum anima ſupernatura-

lem

lem inquiramus, hæc, qua Deus rebus omnibus ratione ſuæ immenſitatis ineſt, improportionata, ac præciſè conſiderata, omnino impar videtur, vt in hanc vnionem, quæ ſuperioris eſt ordinis, influat.

Secundum genus Vnionis, idque nobilius, eſt per gratiam habitualem permanentem, quam iuſtificantem Theologi appellant: per quam ita iuſtorum mentibus infunditur Deus & vnitur, vt ex hac vnione filij Dei, tamquam verè participes & conſortes effecti diuinæ naturæ, efficiantur. Gratia enim iuſtificationis (vt peritiſſimi noſtri temporis Theologi philoſophantur) quamuis iuſtos omnes filios Dei efficiat, non tamen hoc facit ex ſua nuda (vt ita loquar) phyſica perfectione, cùm peccatum letale, ſi Dei abſolutam potentiam inſpicias, in vno poſſet ſubiecto cum gratia conſeruari; ſed ex eo, quòd gratia talis ac tantæ efficaciæ exiſtat, quòd mentibus noſtris Spiritum ſanctum ſeu diuinam naturam vniat, cuius eſt veluti vinculum. Filius enim verè quis conſtituitur, non ex collatione alicuius qualitatis ſiue doni, ſed ex participatione & communione eiuſdem naturæ ab altero acceptæ. Quare, ſicuti Verbum diuinum eſt verè Filius Patris æterni, quia accepit diuinam naturam à Patre per æternam generationem; & ſimiliter Chriſtus, in quantum homo, dicitur Filius Dei, quia accepit naturam diuinam per vnionem hypoſtaticam: ita homo iuſtus dicitur filius Dei, quia naturam eamdem diuinam accepit per vnionem gratiæ. Quamuis ſit maximum diſcrimen inter hominem iuſtum & Verbum diuinum in modo habendi illam naturam: nam Verbum ita eam accepit, vt illi eſſentialiter & per identitatem ſit vnita; humanitas verò eam accepit, vt ei ſubſtantialiter per coniunctionem in eadem hypo-



Digitized by Google

ſtaſi vniatur; iuſtis verò ſolùm accidentaliter, nempe per vnionem gratiæ iuſtificantis coniungitur. Vnde gratia habituali filij Dei nominamur & ſumus, non quia gratia ſit forma præcipua, à qua dicamur filij, (hoc enim ipſa Diuinitas nobis communicata efficit;) ſed quia eſt veluti vinculum & vnio illius formæ, nempe Diuinitatis, qua ratione ab vnione hypoſtatica ille homo Chriſtus dicitur Filius Dei. Sicut enim ibi vnio hypoſtatica ſe habet inſtar vinculi, non formæ principalis; ita hîc gratia habitualis. Habet autem gratia hanc vim, non ex nuda ſua phyſica natura & entitate, ſed ex ordinatione diuina rerum naturis conſentanea; nulla enim erat qualitas creata magis conueniens ad hunc effectum: quare Deus illam huic functioni deputauit, eique ſuo decreto hanc vim & efficaciam ſtabiliter annexuit. Quare iſta quæ per gratiam fit vnio, ita ſecum trahit naturam diuinam, eamque nobis præſentem & inhabitantem facit, vt etiamſi ipſa non eſſet immenſa & vbique, tamen eam nobis intimè præſentem ſiſteret. Ratio eſt, quia vnio Dei quæ fit per gratiam, non eſt ſolùm vnio per affectum & amorem, vt quidam imaginantur; ſed eſt vnio per naturæ communicationem & inhabitationem Spiritus. Atqui non poſſunt dici filij Dei & participes diuinæ naturæ, ſi ipſa non ſit in nobis, ſed procul à nobis ſeparata. Hinc Spiritus ſanctus dicitur nobis dari in iuſtificatione, & ipſe Deus ad nos venire, & in nobis manere.

In hac quoque habitualis gratiæ poſſeſſione ſiue coniunctione, Vnio hæc fruitiua & ſupernaturalis, in qua noſtram beatitudinem ſitam eſſe ſuperiùs cap. 3. oſtendimus, nequit conſiſtere; quia vnio iſta quæ cum Deo fit mediâ habituali gratiâ, communis

eſt

eſt omnibus iuſtis, etiam pueris ante rationis vſum baptizatis: & prætereà gratia iſta ordinatur ad vlteriorem & perfectiorem cum Deo vnionem per actualem cognitionem, & amorem, in quibus huius vitæ felicitas conſiſtit, in quantum iſti actus contemplationis & amoris proueniunt à Sapientiæ dono, vt inferiùs latiùs exponemus. In hac tamen gratię habitualis vnione quodammodò dici poteſt beatitudinem huius vitæ conſiſtere, quia hæc vnio iuſtis perfectæ & completæ beatitudinis ius tribuit.

Tertium Vnionis genus eſt, per actualem amorem ſiue tendentiam in rem amatam, qua amans rei amatæ actu inhæret, ac per amoris affectum ſiue effectum ei vnitur. Eſt enim amor (vt S. Dionyſius lib. de Diuinis nomin. cap. 4. tradit) virtus vnionem faciens: id eſt, vt D. Thomas 1.2. q 28. art. 1. exponit: *Amor facit vnionem, vel effectiuè mouens ad deſiderandum & amandum præſentiam amati, quaſi ſibi conuenientis; vel formaliter, vt amor amicitiæ, qui eſt talis vnio vel nexus.* Vnde S. Auguſtinus lib. 8. de Trinit. *Amor eſt quaſi iunctura quædam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur.* Quod enim dicit *copulans*, refert ad vnionem affectus, ſine qua non eſt amor; quod verò dicit *copulare appetens*, pertinet ad vnionem realem. Vtriuſque amoris tam affectus quàm realis rationem & finem expreſſit Dauid Pſal. 42. Priorem quidem, id eſt affectus, illis verbis: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Poſteriorem verò, id eſt realem, ſequentibus verbis: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Sic S. Auguſtinus lib. 5. Confeſſ. c. 5. *Quis mihi dabit, vt venias in cor meum, & inebries illud, vt obliuiſcar mala mea, & vnum bonum meum*

*am-*

*amplectar te? Noli abſcondere faciem tuam, moriar, ne moriar, vt eam videam.*

Iſta Vnio per amorem actualem propriè eſt effectus ipſius habitus charitatis & gratiæ; & ſi quæ vnio animæ noſtræ cum Deo beata ſiue fruitiua in hac vita contingere poteſt, neceſſariò medio hoc actuali amoris nexu fieri debet: nam cùm Vnio iſta ſupernaturalis ſit quidam vitalis ſenſus & guſtus, ſiue experimentalis perceptio Dei, neceſſariò debet in actione ſiue operatione vitali, ſiue intellectus, ſiue voluntatis conſiſtere, aut in vtriuſque cum Deo perfecta coniunctione.

Præterea, quia cùm hæc Vnio, vt ex ſuperioribus conſtat, ſit quaſi vltima perfectio hominis, & complementum omnis boni, cuius homo de lege ordinaria capax eſt in hac vita, nullatenus in habituali diſpoſitione poteſt conſiſtere: omnis enim habitus ordinatur ad actum, actus verò vlteriorem perfectionem non inquirit, ſed ad obiectum tendit, cui per ſe coniungit mentem ac vnit, ac proinde in actu vnio animæ cum Deo debet conſtitui.

Demum, nullum bonum, quantumuis magnum, quantumuis menti vnitum, poteſt illam delectare, neque contrà anima eo frui, aut delectari, aut per amorem ei adhærere poteſt, niſi dignoſcatur, ſentiatur, eiuſque bonitas & dulcedo animæ coniuncta quodammodò guſtetur. Igitur Vnio ſupernaturalis, quæ nos ſummo bono, cognitione, amore, & fruitione coniungit, in actione aliqua intellectus aut voluntatis conſiſtere debet, vt ex dicendis inferiùs pleniùs conſtabit.

C A-

## CAPVT V.

### *De duplici actuali Vnione animæ cum Deo, quarum vna ſobria, ebria altera & ecſtatica nuncupatur.*

CHARITATIS actus mentem noſtram cum Deo intimè & ſupernaturaliter coniungunt. Eſt autem huius actualis Vnionis, quæ ab habitu charitatis dimanat, duplex genus: Alterum, quo Deo actiuo ſiue humano modo, ſupernaturali tamen amore, diligimus, noſtram voluntatem cum illo per actualem amorem vniendo, ac vt ſummum bonum amplexando, per quæ eius diuinæ voluntati conformamur, ac noſtram voluntatem in diuinā veluti transfundimus, ac omninò reſignamus: ad quam vnionem actualem, quando feruens eſt, conſequitur etiam vnio memoriæ & intellectus, nempe vt actu recordemur Dei, & illum præſentem in omnibus, quantum humanæ fragilitati permittitur, animæ oculis intueri ac contemplari valeamus. Hæc Vnio ideò vocatur à Myſticis actiua ſiue affectuoſa, eò quòd quilibet iuſtorum, ſpeciali Dei fretus innixuſque auxilio, ad huius diuinæ vnionis exercitium conari poſſit, quæ per diuinam gratiam in noſtra poteſtate conſtituta eſt. Hæc eſt illa charitatis vnio, quam Apoſtolus vinculum perfectionis appellat, & in qua ſubſtantialiter Chriſtiana perfectio conſiſtit, & quam diebus ſingulis Oratione Dominica flagitamus illis verbis, *Fiat voluntas tua*; ſine qua nemo ſe perfectionem conſequi poſſe arbitretur, cùm ſit quaſi cardo & culmen ſpiritualis vitæ, ad quem veluti ad finem ceteræ omnes vniones, cuiuſcumque generis & conditionis ſint, ordinantur, Apoſtolo dicen-

dicente 1. Timoth. 1. *Finis præcepti dilectio eſt.*

Poſterioris Vnionis genus paſſiuæ Vnionis nomen ideò ſortitum eſt, quòd eius poſſeſſio à libera voluntate noſtra neutiquam dependeat; eſt quippe donum Dei peculiare, quo ipſe voluntatem noſtram ad vehementem amoris exceſſum promouet, cum potentiarum ſuſpenſione, ſenſuumque alienatione. Nec ideò vocatur paſſiua, quaſi voluntas nihil penitùs operetur; ſed quòd non ſit potens, etiam cum ſpeciali auxilio viâ ordinariâ à Deo iuſtis largiri ſolito, hanc vnionem acquirere, niſi ſpeciatim Dei gratiâ mediâ, aliqua donorum Spiritus ſancti operatione moueatur ac eleuetur. In hac autem motione ſe habet voluntas veluti paſſiuè: non tamen coactè, ſed potiùs ingenti cum ſapore, ſpontaneè, & ſæpè etiam liberè ad diuina eleuatur, nihilominùs tamen à Deo efficaciſſimè impellitur; quo ſenſu rectè D. Dionyſius de ſuo diſcipulo Dorotheo aiebat, quòd erat diuina patiens, eò quòd eius voluntas à Deo ad quamdam vnionem intimam, ſuauem, & delectabilem (quæ Vnio paſſiua ſolet appellari) ſuauiter ducebatur.

Harum Vnionum, tam actiuæ quàm paſſiuę, meminit Bernardus Serm. 2. de Aſcenſione: *Quidam trahuntur, qui dicere poſſunt: Trahe me poſt te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alij rapiuntur. Et primi quidem felices, qui in patientia ſua poſſident animas ſuas: ſecundi feliciores, qui ex voluntate ſua confitentur Domino: tertij feliciſſimi, qui in profundiſſima Dei miſericordia, quaſi ſepulta arbitrij libertate, in diuitias gloriæ, in ſpiritu ardoris rapiuntur, qui ſpreto ac ſupergreſſo adminiculo rerum ac ſenſuum, non aſcenſoriis gradibus, ſed inopinatis inſtantaneiſque exceſſibus feruntur*

Digitized by Google

*riuntur in Patrem.* Duo priores à Deo tracti, Vnioni actiuæ: tertij verò rapti, paſſiuæ deputantur.

Clariùs adhuc duplicem hunc Vnionis modum diſtinxit Dionyſius Carthuſianus in Commentarijs Myſticæ Theologiæ D. Dionyſij Areopagitæ verbis ſequentibus: *Porrò viri fideles, heroici & perfecti, longè ſublimiùs Myſticam Theologiam ſortiuntur, experiuntur, venantur per ſupernaturalia chariſmata Spiritus ſancti; quod & dupliciter accidere ſolet. Primò, per eorum præparationem, cooperationem, & conatum ad hoc dando ſeipſos ad abſtractionē à cunctis creatis, & ad feruidam vnionem cum Deo per recollectionem mentis ſuæ ad intra, & per affectuoſiſſimam diuini inuocationem auxilij, ac conſiderando inflammatiua diuini amoris. Secundò fit iſtud modo mirabili & eminentiori, quamuis forſan non magis meritorio ſemper, videlicet, dum feruens amor abſque conamine proprio præparationeque præuia, repentè præuenitur, præſtringitur, inflammatur, & ſuper ſe tollitur, contemplationiſque luce exuberanter perfunditur, præoccupatur, ac vincitur, vt etiamſi velit reſiſtere, nequeat, neque euadere poſſit ſupergratioſiſſimi ſpirituum amplexum ſponſi, à quo in regione luminis infiniti transfertur, in quo verè idem ſunt, regio, & habitator.*

De hac etiam diſtinctione Vnionis actiuæ & paſſiuæ, ſiue fruitiuæ, agit expreſsè Richardus lib. 5. de Contemplatione, c. 6. Porrò prior, nempe Actiua, à Myſticis dicitur ſobria, quia ſpiritus noſter ſui compos vnum fit cum Spiritu diuino. Secunda verò, id eſt paſſiua, ebria, quia ductus in cellam vinariam ibi intimâ cum Deo vnione diuini amplexus dulcedine ſuauiſſimè inebriatur. De illa dicitur Cant. 5. *Bibite amici*; de hac autem, *Inebriamini chariſſimi*. Rurſus, prior illa conſiſtit in quadam adhæſione

Digitized by Google

ſione cum Deo; poſterior, in adhæſione & fruitione; quod proprium perfectorum eſt, ideoque vocatur à Contemplatiuis ſuauis, dulcis, ac felix, propterea quòd hoc in ſtatu micæ nonnullæ panis illius cæleſtis, quo Beati ſatiantur in cælis, prægustari incipiant.

Demum illa Vnio, quæ ſobria nuncupatur, ab habitu charitatis, vel etiam à dono Sapientiæ procedere ſolet, maximè quando cognitio eſt dulcis & ſaporoſa abſque vlla ſenſuum abſtractione. Quæ verò ebria dicitur, à Sapientiæ dono, (vel forſan ab altiori principio) quod inter alia Spiritus ſancti dona nobiliſſimum eſt, non vtcumque dimanat, ſed eminentiori modo & diuiniori, quando ita præ amoris ſapore & magnitudine, & lucis fulgore, mens tanta vi & ardore Deo ipſi immediatè coniungitur, vt in ecſtaſim rapiatur. Hanc igitur ecſtaticam & fruitiuam Vnionem, eiuſque gradus, ſupereſt vt explicemus.

## CAPVT VI.

### *De gradibus Vnionis ecſtaticæ & fruitiuæ.*

ECSTASIM diuinam à tribus præcipuè fontibus dimanare, auctor eſt venerabilis Richardus lib. 5. de Contemplatione, qui latiſſimè à cap. 5. vſque ad 14. de hac re præclaram tractationem, eruditè quidem, vt ſolet, inſtituit. Nos verò breuitati conſulentes, ecſtaſis ſiue alienationis tres cauſas principiáve ad breuem ſummam reducemus; illud in primis prænotantes, noſtræ intentionis eſſe, tantùm de ſupernaturali ecſtaſi diſſerere, cuius ipſe Deus efficiens eſt cauſa, cùm eius inſpiratione & afflatu anima excedere & à ſenſibus abduci ſolet, vt inte-

interim eam excludam ecſtaſim, quæ vel à dæmone, vel à nimia imaginationis actuatione, ſeu ab infirmitate prouenire ſolet.

Tribus igitur de cauſis animam in alienationem ferri Richardus docet, aut præ magnitudine deuotionis, aut præ magnitudine admirationis, aut præ magnitudine exultationis. Primum horum ornat affectum, ſecundum illuminat intellectum, tertium vtrumque conſequitur.

Oritur ergo ecſtaſis ex magna deuotione ſiue amore, quando anima tanto deſiderij cæleſtis & diuini amoris igne ſuccenditur, vt ad ceræ ſimilitudinem liquefiat, & quaſi à proprio ſtatu dimota, & inſtar fumi attenuata, ad ſuperna conſcendat. Cui deuotioni & amori aliquando magnitudo lucis adiungitur, aliquando ſolus deuotionis affectus alienationem operatur.

Oritur deinde ex ingenti admiratione, quando anima diuino lumine irradiata, & ſummæ pulchritudinis perfectioniſque diuinæ cognitione ſuſpenſa tam vehementi ſtupore concutitur, vt in ſimilitudinem fulguris coruſcantis, tranſcenſis ſenſibus, in ſumma eleuetur. Et hæc quidem admiratio ac perfecta cognitio, interdum animæ non præuentæ aduenit; interdum in eam affectui amoris vel profundæ meditationi incumbentem irruit; interdum à lumine incipiens in ardentiſſimum feruorem deſinit. Tunc etiam homo ab exterioribus ſenſibus alienatus, vel ſenſibus interioribus vtitur, (cùm ſcilicet imaginatio contemplationi intellectus cooperatur;) vel etiã à ſenſibus interioribus aliquando abſtractus ſine vlla forſan phantaſmatum incurſione, vt libro de Contemplatione latiùs pertractauimus, Deum intuetur, & amore voluntatis, qui



Digitized by Google

hanc cognitionem ſequitur, ardentiſſimè diligit.

Oritur tandem ecſtaſis ſiue raptus ex ineffabili exultatione, quando anima æternæ ſuauitatis abundantiâ potata, imò & plenè inebriata, quid ſit & quid fuerit penitùs obliuiſcitur, & in alienationis exceſſum lætitiæ nimietate transfertur. Hæc autem iucunditas ſupra modum læta, & hæc exultatio ſupra omnem ſenſum noſtrum iucunda, aut magnam deuotionem, aut magnam admirationem ſupponit. Quia ſi anima ſummum illud bonum, quod impensè deſiderabat, aut affectu, aut intellectu non poſſideret, nequaquam tam ineffabiliter exultaret, nec ſenſuum vſum præ admiratione deponeret.

Præclariùs tamen & conuenientiùs ſanctus Bernardus Serm. 49. in Cant. (cuius etiam ſententiæ ſubſcripſit D. Thomas 2.2.q.175.art.1.& 2.) duplicem exceſſus cauſam tantùm agnouit; alteram, qua exceſſus in intellectu ex abundantia ſupernaturalis luminis; alteram, qua in affectu, præ nimio amore ſiue delectatione cauſatur: vnde exponens illa verba Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, &c.* ita inquit: *Cùm enim duo ſint beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu vnus, & alter in affectu; vnus in lumine, alter in feruore; vnus in agnitione, alter in deuotione: pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ deuotionis infuſio, etiam & vehementi ſpiritus repletus zelo, non planè aliunde quàm è cella vinaria reportantur; & cuicúmque cum horum copia ſurgere oratione donatur, poteſt in veritate loqui: Quia introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Primus exceſſus, qui in maximo lucis ſplendore fit, poteſt ſine ſecundo, qui ab amoris ardore oriri ſolet, aliquando contingere: intellectus enim operationes ab his, quæ à voluntate dimanant, non pen-

pendent, in voluntate verò nullus mentis exceſſus, ſiue ab amore, ſiue à delectatione proueniat, abſque præuia intellectus cognitione accidere poteſt: poteſt tamen, licet raro, amoris exceſſus, nulla percepta in voluntate delectatione, cauſari.

Illa verò ecſtaſis, quæ ex amoris magnitudine ſiue iucunditate cauſatur, à dono Sapientiæ, tamquam ab vberrimo fonte deſcendit: nam cùm hæc ecſtaſis ſiue exceſſus ſit cum amoroſa vnione coniunctus, atque hæc ſit nobiliſſima atque diuiniſſima operatio hominis; neceſſe eſt, vt à nobiliſſimo principio ac excellentiori dono efficiatur, vel ab alio ſublimiori promanet.

Illud prætereà obſeruatione dignum videtur, mentis exceſſus, quicumque ſint illi, dummodò ex amore & delectatione cauſentur, ad tres potiſſimùm gradus reduci, vt in Tractatu de Donis Spiritus ſancti pleniùs annotauimus, vbi tres gradus, infimum, medium, & ſupremum tam in dono Intellectus quàm Sapientiæ diſtinximus: quorum infimus ad vitam Purgatiuam, ſecundus ad Illuminatiuam, vltimus ad Vnitiuam pertinet. Hi igitur amoroſæ & ſapidæ contemplationis gradus, cùm mens per donum Sapientiæ eleuata diuinis inhæret, ac ea ex ſplendidiſſimo ac ſuauiſſimo amoris lumine intuetur, & per amorem & fruitionem in Deum tranſformatur, ac illi vnitur, cum ecſtaſi ferè ſemper contingere ſolent; & tunc mente per amorem & delectationem cum ſenſuum abductione quoquomodò vnita, latè quidem Vnio fruitiua dici poteſt, quia anima Deo per amorem inhęret, eoque ſuauiter perfruitur. Vnde in omnibus his tribus ſtatibus Vnio, quæ fruitiua dicitur, ſecundùm varios perfectionis gradus inuenitur.

Quare primus ecſtaticæ ſiue fruitiuæ Vnionis gradus tunc contingit, cùm è rerum viſibilium intuitu, ſuperna & inuiſibilia ex ardentiſſimo ac dulciſſimo amore, Deo animam per Sapientiæ donum illuſtrante, contemplamur. Solet enim aliquando in hoc contemplationis genere gratia clementiſſimi Dei inſtar riuuli in vires ſenſitiuas ita influere, vt ex eius vehemẽtia mentis alienatio reſultet. Hic autem raptus in inferiori animę parte perficitur, & ad viam ſupernaturalem Purgatiuã reducitur, in qua etiam Deus Incipientes mira ac incredibili voluptate permulcet, & ſupremo lumine illuſtrat. Gradus autem huius Vnionis, vtpote quæ à vehementia amoris & delectationis ſenſibilis cauſatur, non adeò defæcatus & purus eſſe ſolet, quoadusque animus ad puriſſimam virium ſuperiorum vnionem aſſurgat.

Secundus gradus, qui præcedentem conſequitur, ille dicitur, cùm ſpiritus humanus ad ſubtiliorem ac nobiliorem aſſurgens Dei contemplationem, immediatè, quæ diuina ſunt, abſque creaturarum ſpeculo conſpicit, ac eis amore dulciſſimo inhæret; vbi ſicut cognitio eſt altior & ſubtilior, ita affectio nobilior & purior: ſuauiſſimus enim Deus in hoc gradu intellectum ſublimiùs eleuat, ac voluntatem veluti trahit ad altiorem quemdam amoris & delectationis amplexum, quàm in priori gradu; ex cuius vehementia homo à ſeipſo abductus, ad diuina ſublimatur. Hic autem gradus, veluti excelſior primo, ſupernaturalem & Illuminatiuam viam concernit.

Tertius verò Vnionis fruitiuæ gradus tunc contingit, quando ſupra rerum ſenſibilium ſiue intelligibilium ſpecies ſiue imagines, ſimplici intelligentiæ oculo Deum ipſum, ſupra omne id quod intelligi & concipi poteſt, per omnium ablationem ingredien-

dientes diuinam caliginem ( vt S. Dionyſius loquitur) intuemur, eique intimè & immediatè vnimur, ac diuinam eius præſentiam vitali ſenſatione percipimus, in eumque per amorem fruitiuum transfundimur: qui gradus omnium aliorum ſupremus ad ſupernaturalem viam, quam Vnitiuam appellamus, verè ſpectat.

Primus igitur gradus in prima animæ regione, ſecundus in media, tertius verò in ſuprema perficitur; ac hi tres gradus, quos diximus tribus hierarchiis, ſiue triplici animæ cælo, ſecundùm potentiarum diuiſionem (de qua nos in Tractatu de Contemplatione ſupernaturali plenè locuti ſumus) correſpondent.

Hæc denique ecſtatica Vnio & fruitiua, ſecundùm hunc triplicem gradum conſiderata, partim ad Incipientes, partim ad Proficientes, partim etiam ea, quæ perfecta eſt & ſuprema, & quæ verè Vnio fruitiua dicitur, ad Perfectos ac heroicos viros ſpectat, quod Magiſtri ſpirituales memoriæ ſedulò deberent mandare: nam huius doctrinæ ignorantiâ multos erraſſe vidimus, exiſtimantes quemlibet mentis exceſſum rem eſſe magni momenti, & heroicæ virtutis manifeſtiſſimum indiciũ, ac arctiſſimam & immediatam eſſe cum Deo fruitiuam vnionem, cùm non rarò non tam ab obiecti nobilitate, quàm à potentiæ contemplantis debilitate oriatur. Imò, etiamſi Deo ipſo inſpirante diuinitus cauſetur, non tamen nobiliori & perfectiori modo ſemper à Deo efficitur: nam Deus auctor gratiæ & donorum ſupernaturalium, in ſuis operationibus ordinatè, ad inſtar naturæ, à minùs perfecto gradu ad perfectiorem aſcendit.

Hæc igitur Vnio fruitiua, quæ in hoc ſupremo

Perfectorum ſtatu percipitur, dupliciter contingit. Quædam tantùm in affectu, ſicut contingit etiam in aliis duobus Purgationis & Illuminationis ſtatibus (vt ſuperiùs hoc capite annotauimus) licet in hoc tertio ex maiori amoris, fruitionis & lucis plenitudine, quàm in aliis inferioribus ſtatibus cauſetur. Alia verò, quæ propriè myſtica & fruitiua nuncupatur, quæ verè non affectu tantùm, ſed in effectu animam immediatè Deo ipſi, arcano vinculo connectit, propriè ad hunc tertium ſtatum ſpectat. Differunt verò quamplurimum hi duo Vnionis ecſtaticæ gradus: nam in primo, anima per ardentiſſimum ac fruitiuum amorem Deo inhæret, ac in ipſum deliciosiſſimè transformatur, non tamen Deo immediatè vnitur, nec eius amplexum, deoſculationem, ſiue Deificam præſentiam percipit; experitur enim aliquando miram dulcedinis ſuauitatem, ardentiſſimum amorem, & ſplendorem Dei, ſiue radios diuini Solis in eſſentia animæ commorantis, non tamen ipſum ſolem, nec illum feruentiſſimi caloris, fecunditatis, lucis & ſplendoris vberrimum fontem attingit, ideoque adhuc optat Deum præſentem ſentire, ac in nudis eius brachiis requieſcere. Quare altior Vnionis & præclarior gradus ille dicitur, cùm Deus menti ad eius arctiſſimam vnionem anhelanti ſeſe immediatè communicat, infundit, illabitur, ac manifeſtat, eamque ad ſe eleuat, intra ſe rapit, deoſculatur, amplectitur, ac ſe intuendum, guſtandũ, fruendum offert, ac liberaliter exhibet. Quare hæc Vnio, in qua Deus animæ oſtendit ſe & manifeſtat, eſt immediata atq; experimentalis cognitio Dei per vnitiuum amplexum amoris, dum ei ſupremus affectiuæ apex per amorem vnitur ardentiſſimum. Hæc eſt vnio omnium feliciſſima,

quæ

Digitized by Google

quæ ab omnibus aliis in eo potiſſimũ differt, quòd illæ mentem Deo tantùm per affectum coniungant, hæc verò ipſi Deo in affectu & in effectu reali, & immediata voluntatis coniunctione animam connectit, de qua latiùs infrà, Deo propitio, dicemus: priùs tamen Vnionis ecſtaticæ & fruitiuæ dignitatem tam ex Scripturæ ſacræ quàm Patrum ſententiis ſtabiliemus.

## CAPVT VII.

### *Scripturæ ſacræ teſtimoniis Vnio fruitiua oſtenditur.*

LINGVA amoris non amanti barbara eſt, vt pulchrè Bernardus Serm. 79. in Cant. prędicat; nec enim animalis homo percipere ea quæ Dei ſunt poteſt. cuius rei eam rationem reddit S. Auguſtinus, quia in homine carnali, regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi. Quare his, qui Dei ſuauitatem neutiquam prælibarunt, ac diuinarum affectionum expertes ſunt, non mirum videri debet, ſi ea quæ arcana ſunt ac recondita, nequeant adipiſci. Quare non defuere etiam hoc ſæculo proterui Theologi, qui exiſtimarent hanc, quam nos ecſtaticam & fruitiuam Vnionem nuncupamus, rem eſſe à Myſticis Doctoribus adinuentam, non tamen ex Euangelio aliiſve Scripturæ locis, ſiue Patrum doctrina poſſe probari: vnde hi, qui Theologorũ nomine inaniter gloriantur, Myſticorum doctrinam in hac parte, tamquam vanam ac ineptam, ſeu potiùs phantaſticam, irridere ſolent; cùm tamen ſint Scripturæ ſacrę oracula non pauca, Patrumque teſtimonia quamplurima, quæ Vnionem hanc apertis verbis confirment, vt pleniùs ex dicendis infrà conſtabit.

Sed antequam ad Scripturæ teſtimonia accedamus, illud in primis præmittendum duxi, Scripturam ſacram non ſemper eiſdem verbis, quibus nos Vnionem vſurpamus, appellare ſolere, ſed & pluribus aliis, æquipollentibus tamen, quorum aliqua vnionem ipſam, ſcilicet ſtrictiſſimam animæ cum Deo per amorem cum ingenti ſuauitate connexionem ſiue arcanum vinculum, alia incredibilem dulcedinem, alia mirabilem ſplendorem, alia demum nunc effectus, nunc proprietates ac circumſtantias alias clariſſimè denotant, vt iamiam, antequam ad vlteriora progrediamur, ex variis epithetis in Sacra pagina huic Vnioni attributis, ſiue figuris tam veteris quàm noui Teſtamenti non obſcurè conſtabit.

Infinita propè ſunt, eaque præclara, quæ in Sacris literis ſub variis nominibus de hac ſingulari Vnione prædicantur: quorum aliqua Gerſon Tom. 2. Serm. de Spiritu ſancto, conſideratione 2. his verbis refert: *Hac eſt pax*, inquit, *qua exuperat omnem ſenſum, pax quam mundus dare non poteſt.* Et infrà: *Solus Spiritus Domini eſt, qui replet in bonis deſiderium noſtrum, qui adipe frumenti ſatiat nos, qui dat manna abſconditum, quo Propheta paſtus eructat: Quàm magna multitudo dulcedinis tua, Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Hic eſt calculus filiorum Dei, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi qui accipit. Hic in diuinam caliginem inſtar Moyſi vocatur ſpiritus: hic in ſibilo aura tenuis ſentitur Dominus, hic in thalamo dormit & requieſcit Salomon pacificus, & Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Hic guſtatur fauus mellis, fauus propter illuminationem intellectus, mel propter dulcorationem affectus. Hic Moyſes myſticus ducit gregem virium ſuarum in interiora deſerti. Hic ſedet ſolitarius, & leuat ſe ſupra ſe, vbi Dominus*



Digitized by Google

*minus loquitur ad cor eius. Hîc dicit Petrus, Bonum eſt nos hic eſſe; & Philippus, Sufficit; & Maria Magdalena, Vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Hîc introducitur anima in cellam vinariam, vbi bibit ebriam ſobrietatem ſpiritus, vbi ſuſpirabunda epithalamium canens verba dimidiat, Dilectus meus mihi, ait, & ego illi: ego dormio, & cor meum vigilat. Hîc obteſtatur dilectus de dilecta: Adiuro, vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, vel euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit.*

Idem Tom. 3. tract. 9. ſuper *Magnificat*, pulchra alia etiam huius arctiſſimæ mentis cum Deo fruitiuæ coniunctionis epitheta ſiue nomina in vnum coëgit. '*Dicitur*, inquit, *manſio Dei in homine, & hominis in Deo. Dicitur viuificatio & habitatio vitæ æternæ ſaltem in radice, vt hîc, Viuet in æternum, quia ſuam gratiam habet. Dicit autem Apoſtolus, quòd gratia Dei eſt vita æterna. Dicitur & oſculum oris ſponſi, quod petit ſponſa. Dicitur lac, & vinum, & vnguenta, & oleum effuſum. Dicitur introductio in cellaria, coniunctio dilecti inter vbera ſponſæ tanquam faſciculus myrrhæ. Dicitur ſuus decor, ſua quies in lectulo florido. Hoc eſt donum perfectum de ſurſum deſcendens, non aſcendens de deorſum. Hæc eſt Sapientia diuinitus inſpirata cum ſuis laudibus vniuerſis. Hoc diuinum ſilentium, hoc ſibilus auræ tenuis, hoc ſuſurrium verbi abſconditi, hoc vox quaſi auræ lenis, imò & tonitrui magni; & vt ad vnum colligamus innumera, quidquid ſonat manſionem, vel habitationem, vel inhæſionem, vel vnitatem vnius corporis & vnius ſpiritus, animæ cum Deo, ſponſæ cum ſponſo, vnicæ cum vnico.* Hactenus ille.

Oportet iam vt ſpeciatim ex aliis Scripturæ locis hanc vnitatem animæ cum Deo deducamus. Pri-

mò, Gen. 2. illis verbis, *Immiſit Dominus ſoporem in Adam*, non obſcurè ſignificatur: nam, vt benè Interpretes aduertunt, pro *ſopore* Hebraicè eſt *Thardemah*, id eſt, *immiſit grauem & profundum ſomnum*: vnde patet, non tantùm ſomnū hìc, ſed etiam ſimul cum ſomno raptum ſiue ecſtaſim mentis ad diuina intuenda intelligi. Imò ſunt qui putēt, Adamum in hac ecſtaſi Dei eſſentiam vidiſſe, in quam ſententiam apertè inclinat Richardus in 2. diſt. 23. art. 2. q. 1. Sed quidquid ſit de hac re, illud videtur apud Patres certum, Adam in hac ecſtaſi accepiſſe à Deo ſcientiam infuſam omnium rerum, ac pari modo ſibi infuſam fuiſſe fidem & cognitionem rerum ſupernaturalium altiſſimam, & denique ſummum contemplationis Dei & Angelorum gradum fuiſſe adeptum, vt ex S. Auguſtino & Gregorio Pererius docet ibidem.

Secundò, Exodi 33. cap. illis verbis, quibus Moyſes humiliter petebat à Deo, *Oſtende mihi faciem tuam*, huius Vnionis, de qua loquimur, præcipuè fieri mentionem, ex ipſo contextu apertè colligitur. Nam in primis loco illorum verborum, *Oſtende mihi faciem tuam*, Septuaginta vertunt, *Oſtende mihi teipſum manifeſtè*, aut *cognoſcibiliter*: non quia Moyſes his verbis claram Dei viſionem vel eſſentiæ diuinæ intuitum poſtulare videatur, ſed potiùs clariorem Dei viſionem, quàm in via de lege ordinaria Deus viatoribus ſolet concedere, vt rectè aduertit D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 3. ad 2. vbi explicat hunc locum de contemplatione altiſſima, quæ eſt infra diuinæ eſſentiæ viſionem, quæ numquam ſine arctiſſima amoris diuini vnione reperitur, quo etiam ſenſu idem D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad 1. exponit illam viſionem Iacob Gen. 32. *Vidi Dominum*

*facie*

*facie ad faciem*,&c. Videndus quoque S. Gregorius in illa verba Iob 33. *Videbit faciem eius in iubilo*, quæ in eodem fermè ſenſu ab illo declarantur lib. 24. Moral. cap. 7.

Tertiò, Verbis adeò illuſtribus hęc animæ ex Dei Vnione & deſponſatione felicitas proueniens ab Iſaia multis in locis apertè deſcribitur, vt vix clariora teſtimonia ex vniuerſa Scriptura depromi poſſint: is enim cap. 35. ſpiritu prophetico futuram Meſſiæ tempore ingentem bonorum ſpiritualium vbertatem eo verborum ornatu ac ſententiarum grauitate depinxit, vt nihil excogitari videatur poſſe ſublimius. Primùm enim Eccleſiam quaſi deſertam, & tempore Legis veteris arentem, habituram eſſe affirmat tempore gratiæ ſpeciem illam, quam habuerunt montes, pulchritudinis atque vbertatis nomine in Scriptura ſacra laudati: deinde, illo tempore ſpe futuræ libertatis, languentes & abiectos animos confirmandos ac roborandos fore; demum, Euangelici temporis ſtatum ac ſpirituale incrementum, ad finem vſque capitis mirificè deſcribit. Quare non abs re erit, vniuerſum Iſaiæ caput huic tractationi inſerere.

*Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt ei: decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum: quia ſciſſæ ſunt in deſer-*

*to aquæ, & torrentes in ſolitudine. Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam. Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint. Et redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude: & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.*

Expendenda ſunt illa verba: *Exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri,* &c. verè enim his verbis alluſiſſe videtur Iſaias ad illud Pſal. 62. *In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi.* Quaſi dicat: Animam, quæ priùs erat deſerta, arida, atque infructuoſa, conuertendam in locum irriguum & amœnũ; cuius ſpeciem & decorem montibus Libani & Carmeli ideò comparat, quia illi montes ſpecioſiſſimi ac fecundiſſimi atque deliciis pleni in Terra promiſſionis habebantur. Prætereà illis verbis, *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri*, quid aliud aptiùs clariúſve potuit ſignificari, quàm illapſus ille, ſiue manifeſtatio Dei in mentibus defæcatis, qua Deus animam amplectitur ac deoſculatur, ac ſe tangendum ac oſculandum præbet, quaque viciſſim anima amplectitur ipſum Deum: hanc enim eſſe propriiſſimè Vnionem ecſtaticam & fruitiuam, ſuperiùs attigimus. Deinde verba illa ſilentio non ſunt prætermittenda, *Tunc aperientur oculi cæcorum,* vſque ad finem, *Gaudium,* in-

inquam, *& exultationem obtinebunt.* Quibus quid aliud à Propheta ſignificari putas, niſi abundantiam gratiarum & donorum, quæ illis verbis, *Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine; & quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum,* denotatur apertè: non enim putei vel fontis aquarum, ſed & torrentis copia deſcribitur. Demum quid putas per ceruorum ſaltum, & linguæ mutorum apertionem, &c. aliaque ſimilia, niſi varios effectus huius diuinæ cum Deo coniunctionis denotari?

Idem quoque Iſaias cap. 58. ſi attentè & profundè conſideretur, non obſcurè ſanè huius Dei cum anima per amorem vinculi tenaciſſimi effectus docuit, dicens: *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Et poſt pauca: *Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Hæc Iſaias. Quibus expreſsè verbis requiem ſiue delectationem mirabilem, quam anima percipiet in hoc oſculo pacis, lucem & ſplendorem, quo mens à tenebris eruta illuminatur, ac felicitatem inſignem qua in hoc ſtatu fruetur, apertè declarat: quod ſimilitudine horti irrigui oſtendit. Magna ſanè eſt hortorum amœnitas ac iucunditas: quare Deus animæ à tenebris liberatæ felicitatem cum irriguo horto comparat, cui iugis aqua deeſſe non ſolet. Eſt autem hæc comparatio Scripturæ familiaris, Pſal. 1. de iuſto: *Erit ſicut lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* & Ierem. 31. *Eritque anima eorum quaſi hortus irriguus.* Obſerua interim, qualia Deus bona viris perfectis promittat; qualia inquit habere ſolet hor-

hortus, qui in pingui ſolo collocatus eſt; & cui aqua perennis numquam deficit. Demum iterùm ſuauitatem ac delectationem, quam mens in hoc ſtatu deguſtat, illis verbis exponit: *Tunc delectaberis ſuper Domino*. & vltrà addit, *& ſuſtollam te ſuper altitudines terræ*. Vbi illud verbum *altitudo* non tam propriè quàm figuratè pro terræ bonitate ſumitur, cui tanta ineſt vbertas, vt manare dicatur lacte & melle. Explicat autem deinde ſatis apertè, quænam ſit illa terræ bonitas ſeu altitudo metaphorica, dum ſubdit: *Et cibabo te hereditate Iacob*, nempe Terrâ promiſſionis, ſiue ſummæ iucunditatis & delectationis, quam ſpiritualiter Deus animæ ſibi vnitæ promittit. De hac altitudine terræ optimè Gregor. lib. 31. Moral. cap. 34. *Hoc namque eſſe ſpeciale ſpecimen electorum ſolet, quòd ſic ſciunt præſentis vitæ iter capere, vt per ſpei certitudinem nouerint iam ſe ad alta perueniſſe: quatenus cuncta quæ præterfluunt, ſub ſe eſſe videant: atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hic eſt enim, quod ſequenti ſe animæ per Prophetam Dominus dicit: Suſtollam te ſuper altitudines terræ. Quaſi quædam namque inferiora terræ ſunt, damna, contumeliæ, egeſtas, abiectio, quæ ipſi quoque amatores ſæculi, dum per lata viæ planitiem ambulant, vitando calcare non ceſſant. Altitudines autem terræ ſunt, lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor, & ſublimitas dignitatum; quæ qui per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat: at ſi ſemel cor in cæleſtibus figitur, mox quam abiecta ſint cernitur, quæ alta videbantur*. Hæc Gregorius.

Conſtat igitur ex dictis, qua ratione hæc tam grandia ac tam illuſtria, quæ à Deo per Iſaiam promiſſa ſunt, non ad quemlibet iuſtum, ſed ad eos qui

præ-

Digitized by Google

præclaris virtutibus præditi ſunt, ac qui à terra rerum ſupernarum intuitione ac amore longiſſimè diſtant.

Quartò, Ex libro Cant. expreſſiùs quàm aliunde hæc animæ cum Deo ſponſatio, coniunctióve, ſiue amplexus colligitur. Quis enim hunc librum, ſi attentè perſpexerit, totum in Dei & ſponſæ eius animæ diuinis enumerandis amoribus ac ſponſatione immorari non videat? Propterea compoſitus eſt ille Canticorum liber ſcilicet, vt fruitiui & mutui amoris exercitia ſub typo nuptiarum exprimerentur. Quid enim aliud oſculum, quod anxiè petit ſponſa, quid vinum, quid cella vinaria, quid vbera, vnguentum, oleum effuſum ſignificat, niſi felicem iſtam vnionem per caſtos amores inter ſponſum Deum & animam ſponſam? Quid præterea innuit illud vulnus, languor ille & liquefactio, quibus ſponſa affecta, aliquando liquefieri non rarò in hoc libro introducitur? *Fulcite me*, inquit, *floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo, quia vulnerata charitate ego ſum.* Demum poſt tot ſuſpiria & languores, animique defectionem, quid ſibi vult læua ſponſi ſub capite ſponſæ, & dextera illius amplexans, niſi quòd iam fructum gutturi ſuo ſuauiſſimum, quem anteà quærebat, perceperit, ac tota in totum lapſa & collapſa tota, complexu ſuauiſſimo, ſereniſſimò, & caſto in ſponſi ſinu compoſita quieſcat?

Quia verò eſſet prolixum opus, ſingula quæ ex Canticorum libro propoſuimus, Patrum teſtimonijs corroborare; ideò primam tantùm ſponſæ petitionem exponam. *Oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui.* Per quæ verba Gregorius Nyſſenus piam animam Dei fruitionem, quæ vnione fit charitatis, efflagitare docet. A qua ſententia non diſſentiunt Augusti-

guſtinus lib. de Amicitia, cap.6. Tom.4. Sanctus verò Gregorius Papa in cap.1. Cant. Spiritus ſancti præſentiam ſiue manifeſtationem, oſculo ab ſponſa petito denotari aſſerit: cuius ſententiæ ſubſcribit D. Bernardus, qui Serm. 3.4.& 9. diſtinxit triplex oſculum; primum pedis, ſecundum manus, tertium verò oris. *Quod tunc contingit*, inquit Bernardus, *cùm iam conſumpto luctu pœnitentiæ, iam acceptis virtutum donis, mens cælesti deſiderio inſpirata, ad ſecreta interioris cubiculi gaudia impatiens amoris introduci deſiderat, ac proinde congruentiſſimè tertium petens, inquit, Oſculetur me oſculo oris ſui. id eſt, Vnum quod mihi reſtat efflagito, vt perfectè per Spiritus ſancti infuſionem cum meo vniar dilecto.* Vide eumdem Bernardum Serm.8. in Cant. ibi: *Nec enim exiguum aut vile putat oſculari ab oſculo, quod non eſt aliud niſi infundi Spiritum ſanctum.* Et infrà: *Petit oſculum, id eſt Spiritum ſanctum inuocat, per quem accipiat ſimul & ſcientiæ guſtum, & gratiæ condimentum: eſt quippe Spiritus ſapientiæ, & intellectus, qui inſtar apis ceram portantis & mel, habet omnino & vnde accendat lumen ſcientiæ, & vnde infundat ſaporem gratiæ.* Hæc ille. Quibus apertè verbis anima diuino amore vulnerata, non tam gratiam & amicitiam ſponſi, quàm ipſius ſponſi gratiæ & charitatis auctoris præſentiam & oſculum petit.

Quintò, Huius quoque altiſſimę cum Deo Vnionis S. Ioannes Euangeliſta cap.14. meminit, dicens: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Quę verba S. Cyrillus lib.10. cap.1. de perfecta manifeſtatione Dei intelligit, quæ fit viris qui in ſanctitate prouecti ſunt, quibus Deus multò magis ſe manifeſtat,

Digitized by Google

ſtat, ac ad cognoſcendum ſe præbet: quod intelligere oportet, vt benè adnotauit Toletus ibi, non de cognitione ſpeculatiua, quæ etiam in peccatore poteſt eſſe maior quàm in viro perfecto; ſed practica & experimentali, quâ Deus hîc agnoſcitur per notitiam vnitiuam & experimentalem, vt infrà pleniùs declarabimus.

Sextò, S. Apoſtolus Paulus non ſemel in Epiſtolis hanc ecſtaticam vnionē confitetur. Epiſtola enim 2. ad Corinth. cap. 5. ſic ſcribit: *Siue mente excedimus, Deo; ſiue ſobrij ſumus, vobis: charitas enim Chriſti vrget nos*, &c. In quæ verba Theophylactus, *Inſaniebat*, inquit, *itaque Paulus amatoria quadam inſania Deum amans, ac amatoris inſtar illi viuens, nempe ad amatum extra ſeipſum raptus, ac totus in Deum tranſlatus, nec ſuam ipſius vitam viuens, ſed illius quem amat*. Quare S. Auguſtinus, Beda, & Anſelmus, hunc locum accipiunt de ecſtaſi & raptu Pauli. *Quid eſt*, inquit Auguſtinus apud Bedam, *Mente excedimus Deo, vt illa videamus, quæ non licet homini loqui?* Idem quoque Auguſtinus in Pſal. 113. *Quid eſt, Mente exceßimus Deo? Exceſſimus omnia iſta carnalia, & quod vidimus, effari non poſſumus*. Mente enim tunc guſtatur, quod linguâ exprimi nequit.

Septimò, Idem Apoſtolus 2. ad Corinth. c. 12. docet. *Scio*, inquit, *hominem raptum vſque ad tertium cælum*. Et infrà dicit, *quòd raptus ſit in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Et licet hunc locum Pauli multi ex Patribus intelligant de raptu Pauli ad viſionem diuinæ eſſentiæ, cui ſententiæ adhærent S. Auguſtinus, S. Thomas, & plures alij; contrariam tamen opinionem quamplurimi etiam ex Patribus probabiliorem iudicarunt, inter quos fuit Hieronymus, Gregorius, Cyrillus,



Digitized by Google

Chryſoſtomus, ac paſſim alij tam Patres quàm Scholaſtici Doctores, quorum meminit Molina 1.p.q.12.art.11.diſput.2. Hi omnes in hoc raptu tam ad tertium cælum quàm ad paradiſum, intelligunt Apoſtolum non tantùm intellectu raptum, ac altiſſima vidiſſe myſteria, ſed & voluntate ineffabilem inde voluptatem hauſiſſe; hanc enim ſignificare docent illam vocem *paradiſum*.

## CAPVT VIII.

### *Ex miſsione Spiritus ſancti in Apoſtolorum corda, hæc animæ cum ipſo Spiritu ſancto ineffabilis coniunctio confirmatur.*

TAM ex miſſione Spiritus ſancti, quàm ex eius mirabili ſuſceptione in die ſolemni Pentecoſtes celebrata, hæc ineffabilis Spiritus ſancti cum anima deſponſatio, ſiue illapſus & manifeſtatio dilucidè ſatis conuincitur. Refertur enim Act. 2. Spiritus ſancti aduentus in Apoſtolorum corda, anteà in Euangelio à Chriſto Domino promiſſi, illis verbis: *Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Quæ verba, quia profundiori & exactiori ſenſu à nobis ſunt exponenda, & forſan planiori & probabiliori, breuiter aliqua erunt obſeruanda.

Primum ſit, ante hunc aduentum Spiritus ſancti Apoſtolos ac diſcipulos Domini Spiritu ſancto non caruiſſe, vt notant Patres, præcipuè Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 17. Leo Serm. 3. de Pentecoſte, S. Thomas, & complures alij: ſed in hoc aduentu docent, Apoſtolos eum maiori copia & abundantia ſuſcepiſſe, & nouos effectus eiuſdem Spiritus ſancti maiori cum plenitudine deguſtaſſe, &

ob

Digitized by Google

ob eam ſolùm cauſam Spiritu ſancto repletos propriiſſimè dici fatentur.

In quo verò iſta plenitudo Spiritus ſancti conſiſtat, non omnes eodem modo exponunt. Richardus de S. Victore in Sermone de Miſſione Spiritus ſancti, acutè diſtinguit inter Spiritus ſancti infuſionem, diffuſionem; & effuſionem. *Infuſio*, inquit, *eſt, etiamſi minus influat quàm vas capere poſſit. Diffuſio, quando eouſque profunditur, donec nulla eius pars vacua relinquatur. Effuſio, quando quod infuſum eſt ſupereffluit, ita vt aliis quoque proſit.* Subdit præterea, Spiritu ſancto vel gratia plenum dici, qui talem tantámve accipit, ad qualem quantámve habitudinis ſuæ capacitate idoneus eſt: ſicut vaſculum plenum dicimus, quando tantum capit, quantum capere poteſt; & plenus fons eſt, plenum flumen, pleni riuuli.

Alij verò Patres, agentes de Spiritu ſancto dato in Pentecoſte Apoſtolis, non immeritò intelligunt illa die Spiritum ſanctum datum fuiſſe Apoſtolis, non ſolùm per donorum ſiue chariſmatum communicationem, ſed per ſuam præſentiam, & eſſentiam, ac ſubſtantiam de nouo Apoſtolorum mentibus aduenisse. Ita S. Gregorius Nazianzenus Orat. 44. de Pentecoſte, poſtquam dixit Spiritum ſanctum datum diſcipulis, & ante paſſionem, & poſt reſurrectionem, & tandem in Pentecoſte; inquit: *Verùm obſcuriùs primùm in eis efficax erat; ſecundò, expreſſiùs; nunc verò pleniùs, vtpote, qui non iam actu* (id eſt effectu) *præſens ſit vt priùs, ſed eſſentia (vt ſic loquar) adſit, ſimulque verſetur.* Hæc Gregorius.

S. Auguſtinus clariùs & expreſſiùs hanc Spiritus ſancti præſentiam Serm. 185. de Tempore confitetur. *Ergo Spiritus ſanctus*, ait, *in hac die ad præpa-*

*randa Apoſtolorum ſuorum corda, velut imber ſancti- ficationis illapſus eſt, non iam viſitator ſubitus, ſed perpetuus conſolator, & cohabitator æternus: nam ſicut de ſemetipſo Matth. 28. Apoſtolis ſuis dixerat: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi, ita etiam de Spiritu ſancto: Paraclitum, inquit, dabit vobis Pater, qui vobiſcum ſit in æternum. Adfuit ergo in hac die fidelibus ſuis, non iam per gratiam iuſtificationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis; atque in vaſa non iam odor balſami, ſed ipſa ſubſtantia ſacri defluxit vnguenti, &c.*

Didymus lib. 1. de Spiritu ſancto, Spiritus ſancti Diuinitatem ex eo probat, Quia Apoſtoli aliique viri præclariſſimi eo ſcribuntur fuiſſe impleti. *Nemo autem*, inquit ille, *ſiue in Scripturis, ſiue in conſuetudine plenus creaturâ dicitur.*

Hæc tamen Patrum ſententia aliquibus, qui eorum ſenſum intimè non penetrarunt, nimis dura, imò & falſa viſa eſt, cùm tamen ſit omnino veritati conſona, aliiſque aliorum ſententiis probabilior & certior. Ea enim fuit mens D. Auguſtini, Gregorij, aliorumque Patrum, vt exiſtimarent Spiritus ſancti aduentum in diſcipulos factum fuiſſe, non tantùm per miſſionem donorum, ſed per ipſius Spiritus ſancti infuſionem, illapſum, ſiue manifeſtationem, ac per ſuam præſentiam eſſentialem in corda diſcipulorum fuiſſe dilapſum.

Quæ vt clariora fiant, ſcire in primis oportet, Deum ſimul cum gratia iuſtificante iuſtorum mentibus ſupernaturaliter illabi, ac præſentem fieri, ita vt ſi aliàs ratione ſuæ immenſitatis non adeſſet iuſtorum animabus, ratione gratiæ & iuſtificationis omnino in eas venire diceretur, ſecundùm illud Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum facie-*

Digitized by Google

*facienus*. Et hæc quidem eſt communis Patrum ſententia.

Secundò, Mentem noſtram per gratiam iuſtificantem ipſi Deo (ſecundùm eius eſſentiam in anima exiſtenti) vnione diuina, accidentali tamen, copulari, vt pleniùs cap. 3. huius primæ tractationis aſſeruimus. Hæc tamen vnio per gratiam & charitatem, eſt habitualis, & quaſi in actu primo, vt more Theologorum loquar.

Tertiò, Illud deinde meminiſſe oportet, quod etiam in ſuperioribus adnotauimus, felicitatem perfectam quâ fruuntur Beati in cælis, imò imperfectam ſiue inchoatam, quæ etiam in hac vita ſuo modo reperitur, non poſſe in habituali cum Deo vnione quantumuis perfecta conſiſtere, ſed neceſſariò in operatione, ſiue actuali cum Deo coniunctione ſitam eſſe debere: vnde quemadmodum beatitudo illa cæleſtis conſiſtit in illapſu Dei, præexiſtentis anteà in animæ eſſentia, in potentias animæ, vt communis Theologorum ſententia tenet. Non enim excogitari poteſt nouus illapſus, aut manifeſtatio Dei in gloria illa cæleſti, niſi illa quæ fit per iſtum illapſum, quo Deus quaſi latens in centro animæ tam intellectui clarè videndum, quàm voluntati fruendum ſeſe offert, iuxta illud Pauli: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Reuelabitur inquam ea, quæ intus latebat, per habitationem Dei clarè & manifeſtè in mentibus iuſtorum.

Ita eodem fermè modo, vt pleniùs ex dicendis infrà conſtabit, in Vnione iſta feliciſſima animæ cum Deo (quamuis non ita perfecta) contingit. Eſt enim Deus ipſe, vt auctor eſt ſupernaturalis gratię, ſecundùm ſuam eſſentiam omnino præſens iuſtorũ men-

 tibus,

tibus, ac per gratiã habitualem & charitatem, quaſi in actu primo vnitus & coniunctus, tamen omnino abſconditus; nec enim eius præſentiam experiri aut percipere valemus, niſi id ex ſpeciali gratia & fauore contingat: manifeſtat tamen ſe Deus aliquando mentibus defæcatis, ac ab omni labe purgatis, ita vt eius præſentiam immediatè per vnitiui amoris amplexum experimentaliter percipiant & guſtent. Hæc autem manifeſtatio præſentiæ Dei (vt inferiùs clariùs oſtendemus) fit per illapſum Dei in potentias animæ, ita vt Deus per eius eſſentiam & ſubſtantiam fiat præſens, (licet non ita perſpicuè ac in gloria) intellectui & voluntati Sanctorum; & hęc huius vitæ ſumma beatitudo & felicitas eſt.

Ex his non obſcurè percipies, Spiritus ſancti miſſionem in Apoſtolos non fuiſſe tantùm per plenitudinem & affluentiam ſpiritualium donorum, ſed potiùs per exhibitionem & illapſum ipſius Spiritus ſancti perſonæ in eorum corda; quòd expreſsè voluit S. Auguſtinus, dicens: *Adfuit in hac die Spiritus ſanctus fidelibus non iam per gratiam viſitationis & operationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis.* Quod ampliùs declarat illo exemplo balſami, quo non tam odorem balſami, quàm ipſam ſubſtantiam vnguenti defluxiſſe docet; & S. Gregorius Naziãzenus, *Primò*, inquit, *in eis Spiritus ſanctus operabatur, ſed tamen erat abſconditus & obſcurus*; loquitur de Apoſtolis ante Chriſti mortẽ. *Secundò*, inquit, *id eſt poſt Chriſti reſurrectionem, expreſſius operabatur Spiritus ſanctus. Nunc verò, Act. 1. in Pentecoſte, vtpote qui non tantùm actu* (id eſt actu primo & habitualiter) *præſens ſit, ſed eſſentiâ eorum mentibus adſit, ſimulque verſetur:* hoc eſt, vt pręſens ſit per ſuã eſſentiam, ac intimè in actu ſecundo per deoſculationem & dul-

dulciſſimum amplexum Apoſtolorum mentibus vnitus. Hæc eſt vera S. Auguſtini & Nazianzeni expoſitio. cuius mentem cùm non eſſet aſſecutus Niceta eius Interpres, anxiè torquetur, vt illud verbum *eſſentia*, quo vſus eſt propriiſſimè S. Gregorius, in ſano ac Catholico ſenſu exponat.

Fit igitur ex dictis, Spiritus ſancti repletionem, (quæ in illo ſolemniſſimo Pentecoſtes feſto diſcipulis feliciter contingebat) eſſe ipſius Spiritus ſancti, ſiue totius Trinitatis illapſum ac manifeſtationem in diſcipulorum corda, quam Apoſtoli per experimentalem perceptionem ac cum ipſo Spiritu ſancto vnionem feliciter deguſtarunt. Experti enim ſunt ineffabili modo per intimum & arcanum contactum ſiue amplexum, ipſius Spiritus ſancti & totius Trinitatis præſentiam, alioſque mirabiles effectus, eo modo, quo pleniùs ſequentibus capitibus exponemus.

Hanc noſtram ſententiam alij quoque grauiſſimi Patres libenter amplectútur. Ambroſius Serm. 1. in Pſal. 118. verſ. 1. S. Gregorius in illa verba Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* & Bernardus in Cant. Serm. 8. (vt in ſuperioribus attigimus) docent, per oſculum quod petit ſponſa, non Spiritus ſancti dona, ſed ipſum Spiritum ſanctum intelligi. Præstereà non deſunt Patres, qui per introductionem in cellam vinariam, de qua Cant. 2. mentio fit, etiam intelligant exhibitionem & ſuſceptionem Spiritus ſancti, quæ præſertim in die Pentecoſtes facta eſt.

Confirmari præstereà poteſt hæc noſtra de Spiritus ſancti miſſione ſententia ex alio loco Ioan. 14. cuius expoſitio multorum torſit ingenia, vt inuenire poſſent tam ſenſum, quàm illius loci contextum, quem nos propitio Spiritu ſancto adepturos eſſe

 ſpe-

Digitized by Google

ſperamus. Verba igitur Ioannis illa ſunt: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea; ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Hactenus D. Ioannes.

Horum verborum, quæ nimis obſcura viſa ſunt Interpretibus, ſenſum vt exponamus, obſeruandum eſt id quod communiter omnes huius loci expoſitores aduertunt, ſcilicet, quòd cùm mentio fit de aduentu Spiritus ſancti, vt illis verbis, *Et alium Paracletum dabit vobis*; vel de Filio, vt illis, *Et manifeſtabo ei meipſum*; non eſſe ita intelligendum, vt aduentus Spiritus ſancti, totius Trinitatis, ſcilicet Patris & Filij, excludat conſortium, quemadmodum nec Spiritus ſancti aduentus excluditur, cùm dicitur Ioan. 14. *Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus*, &c. Opera enim Trinitatis ad extrà, ſunt indiuiſa. Quidquid enim de vna perſona prædicatur & dicitur, æquè omnibus conuenire dignoſcitur. Præterea illud obſerua, hanc tam illuſtrem promiſſionem, & quæ tam præclara continet, non omnibus, ſed tantùm Apoſtolis ſiue diſcipulis factam fuiſſe, vt conſtat apertè ex illis verbis, *Alium Paracletum dabit vobis*. & iterùm ex illis verbis: *Vos autem cognoſcetis eum: Apud vos manebit*. &, *Non relinquam vos orphanos*. Deinde expreſſè ex illis, *Et vos in me, & ego in vobis*. Quare non abs re vnus diſcipulorum

petiit

Digitized by Google

petiit à Domino, *Quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo.*

In hoc igitur loco Chriſtus Dominus apertè incipit tractare de Spiritus ſancti aduentu in corda diſcipulorum, quem diſcipulis mandata ſeruantibus promittit. Et cùm mandata non poſſint ſeruari niſi in Spiritu ſancto, perſpicuum eſt, diſcipulos ante aduentum Spiritus ſancti habuiſſe iam Spiritum ſanctum, vt rectè aduertit Auguſtinus tract. 74. in Ioan. Quare hæc promiſſio facta à Chriſto Domino, intelligenda eſt de plenitudine Spiritus ſancti: quæ plenitudo (vt ſuperiùs adnotauimus) non tam in Spiritus ſancti donis, quàm in perſonæ ipſius infuſione ac manifeſtatione in diſcipulorum cordibus intelligenda eſt. Deinde ſequentibus verbis, *vt maneat vobiſcum*, &c. Spiritum ſanctum non ſolùm promittit venturum, ſed & cum ipſis Apoſtolis in æternum permanſurum: quod & verè impletum eſt in Apoſtolis: nam à gratia illa, quam adueniente Spiritu ſancto acceperunt, numquam exciderunt, nec in æternum excident.

Addit prætereà, *Quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.* Quaſi ſignificet, Spiritum ſanctum non eſſe futurum communem omnibus: mundus enim, (id eſt peccatores) non poteſt eũ accipere, quia non videt, nec ſcit eum. Primò, quia non habet purum & mundum cor, vt Apoſtoli habuerunt: mundi enim corde hi ſunt, qui accipiunt Spiritum ſanctum; & ideò addit: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Cognoſcetis, inquam, cognitione experimentali, per quam Deus ſiue Spiritus ſanctus eorum mentibus infundendus, quaſi per tactum & vitalem amplexum, ſiue vnionem realem ab Apoſtolorum



Digitized by Google

ſpiritibus erat dignoſcendus. quod vt expreſſiùs denotaret, addit: *Quia apud vos manebit* habituali & permanenti vnione, quemadmodum apud ceteros iuſtos, ſed *& in vobis erit*, ita vt per actualem cum eo vnionem, eius Deificam deguſtaturi ſitis præſentiam.

Nec ſolùm Chriſtus Spiritus ſancti præſentiam ſiue aduentum, ſed & ſuam quoque liberaliſſimè promiſit, dicens: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Quem aduentum Chriſti S. Cyrillus lib. 9. cap. 45. in Ioan. aſſerit eſſe ſpiritualem, & eſſe intelligendum de Chriſto ſecundùm eius Diuinitatem, quando vnà cum Spiritu ſancto & Patre venturus erat in Apoſtolorum corda.

Huius igitur aduentus tam Spiritus ſancti, quàm Filij & Patris, iam exponit præcipuos effectus. *In illo die*, inquit, *vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Quibus verbis apertè promittit Apoſtolis altiſſimam & perfectiſſimam Trinitatis cognitionem, & deinde arctiſſimam vnionem, qua ipſi Deo, & Deus ipſis Spiritus ſancti aduentu forent feliciter copulandi.

Sed vt genuinam etiam horum verborum interpretationem, quæ valdè obſcura Patribus viſa ſunt, aperiamus; ſcire oportet, in his non de ſtatu gloriæ, ſed de præſenti huius vitæ tẽpore (vt placuit Chryſoſtomo & Euthymio, quos refert & ſequitur Toletus in Ioan. Annot. 23.) fieri mentionem, qui etiam meritò ſentit hîc loqui Chriſtum de perfectiſſima & ſublimi cognitione, quam Apoſtoli erant habituri poſt aduentum Spiritus ſancti de Trinitatis myſterio, qualiter inquam Filius ſit in Patre, & econtrà; & qualiter Filius & tota Trinitas ſit in eis, & ipſi in Trinitate, non ſecundùm vnionẽ ſubſtantialem,

ſed

ſed ſecundùm vnionem hanc amoris intimam & arcanam, qua ipſum Deum ſenſu interiori & quaſi tactu ſpirituali percepturi erant Apoſtoli, alludens ad illud, quod Ioan. c. 14 dixerat: *Rogo, Pater, vt vnum ſint*, ſcilicet mecum per huius amoroſæ vnionis vinculum & amplexum, *ſicut ego & tu vnum ſumus*, in ſubſtantia & eſſentia.

Præterea, iterùm atque iterùm (aliis tamen verbis) eamdem promiſſionem confirmat, dicens, *Qui habet mandata mea*, &c. vſque, *manifeſtabo ei meipſum*. Anteà promiſerat Spiritum Paracletũ mandata ſeruantibus, nulla facta ſui ipſius mentione; nunc iam eiſdem ſuiipſius aduentum promittit, non quia Spiritum ſanctum aut Patrem excludat. Promittit verò non quomodocumque, ſed manifeſtum aduentum: *& manifeſtabo*, inquit, *me illi*: quia illa die cùm venerit Spiritus ſanctus, tam ipſe quàm Pater & Filius manifeſtabuntur per eorum perceptionem experimentalem in cordibus diſcipulorũ futuram. Hæc ſunt quæ D. Ioannis menti magis conſona videntur, & quæ apertiùs Spiritus ſancti miſſionem declarant, clariora autèm ſunt, ſi quæ ſequuntur in textu attentiùs conſiderentur.

## CAPVT IX.

### *Patrum quamplurima de Vnione ſupernaturali & fruitiua animæ cum Deo teſtimonia.*

HVIVS diuinę vnionis inter Patres primus aſſertor fuit magnus ille Theologus S. Dionyſius Areopagita, qui à D. Paulo edoctus, eam poſteriori æuo ſcriptam ſecretiſſimo ſtylo reliquit: de qua multi etiam antiqui Patres ſparſim ſuis ſcriptis tradiderunt; nullus tamen ex illis ad doctrinæ methodum captui

captui noſtro attemperatam digeſſit. Omnes tamen licet raptim, Myſticam hanc & fruitiuam cum Deo coniunctionem, quæ fruitionis æternæ imaginem gerit, inſinuarunt, vt ex ſequenti ſerie pleniùs conſtabit.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA

In lib. præſertim de Myſtica Theologia, in libris de Diuinis nominibus, & in epiſtolis, potiſſimùm in ijs quas Timotheo diſcipulo exarauit; vbi poſt traditam diſpoſitionem ad myſticam Theologiam, quæ in abnegatione omnis cognitionis particularis & affirmatiuæ circa Deum, & in ſeparatione affectus ab omnibus rebus extra Deum conſiſtit, ita inquit: Et ſi ſit poſſibile, ignotè cõſurge ad eius vnitionem, qui eſt ſuper omnem ſubſtantiam & cognitionem: etenim exceſſus tuiipſius ab omni irretentibili & abſoluto mundi, ad ſuperſubſtantialem diuinarum tenebrarum radium ſurſum ageris. Et de Diuinis nominibus cap.7. ait: Eſt iterùm diuiniſſima cognitio Dei, in qua ipſe cognoſcitur per ignorantiam, quando ſcilicet mens ab omnibus intellectualibus & intelligilibus recedens, & tandem ſeipſam excedens, vnitur radiis æternæ Sapientiæ inſcrutabilis profunditatis. Et in Myſtica Theologia cap. 1. Adhuc reſtat principalior Dei cognitio, qua mens intrat in caliginem ignorantiæ, & vnitur incomprehenſibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ verè eſt omnium clariſſima; & in ſe claudit & ſecretiſſimè celat omnes cogitationes comprehenſiuas, tamquam in cauſa prima omnium, & per eam omnis vnitus Deo (qui eſt ſupra omnia) conſtituitur in excellentia quadam, quam neque ratio inueſtigat, nec intellectus ſpeculatur, & ab omnibus, & quaſi à ſeipſo ſegregatur, & per vnionem dilectio-

lectionis, quæ effectiua eſt veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto cognitione multò meliori, quàm ſit cognitio intellectualis, in eo quod intellectualem cognitionem derelinquit, & ſuper intellectum & mentem Deum cognoſcit. Hactenus Dionyſius, cuius mentem latiſſimè Expoſitores multi, tam priſtini quàm recentiores, apertiſſimè de hac Theologia ecſtatica & fruitiua, de qua loquimur, expoſuere.

S. AMBROSIVS

Libro de Iſaac & anima, c. 3. non obſcurè hanc arcanam & immediatam animæ cum Spiritu ſancto vnionem docet, dicens: Petit ſponſi oſculum, per quod ſibi transfunditur Spiritus oſculantis: ſicut etiam hi qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere.

Idem nõ obſcurè in Pſal. 118. Serm. 6. Anima iuſta ſponſa eſt Verbi, hec ſi deſideret, ſi cupiat, ſi oret, & oret aſſiduè, & oret ſine vlla diſceptatione, & tota intendat in Verbum, ſubitò vocem ſibi videtur eius audire quem non videt, & intimo ſenſu odorem Diuinitatis eius agnoſcit, quod patiuntur plerumque qui benè credunt. Replentur ſubitò nares animæ ſpirituali gratia, & ſentit ſibi præſentiæ eius flatum aſpirare quem quærit, & dicit: Ecce iſte eſt quem requiro, ipſe quem deſidero.

S. BASILIVS

In Regulis fuſiùs diſputatis Interrogatione 2. Ea, inquit, Domini pulchritudo ſi quando ſanctorũ virorum quempiam circumfulſit, intolerabilem eorum in animis defixum deſiderij aculeum reliquit, quippe qui cùm vehementer eos vitę huius tæderet, in voces illas erumpere ſoliti eſſent: *Heu mihi, quia in-*

& rurſum medias aquas,& ex illis volatilia produci mandauit:& denuò ſubtiliora, velut ignem,& ventos, & reliqua, quæ propter ſui tenuitatem oculo corporeo videri non poſſunt. Quo pacto ars infinita & inenarrabilis multiformis ſapientiæ Dei creauit ex his quæ non erant, tam illa quæ craſſiora ſunt, quàm ſubtiliora & ſimpliciora corpora quæ ſubſiſtere fecit voluntate ſua. Quantò magis ipſe, qui eſt vt libet, benignitate indicibili & bonitate incõprehenſa ductus, ſe tranſmutat & demittit, atque ſimilem animarum ſanctarum & fidelium ſeipſum reddit, aſſumpto (quoad fieri poteſt) corpore, vt perſpiciatur ab illis, qui alioqui inuiſibilis eſt;& palpetur, qui ſecundùm naturam ſubtilitatis ſuæ palpari non poteſt; & ita guſtent ij ſuauitatẽ ipſius, & dulcedine lucis arcanæ oblectationis experientia ipſa fruantur. Cùm libuerit, Deus ipſe fit ignis exurens omnem improbam affectionem animæ extrinſecus illatam. Etenim *Deus noſter ignis*, inquit, *conſumens eſt*. Quando vult, fit arcana & inenarrabilis requies, vt anima diuina requiete quieſcat. Vbi libet, fit gaudium & pax, fouens & exornans animam. Quòd ſi Deus dignatur aſſimilare ſe vni ex creaturis, ad exultationem & lætitiam intelligibilium creaturarum, veluti ciuitas lucis Ieruſalem, aut mons Sion cæleſtis, poteſt pro arbitrio omnia, quemadmodum dictum eſt. *Vos autem acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem.* Perfacilia ſunt ei omnia, qui ſe in quælibet tranſmutat in gratiam fidelium & eo dignarum animarum, modò quis det operam, vt amicus & pergratus illi fiat: qui quidem experientia ipſa & ſenſu perſpiciet cæleſtia bona, & delicias inenarrabiles, diuitiaſque Diuinitatis verè immenſas: quæ quidem omnia oculus non vidit,

vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: fitque Spiritus Domini in requietem & exultationem, delicias & vitam æternam animarum dignarum: ſeipſum enim format Dominus in eſcam, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; vt inenarrabili modo tranquillet & impleat animam lætitia ſpirituali, ait enim: *Ego ſum panis viuus*. Itidem transformat ſe in potum cæleſtis potionis, ſicut dixit: *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et omnes*, ait, *eumdem potum ſpiritalem biberunt*. Sic & vnicuique ſanctorum Patrum apparuit prout ei libuit, & expediebat: aliter Abrahæ, aliter Iſaac, aliter Iacob: alio modo Noë, Danieli, Dauidi, Salomoni, Iſaiæ, & vnicuique ſanctorum Prophetarum: aliter Eliæ, & aliter Moyſi. Ego verò exiſtimo, Moyſem, dum eſſet in monte in ieiunio illo quadraginta dierum, ſpiritali illi menſæ continenter accubuiſſe, multis fruentem deliciis. Igitur vnicuique Sanctorum viſus eſt Deus, quemadmodú ei libuit, nempe ad ſalutem & requietem, & vt illos ad cognitionem Dei perduceret. Nam omnia quæ vult, ſunt ei perfacilia; & quando illi videtur, ſeipſum demittendo incorporat & transformat, conſpicuum ſe exhibens diligentibus illum, in gloria luminis inacceſſa, præ multa & inenarrabili dilectione apparens his qui digni ſunt, ſecundùm ipſius virtutem. Anima enim, quæ ob ſummum deſiderium & expectationem, fidem atque dilectionem digna fuerit habita, quæ recipiat illam ſupernam virtutem, nempe cæleſtem Spiritus dilectionem, quæ cæleſtem ignem immortalis vitæ fuerit adepta, ab omni dilectione huius mundi reuerà ſoluitur, & ab omni laqueo nequitiæ liberatur. Quemadmo-



Digitized by Google

tibus, ac per gratiã habitualem & charitatem, quaſi in actu primo vnitus & coniunctus, tamen omnino abſconditus; nec enim eius præſentiam experiri aut percipere valemus, niſi id ex ſpeciali gratia & fauore contingat: manifeſtat tamen ſe Deus aliquando mentibus defæcatis, ac ab omni labe purgatis, ita vt eius præſentiam immediatę per vnitiui amoris amplexum experimentaliter percipiant & guſtent. Hæc autem manifeſtatio præſentiæ Dei (vt inferiùs clariùs oſtendemus) fit per illapſum Dei in potentias animæ, ita vt Deus per eius eſſentiam & ſubſtantiam fiat præſens, (licet non ita perſpicuę ac in gloria) intellectui & voluntati Sanctorum; & hęc huius vitæ ſumma beatitudo & felicitas eſt.

Ex his non obſcurè percipies, Spiritus ſancti miſſionem in Apoſtolos non fuiſſe tantùm per plenitudinem & affluentiam ſpiritualium donorum, ſed potiùs per exhibitionem & illapſum ipſius Spiritus ſancti perſonæ in eorum corda; quòd expreſsè voluit S. Auguſtinus, dicens: *Adfuit in hac die Spiritus ſanctus fidelibus non iam per gratiam viſitationis & operationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis.* Quod ampliùs declarat illo exemplo balſami, quo non tam odorem balſami, quàm ipſam ſubſtantiam vnguenti defluxiſſe docet; & S. Gregorius Naziãzenus, *Primò*, inquit, *in eis Spiritus ſanctus operabatur, ſed tamen erat abſconditus & obſcurus*; loquitur dę Apoſtolis ante Chriſti mortẽ. *Secundò*, inquit, *id eſt poſt Chriſti reſurrectionem, expreßius operabatur Spiritus ſanctus. Nunc verò, Act. 1. in Pentecoſte, vtpote qui non tantùm actu* (id eſt actu primo & habitualiter) *præſens ſit, ſed eſſentiâ eorum mentibus adſit, ſimulque verſetur:* hoc eſt, vt pręſens ſit per ſuã eſſentiam, ac intimè in actu ſecundo per deoſculationem & dul-

dulciſſimum amplexum Apoſtolorum mentibus vnitus. Hæc eſt vera S. Auguſtini & Nazianzeni expoſitio. cuius mentem cùm non eſſet aſſecutus Niceta eius Interpres, anxiè torquetur, vt illud verbum *eſſentia*, quo vſus eſt propriiſſimè S. Gregorius, in ſano ac Catholico ſenſu exponat.

Fit igitur ex dictis, Spiritus ſancti repletionem, (quæ in illo ſolemniſſimo Pentecoſtes feſto diſcipulis feliciter contingebat) eſſe ipſius Spiritus ſancti, ſiue totius Trinitatis illapſum ac manifeſtationem in diſcipulorum corda, quam Apoſtoli per experimentalem perceptionem ac cum ipſo Spiritu ſancto vnionem feliciter deguſtarunt. Experti enim ſunt ineffabili modo per intimum & arcanum contactum ſiue amplexum, ipſius Spiritus ſancti & totius Trinitatis præſentiam, alioſque mirabiles effectus, eo modo, quo pleniùs ſequentibus capitibus exponemus.

Hanc noſtram ſententiam alij quoque grauiſſimi Patres libenter amplectútur. Ambroſius Serm. 1. in Pſal. 118. verſ. 1. S. Gregorius in illa verba Cant. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* & Bernardus in Cant. Serm. 8. (vt in ſuperioribus attigimus) docent, per oſculum quod petit ſponſa, non Spiritus ſancti dona, ſed ipſum Spiritum ſanctum intelligi. Præterea non deſunt Patres, qui per introductionem in cellam vinariam, de qua Cant. 2. mentio fit, etiam intelligant exhibitionem & ſuſceptionem Spiritus ſancti, quæ præſertim in die Pentecoſtes facta eſt.

Confirmari præterea poteſt hæc noſtra de Spiritus ſancti miſſione ſententia ex alio loco Ioan. 14. cuius expoſitio multorum torſit ingenia, vt inuenire poſſent tam ſenſum, quàm illius loci contextum, quem nos propitio Spiritu ſancto adepturos eſſe

ſperamus. Verba igitur Ioannis illa ſunt: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea; ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Hactenus D. Ioannes.

Horum verborum, quæ nimis obſcura viſa ſunt Interpretibus, ſenſum vt exponamus, obſeruandum eſt id quod communiter omnes huius loci expoſitores aduertunt, ſcilicet, quòd cùm mentio fit de aduentu Spiritus ſancti, vt illis verbis, *Et alium Paracletum dabit vobis*; vel de Filio, vt illis, *Et manifeſtabo ei meipſum*; non eſſe ita intelligendum, vt aduentus Spiritus ſancti, totius Trinitatis, ſcilicet Patris & Filij, excludat conſortium, quemadmodum nec Spiritus ſancti aduentus excluditur, cùm dicitur Ioan. 14. *Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus*, &c. Opera enim Trinitatis ad extrà, ſunt indiuiſa. Quidquid enim de vna perſona prædicatur & dicitur, æquè omnibus conuenire dignoſcitur. Præterea illud obſerua, hanc tam illuſtrem promiſſionem, & quæ tam præclara continet, non omnibus, ſed tantùm Apoſtolis ſiue diſcipulis factam fuiſſe, vt conſtat apertè ex illis verbis, *Alium Paracletum dabit vobis*. & iterùm ex illis verbis: *Vos autem cognoſcetis eum: Apud vos manebit*. &, *Non relinquam vos orphanos*. Deinde expreſsè ex illis, *Et vos in me, & ego in vobis*. Quare non abs re vnus diſcipulorum

petiit

petiit à Domino, *Quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo.*

In hoc igitur loco Chriſtus Dominus apertè incipit tractare de Spiritus ſancti aduentu in corda diſcipulorum, quem diſcipulis mandata ſeruantibus promittit. Et cùm mandata non poſſint ſeruari niſi in Spiritu ſancto, perſpicuum eſt, diſcipulos ante aduentum Spiritus ſancti habuiſſe iam Spiritum ſanctum, vt rectè aduertit Auguſtinus tract. 74. in Ioan. Quare hæc promiſſio facta à Chriſto Domino, intelligenda eſt de plenitudine Spiritus ſancti: quæ plenitudo (vt ſuperiùs adnotauimus) non tam in Spiritus ſancti donis, quàm in perſonæ ipſius infuſione ac manifeſtatione in diſcipulorum cordibus intelligenda eſt. Deinde ſequentibus verbis, *vt maneat vobiſcum*, &c. Spiritum ſanctum non ſolùm promittit venturum, ſed & cum ipſis Apoſtolis in æternum permanſurum: quod & verè impletum eſt in Apoſtolis: nam à gratia illa, quam adueniente Spiritu ſancto acceperunt, numquam exciderunt, nec in æternum excident.

Addit prætereà, *Quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum.* Quaſi ſignificet, Spiritum ſanctum non eſſe futurum communem omnibus: mundus enim, (id eſt peccatores) non poteſt eũ accipere, quia non videt, nec ſcit eum. Primò, quia non habet purum & mundum cor, vt Apoſtoli habuerunt: mundi enim corde hi ſunt, qui accipiunt Spiritum ſanctum; & ideò addit: *Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Cognoſcetis, inquam, cognitione experimentali, per quam Deus ſiue Spiritus ſanctus eorum mentibus infundendus, quaſi per tactum & vitalem amplexum, ſiue vnionem realem ab Apoſtolorum

ſpiritibus erat dignoſcendus. quod vt expreſſiùs denotaret, addit: *Quia apud vos manebit* habituali & permanenti vnione, quemadmodum apud ceteros iuſtos, ſed *& in vobis erit*, ita vt per actualem cum eo vnionem, eius Deificam deguſtaturi ſitis præſentiam.

Nec ſolùm Chriſtus Spiritus ſancti præſentiam ſiue aduentum, ſed & ſuam quoque liberaliſſimè promiſit, dicens: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*. Quem aduentum Chriſti S. Cyrillus lib. 9. cap. 45. in Ioan. aſſerit eſſe ſpiritualem, & eſſe intelligendum de Chriſto ſecundùm eius Diuinitatem, quando vnà cum Spiritu ſancto & Patre venturus erat in Apoſtolorum corda.

Huius igitur aduentus tam Spiritus ſancti, quàm Filij & Patris, iam exponit præcipuos effectus. *In illo die*, inquit, *vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*. Quibus verbis apertè promittit Apoſtolis altiſſimam & perfectiſſimam Trinitatis cognitionem, & deinde arctiſſimam vnionem, qua ipſi Deo, & Deus ipſis Spiritus ſancti aduentu forent feliciter copulandi.

Sed vt genuinam etiam horum verborum interpretationem, quæ valdè obſcura Patribus viſa ſunt, aperiamus; ſcire oportet, in his non de ſtatu gloriæ, ſed de præſenti huius vitæ tẽpore (vt placuit Chryſoſtomo & Euthymio, quos refert & ſequitur Toletus in Ioan. Annot. 23.) fieri mentionem, qui etiam meritò ſentit hîc loqui Chriſtum de perfectiſſima & ſublimi cognitione, quam Apoſtoli erant habituri poſt aduentum Spiritus ſancti de Trinitatis myſterio, qualiter inquam Filius ſit in Patre, & econtrà; & qualiter Filius & tota Trinitas ſit in eis, & ipſi in Trinitate, non ſecundùm vnionẽ ſubſtantialem,

ſed

ſed ſecundùm vnionem hanc amoris intimam & arcanam, qua ipſum Deum ſenſu interiori & quaſi tactu ſpirituali percepturi erant Apoſtoli, alludens ad illud, quod Ioan. c. 14 dixerat: *Rogo, Pater, vt vnum ſint*, ſcilicet mecum per huius amoroſæ vnionis vinculum & amplexum, *ſicut ego & tu vnum ſumus*, in ſubſtantia & eſſentia.

Præterea, iterùm atque iterùm (aliis tamen verbis) eamdem promiſſionem confirmat, dicens, *Qui habet mandata mea*, &c. vſque, *manifeſtabo ei meipſum*. Anteà promiſerat Spiritum Paracletũ mandata ſeruantibus, nulla facta ſui ipſius mentione; nunc iam eiſdem ſuiipſius aduentum promittit, non quia Spiritum ſanctum aut Patrem excludat. Promittit verò non quomodocumque, ſed manifeſtum aduentum: *& manifeſtabo*, inquit, *me illi*: quia illa die cùm venerit Spiritus ſanctus, tam ipſe quàm Pater & Filius manifeſtabuntur per eorum perceptionem experimentalem in cordibus diſcipulorũ futuram. Hæc ſunt quæ D. Ioannis menti magis conſona videntur, & quæ apertiùs Spiritus ſancti miſſionem declarant, clariora autèm ſunt, ſi quæ ſequuntur in textu attentiùs conſiderentur.

## CAPVT IX.

### *Patrum quamplurima de Vnione ſupernaturali & fruitiua animæ cum Deo teſtimonia.*

HVIVS diuinę vnionis inter Patres primus aſſertor fuit magnus ille Theologus S. Dionyſius Areopagita, qui à D. Paulo edoctus, eam poſteriori ęuo ſcriptam ſecretiſſimo ſtylo reliquit: de qua multi etiam antiqui Patres ſparſim ſuis ſcriptis tradiderunt; nullus tamen ex illis ad doctrinæ methodum captui

Digitized by Google

captui noſtro attemperatam digeſſit. Omnes tamen licet raptim, Myſticam hanc & fruitiuam cum Deo coniunctionem, quæ fruitionis æternæ imaginem gerit, inſinuarunt, vt ex ſequenti ſerie plenius conſtabit.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA

In lib. præſertim de Myſtica Theologia, in libris de Diuinis nominibus, & in epiſtolis, potiſſimùm in ijs quas Timotheo diſcipulo exarauit; vbi poſt traditam diſpoſitionem ad myſticam Theologiam, quæ in abnegatione omnis cognitionis particularis & affirmatiuæ circa Deum, & in ſeparatione affectus ab omnibus rebus extra Deum conſiſtit, ita inquit: Et ſi ſit poſſibile, ignotè cōſurge ad eius vnitionem, qui eſt ſuper omnem ſubſtantiam & cognitionem: etenim exceſſus tuiipſius ab omni irretentibili & abſoluto mundi, ad ſuperſubſtantialem diuinarum tenebrarum radium ſurſum ageris. Et de Diuinis nominibus cap. 7. ait: Eſt iterùm diuiniſſima cognitio Dei, in qua ipſe cognoſcitur per ignorantiam, quando ſcilicet mens ab omnibus intellectualibus & intelligilibus recedens, & tandem ſeipſam excedens, vnitur radiis æternæ Sapientiæ inſcrutabilis profunditatis. Et in Myſtica Theologia cap. 1. Adhuc reſtat principalior Dei cognitio, qua mens intrat in caliginem ignorantiæ, & vnitur incomprehenſibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ verè eſt omnium clariſſima; & in ſe claudit & ſecretiſſimè celat omnes cogitationes comprehenſiuas, tamquam in cauſa prima omnium, & per eam omnis vnitus Deo (qui eſt ſupra omnia) conſtituitur in excellentia quadam, quam neque ratio inueſtigat, nec intellectus ſpeculatur, & ab omnibus, & quaſi à ſeipſo ſegregatur, & per vnionem dilectio-

lectionis, quæ effectiua eſt veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto cognitione multò meliori, quàm ſit cognitio intellectualis, in eo quod intellectualem cognitionem derelinquit, & ſuper intellectum & mentem Deum cognoſcit. Hactenus Dionyſius, cuius mentem latiſſimè Expoſitores multi, tam priſtini quàm recentiores, apertiſſimè de hac Theologia ecſtatica & fruitiua, de qua loquimur, expoſuere.

S. AMBROSIVS

Libro de Iſaac & anima, c. 3. non obſcurè hanc arcanam & immediatam animæ cum Spiritu ſancto vnionem docet, dicens: Petit ſponſi oſculum, per quod ſibi transfunditur Spiritus oſculantis: ſicut etiam hi qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere.

Idem nō obſcurè in Pſal. 118. *Serm.* 6. Anima iuſta ſponſa eſt Verbi, hęc ſi deſideret, ſi cupiat, ſi oret, & oret aſſiduè, & oret ſine vlla diſceptatione, & tota intendat in Verbum, ſubitò vocem ſibi videtur eius audire quem non videt, & intimo ſenſu odorem Diuinitatis eius agnoſcit, quod patiuntur plerumque qui benè credunt. Replentur ſubitò nares animæ ſpirituali gratia, & ſentit ſibi præſentiæ eius flatum aſpirare quem quærit, & dicit: Ecce iſte eſt quem requiro, ipſe quem deſidero.

S. BASILIVS

In Regulis fuſiùs diſputatis Interrogatione 2. Ea, inquit, Domini pulchritudo ſi quando ſanctorū virorum quempiam circumfulſit, intolerabilem eorum in animis defixum deſiderij aculeum reliquit, quippe qui cùm vehementer eos vitę huius tæderet, in voces illas erumpere ſoliti eſſent: *Heu mihi, quia*

*in-*

*incolatus meus prolongatus eſt!* &, *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* &: Diſſolui & eſſe cum Chriſto, longè melius eſt. & : *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum.* & : *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Vehementer enim vitam hanc veluti tetrum quemdam carcerem abhorrebant, vſque adeò difficiles ad cohibendum animos erant ij, quorum mentes Dei amor perſtrinxerat. Cùm enim inexplebili intuendæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, vt æquata infinito ſempiternæ vitæ curriculo ſibi iucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur.

S. GREGORIVS NAZIANZENVS

Pulchris ſimilitudinibus hanc, de qua loquimur, diuinam vnionem Orat. 21. explicat in hunc modum. Quomodo ſtilla aquæ modica multo infuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit & colorem; & quomodo ferrum ignitum & candens igni ſimillimum fit, priſtina propriaq; forma exutum; & quomodo Solis luce perfuſus aër in eamdem transformatur luminis claritatem, adeò vt non tam illuminatus, quàm ipſum lumen eſſe videatur: ſic omnem tunc (id eſt eo tempore quo anima Deo eſt intimè vnita) in ſanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo neceſſe erit à ſeipſa liqueſcere, atque in Dei penitùs transfundi voluntatem.

S. AVGVSTINVS

Non tantùm docuit, ſed & expertus eſt hanc myſticam & ineffabilem animæ cum Deo ſuo conglutinationem: nam ipſe in primis lib. 10. Confeſſ. c. 4. Aliquando introducit me in affectum nimis inuſitatum introrſus ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, ignoro quid futurum ſit; certè viuere

uere abſque illa non licebit, ſed incido in hæc ærumnoſis ponderibus, & reſorbeor ſolitis affectibus, & teneor, fletu madeo, hîc eſſe valeo, nec volo; illic volo, nec valeo.

S. CYRILLVS ALEXANDRINVS

Libro 10. in Ioan. cap. 3. non longè diſtat ab hac ſententia, dum Perfectos adhuc in hac vita docet oculis animæ Deum in ſeipſis conſpicere his verbis: Cùm non rectè à diſcipulo verba ſua intellecta Chriſtus videret, repetit rurſus quod dixit, dilucidéque docet, non ſolùm cognitione iſta communi amicis ſe ſuis manifeſtaturum, ſed excellentiori quodam fulgoris modo. Nam rudiores ab impio idolorum cultu ad cognitionem Dei vocati, ſolummodò per fidem diſcunt, quòd vnus Deus, qui nos creauit, colendus eſt: qui verò omni virtute mentem ſuam purgando apti iam ad maiora facti ſunt, Spiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in ſe Deum videbunt.

S. MACARIVS

Frequenter huius arcani cum Deo nexus meminit, in primis Homil. 4. Permiſcetur & apprehendit ſanctas animas ſibi pergratas atque fideles, fitque ſpiritus vnus cum illis, vt Paulus eloquitur, atque vt ita dicam, anima euadit in animam, & ſubſtantia in ſubſtantiam; quò poſſit anima in nouitate viuere, vitamque immobilem ſentire, & particeps fieri æternæ gloriæ: illa nempe anima, quæ Deo digna eſt, & illi perplacet. Nam ſi Deus ex his quæ non erant, condidit creaturam hanc viſibilem, fecitque vt eſſet multiplex & varia, quæ priuſquam fieret, non erat; voluit etiam, & perfacilè creauit ex his quæ non erant, ſubſtantias craſſas atque duras, veluti terras, montes, arbores (vides quænam ſit durities naturæ) & rur-

& rurſum medias aquas,& ex illis volatilia produci mandauit:& denuò ſubtiliora, velut ignem,& ventos, & reliqua, quæ propter ſui tenuitatem oculo corporeo videri non poſſunt. Quo pacto ars infinita & inenarrabilis multiformis ſapientiæ Dei creauit ex his quæ non erant, tam illa quæ craſſiora ſunt, quàm ſubtiliora & ſimpliciora corpora quæ ſubſiſtere fecit voluntate ſua. Quantò magis ipſe, qui eſt vt libet, benignitate indicibili & bonitate incōprehenſa ductus, ſe tranſmutat & demittit, atque ſimilem animarum ſanctarum & fidelium ſeipſum reddit, aſſumpto (quoad fieri poteſt) corpore, vt perſpiciatur ab illis, qui alioqui inuiſibilis eſt; & palpetur, qui ſecundùm naturam ſubtilitatis ſuæ palpari non poteſt; & ita guſtent ij ſuauitatē ipſius, & dulcedine lucis arcanæ oblectationis experientia ipſa fruantur. Cùm libuerit, Deus ipſe fit ignis exurens omnem improbam affectionem animæ extrinſecus illatam. Etenim *Deus noſter ignis*, inquit, *conſumens eſt*. Quando vult, fit arcana & inenarrabilis requies, vt anima diuina requiete quieſcat. Vbi libet, fit gaudium & pax, fouens & exornans animam. Quòd ſi Deus dignatur aſſimilare ſe vni ex creaturis, ad exultationem & lætitiam intelligibilium creaturarum, veluti ciuitas lucis Ieruſalem, aut mons Sion cæleſtis, poteſt pro arbitrio omnia, quemadmodum dictum eſt. *Vos autem acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem.* Perfacilia ſunt ei omnia, qui ſe in quælibet tranſmutat in gratiam fidelium & eo dignarum animarum, modò quis det operam, vt amicus & pergratus illi fiat: qui quidem experientia ipſa & ſenſu perſpiciet cæleſtia bona, & delicias inenarrabiles, diuitiaſque Diuinitatis verè immenſas: quæ quidem omnia oculus non vidit,

vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: fitque Spiritus Domini in requietem & exultationem, delicias & vitam æternam animarum dignarum: ſeipſum enim format Dominus in eſcam, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*; vt inenarrabili modo tranquillet & impleat animam lætitia ſpirituali, ait enim: *Ego ſum panis viuus.* Itidem transformat ſe in potum cæleſtis potionis, ſicut dixit: *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et omnes*, ait, *eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Sic & vnicuique ſanctorum Patrum apparuit prout ei libuit, & expediebat: aliter Abrahæ, aliter Iſaac, aliter Iacob: alio modo Noë, Danieli, Dauidi, Salomoni, Iſaiæ, & vnicuique ſanctorum Prophetarum: aliter Eliæ, & aliter Moyſi. Ego verò exiſtimo, Moyſem, dum eſſet in monte in ieiunio illo quadraginta dierum, ſpiritali illi menſæ continenter accubuiſſe, multis fruentem deliciis. Igitur vnicuique Sanctorum viſus eſt Deus, quemadmodū ei libuit, nempe ad ſalutem & requietem, & vt illos ad cognitionem Dei perduceret. Nam omnia quæ vult, ſunt ei perfacilia; & quando illi videtur, ſeipſum demittendo incorporat & transformat, conſpicuum ſe exhibens diligentibus illum, in gloria luminis inacceſſa, præ multa & inenarrabili dilectione apparens his qui digni ſunt, ſecundùm ipſius virtutem. Anima enim, quæ ob ſummum deſiderium & expectationem, fidem atque dilectionem digna fuerit habita, quæ recipiat illam ſupernam virtutem, nempe cæleſtem Spiritus dilectionem, quæ cæleſtem ignem immortalis vitæ fuerit adepta, ab omni dilectione huius mundi reuerà ſoluitur, & ab omni laqueo nequitiæ liberatur. Quemadmo-



Digitized by Google

admodum enim ferro, plumbo, auro vel argento in ignem coniectis, reſoluitur eorum dura natura, & in molliorem mutatur, quantoque diutiùs in igne permanſerint, tantò magis ſoluuntur & mutantur à ſua naturali duritie per virtutem ignis calidam: ſic & anima, quæ mundo abrenuntiauerit, ſolum Dominum deſiderans omni animi peruestigatione, ſtudio, atque contentione, & ex fide ac ſpe ſua expectationem indeficientem in illum contulerit, illum ignem cæleſtem diuini atq; ſpiritalis amoris conſecuta, tum verè à mundo exoluitur, & ab omni vitio affectionum liberatur, & cuncta procul à ſe repellit, mutato naturali ipſius habitu atque peccati duritie, reliqua omnia pro ſuperfluis habens, in ſolo ſponſo cæleſti, quem recepit, quieſcens per ardentem & inenarrabilem ipſius dilectionem.

Et infrà: Dico autem tibi, quòd ſi fratres illi Dei amantes, quos Deus ante oculos habet, per impedimenta ſe ſubtraxerint, ab illa dilectione deficiunt, vt ita dicam: nam animæ vita & requies, regni cæleſtis myſtica & arcana participatio eſt. Si enim carnalis coniugij dilectio ſeparat hominem à patre, matre, & fratribus, ita vt omnia ſint animo velut extranea; & ſi diligat ea, tamquam extranea diligat, affectionem tamen omnem in contubernali collocat: *Propter hoc enim*, inquit, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Si ergo carnalis dilectio ſic hominem ſoluit ab omni alio amore, quantò magis ſoluentur ab omni dilectione mundi, quicumque digni habiti ſunt, vt ſancti, cæleſtis, & ſemper amandi illius Spiritus verè participes fierent; & cuncta videbuntur eis inutilia, propterea quia victi ſunt à deſiderio cæleſti, & in ipſo caſu Spiritui illi vniti: nam quæ illic

illic ſunt, deſiderant & cogitant, illic viuunt, illic cogitationes inambulant, ibi mens aſſiduò verſatur, diuino & cæleſti amore atque deſiderio ſpiritali ſuperata.

Idem Homil. 8. Interdum lumen ipſum cor illuſtrans, aperit interiùs & profundiùs latens lumen, ita vt totus homo abſorptus ab illa ſuauitate & contemplatione, non ſit vltrà ſui compos, ſed ſit tamquam ſtultus & barbarus huic mundo, propter immenſam dilectionem ac ſuauitatem, atque recondita myſteria, ita vt tunc temporis homo liber perueniat ad perfectam gradum, ſitque purus & immunis à peccato.

Et infrà: Porrò qui diues eſt in gratia, continenter noctes atque dies permanet in ſtatu perfecto liber ac purus, ſemper captiuus ac ſuſpenſus. Ceterùm, ſi admiranda illa quæ homini patuerunt, & quorum periculum fecit, ei ſemper adeſſent; nequaquam in miniſterium verbi aut onus aliquod ferre poſſet, imò neque de ſeipſo audire, aut ſui, vel craſtini diei curam agere, quando res exigeret, ſed tantùm ſederet in angulo ſuſpenſus & inebriatus.

Clariùs verò Homil. 10. in illa verba Eccli. 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient*, ita inquit: Huiuſmodi animæ, quæ tam ardenti & inſatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ ſunt vita æterna: quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminationem & participationem ſancti & arcani Spiritus, ac myſticę ſocietatis in plenitudine gratiæ.

Præclariùs tamen infrà mirabile hoc ſanctarum animarum cum Deo vinculum proſequitur in hunc modum: Porrò anima, quæ Deum vereque Chriſtum colit, etiamſi infinita iuſtitiæ opera ediderit, ita

ſe habet, perinde ac ſi nihil egiſſet, propter inexplebile deſiderium quod habet erga Dominum: quæ licet ieiuniis aut vigiliis corpus conſumpſerit, ita affecta eſt, ac ſi nondum quidquam agere cœpiſſet, quod ad virtutes pertineat. Et ſi varia Spiritus chariſmata, aut reuelationes ac myſteria cæleſtia conſequi meruerit, propter immenſam & inſatiabilem erga Dominum dilectionem ita ſe gerit apud ſe, ac ſi nihil adhuc obtineret: ſed quotidie eſuriens ac ſitibunda, per fidem & charitatem perſeuerans in oratione, immodicè ad myſteria gratiæ & ad omnium virtutum gradus aſpirat, cęleſti Spiritus amore vulnerata, ardenti deſiderio erga ſponſum cæleſtem (per gratiam, qua prædita eſt) agitata, deſiderans habere perfectè myſticam & arcanam cum eo ſocietatem in ſanctificatione ſpiritus, reuelata animæ facie, fixis ſemper oculis intuens ſponſum cæleſtem facie ad faciem, beneficio ſpiritalis & ineffabilis luminis in eo per dulcedinem fidei plenè demerſa, configurata morti ipſius præ ſummo deſiderio, quo perpetuò ſperat pro Chriſto mortem oppetere, confidens ſine dubio per gratiam Spiritus ſe plenè liberatam iri à peccato & tenebris affectionum, vt purificata per Spiritum, & anima & corpore ſanctificata, vas purum euadere mereatur ad ſuſcipiendam cæleſtem vnctionem, in quo manere dignetur cæleſtis ac verus Rex Chriſtus.

S. Diadochvs episcopvs Photicensis Non rarò de hac felici ſermonem inſtituit Vnione; is enim cap. 8. de Perfect. ſic inquit, dum eum, qui aptus eſt ad loquendú de diuinis rebus, deſcribit: Nec oportet non illuminatum intendere mentem ſpiritualibus contemplationibus, neque copioſo lumine benignitate Spiritus ſancti repletum ſta-

tim

tim ad loquendum accedere: vbi enim eſt inopia, ea affert ignorantiam; vbi copia, non ſinit loqui. Tunc enim anima charitate Dei velut ebria, expetit per ſilentium contemplatione gloriæ Domini perfrui. Quamobrem opus eſt, obſeruata mediocritate illuminationis, ad loquendum de diuinis rebus deuenire: hæc enim menſura formam quamdam glorioſi ſermonis præbet, copioſa verò illuminatio fidem nutrit loquentis in fide, vt qui docet, primus fructum ſcientiæ guſtet per charitatem. Et ad idem Diadochus cap. 91. Narrauit mihi, ait, quidam ex iis, qui voluntate quadam inſatiabili Dominum diligunt, quemadmodum cùm teneretur, deſiderio charitatem Dei planè & perſpicuè cognoſcendi, hoc illi ſummè bonus in multo ſenſu & plenitudine largitus eſſet, ſeque eatenus eiuſmodi operationem ſenſiſſe aiebat, vt anima cum inexplicabili tunc lætitia & charitate deſideraret ex corpore excedere, & ad Dominum proficiſci, ac genus vitæ huius caducæ veluti ignorare.

IOANNES CASSIANVS

Collat. 9. cap. 14. ita ſcripſit: Mente puriſſima retractantes, ad illam ignitam, & quæ ore hominum nec comprehendi nec exprimi poteſt, orationem feruentiſſimo corde raptantur; nonnumquam tamen mens, quę in illum verum puritatis proficit affectum, atque in eo iam cœperit radicari, ſolet hæc anima ſimul pariterque concipiens, atque in modum cuiuſdam incomprehenſibilis ac rapaciſſimæ flammæ cuncta peruolitans, ineffabiles ad Deum preces puriſſimi vigoris effundere, quas ipſe Spiritus interpellans gemitibus inenarrabilibus, ignorantibus nobis, emittit ad Deum: tanta ſcilicet in illius horæ momento concipiens, & ineffabiliter ſup-

plicatione perfundens, quanta non dicam ore percurrere, ſed ne ipſa quidem mente valeat alio tempore recordari. Et infrà cap. 26. Nonnumquam verò tanto ſilentio mens intra ſecretum profundæ taciturnitatis abſconditur, vt omnem penitùs ſonum vocis ſtupor ſubitæ illuminationis includat, omneſque ſenſus attonitos ſpiritus vt contineat intrinſecus, vt emittat, ac deſideria ſua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum.

S. Gregorivs Papa

Luculenter verò D. Gregorius tam in Cātica, quàm in aliis locis huius Dei cum anima coniunctionem declarauit, in Cant. cap. 1. ita ſcripſit: Ergo ſponſa deſiderio æſtuans, & in amplexum ſponſi ſui inardeſcens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ac ſi diceret: Ille quem ſuper omnia, imò ſolum diligo, veniat, qui dulcedine ſuę inſpirationis me tangat: quia cùm eius oſculum ſentio, ſubita mutatione me derelinquo, & in eius ſimilitudinem illicò liquefacta transformor. Faſtidit quippe ſancta mens omnia quæ per corpus ſentit, & in illa ſpiritalia tota tranſmutari concupiſcit: & dum iſta obſtrepunt, in illa fugit, ſeque abſcondere, ne hæc ſentiat, appetit. Ideoque oſculum ſponſi quærit: quia ſi ille gratiſſimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi ſuæ moleſtiſſimæ grauedinis detenta, quomodo ſe ad illum conferat, omnino non inuenit. Sed pius ſponſus anxietatem eius ſentiens, amorem diligens, votum exaudiens, oſculum porrigit; & ne deſiderio laſſeſcat, guſtu ſuæ ſuauitatis lenit; & dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad maius dilectionis oſculum accendit: vnde hæc illum ſentiens, ad eum ſe conuertit; & quem præſentem habet, mox gaudens voce mutata alloquitur, & dicit: *Quia meliora ſunt*

*vbera*

*vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

Idem c. 2. in illa verba, *Introduxit me Rex in cellam vinariam*, ita inquit: Quid enim per cellam vinariam congruentius, quàm ipſam arcanam ęternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli ſancti vino ſapientiæ inebriantur, dum ipſum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate ſpiritali ſatiantur. Hanc ſancta mens, ſi à ſponſo introducatur, poſtpoſitis omnibus temporalibus intrat, in qua ex illis Angelicis deliciis, quantum ſibi conceditur, guſtat. Et ſi adhuc, quia in corpore corruptibili detinetur, ſe perfectè non ſatiat; tamen ex illo minimo quod curſim ſumit, conſiderat quantum debeat amare quod amat.

Idem lib. 24. Moral. cap. 6. Priùs à mentis acie, exurente triſtitia interpoſita, malorum caligo detergitur, & tunc reſplendente raptim coruſcatione incircumſcripti luminis illuſtratur, quo vtcumque conſpectu in gaudio cuiuſdam ſerenitatis abſorbetur, & quaſi poſt defectum vitæ præſentis vltra ſe rapta, in quadam nouitate aliquo modo recreatur. Ibi mens ex immenſo fonte, infuſione ſuperni roris aſpergitur: ibi non ſe ſufficere ad id quod rapta eſt, contemplatur; & veritatem ſentiendo videt, quia quanta eſt ipſa veritas, non videt. Cui veritati tantò magis ſe longè exiſtimat, quantò magis appropinquat; quia niſi illam vtcumque conſpiceret, nequaquam eam conſpicere ſe non poſſe ſentiret. Adniſus ergo animi, dum in illam intenditur, immenſitatis eius coruſcante circumſtantia reuerberatur. Ipſa quippe cuncta implens, cuncta circumſtat: & idcircò mens noſtra nequaquam ſe ad comprehendendam incircumſcriptam circumſtantiam dilatat, quia eam inopia ſuæ circumſcriptionis anguſtat: vnde &



Digitized by Google

ad ſemetipſam citiùs labitur, & proſpectis quaſi quibuſdam veritatis veſtigiis, ad ſua ima reuocatur. Hæc ipſa tamen per contemplationem facta, non ſolida & permanens viſio, ſed vt ita dixerim, quaſi quædam viſionis imitatio, Dei facies dicitur.

D. BERNARDVS

Plurimis in locis apertiùs & clariùs aliis de hac ineffabili Dei cum ſpiritu noſtro conglutinatione, iuxta ſublimem quam ipſe habebat experientiam, loquitur. Sermone 8. in Cantic Petit, inquit, oſculum, id eſt Spiritum ſanctum inuocat, per quem accipit, ac per quem accipiat ſimul & ſcientiæ guſtum, & gratiæ condimentum. Et paulò poſt initium, Sufficit, inquit, ſponſæ, ſi oſculetur oſculo ſponſi, etiamſi non oſculetur ab ore: nec enim exiguum quid aut vile putat, oſculari ab oſculo, quod non eſt aliud niſi infundi à Spiritu ſancto, nempe ſi rectè Pater oſculans, ſi Filius oſculatus accipitur, non erit ab re Spiritum ſanctum oſculum intelligere. Et infrà: De ipſo igitur audet ſponſa, ipſumque infundi ſibi fidenter ſub oſculi nomine petit. Et infrà: Reuelat ergo Filius ſeipſum cui vult, reuelat & Patrem, reuelat autem ſine dubio per oſculum, hoc eſt per Spiritum ſanctum.

Idem Bernard. Serm. 9. *Oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui*. Hoc vnum quod mihi reliquum eſt efflagito, vt perfectè per Spiritus ſancti infuſionem cum meo vniar dilecto. Et pleniùs in Epiſtola ad Fratres de Monte Dei, prope finem, ſic ait: Super hanc autem alia eſt adhuc ſimilitudo Dei. Hæc eſt de qua iam aliquanta dicta ſunt in tantum propriè propria, vt non iam ſimilitudo, ſed vnitas ſpiritus nominetur, cùm fit homo cum Deo vnus ſpiritus, non tantùm vnitate volendi idem, ſed expreſſiore quadam

vni-

vnitate virtutis ( ſicut iam dictum eſt ) aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc vnitas Spiritus non tantùm quia efficit eam, vel afficit ei ſpiritum hominis Spiritus ſanctus; ſed quia ipſa, ipſe eſt Spiritus ſanctus, Deus charitas, cùm per eum, qui eſt amor Patris & Filij, & vnitas, & ſuauitas, & bonum, & oſculum, & amplexus, & quidquid commune poteſt eſſe amborum in ſumma illa vnitate veritatis, & veritate vnitatis: hoc idem homini ſuo modo fit ad Deum, quod cum ſubſtantiali vnitate Filio eſt ad Patrem, vel Patri ad Filium: cùm in amplexu & oſculo Patris & Filij mediam quodammodò ſe inuenit beata conſcientia, cùm modo ineffabili incogitabilique fieri meretur homo Dei, non Deus, ſed tamen quod Deus eſt ex natura, homo ex gratia.

Et infrà ſic inquit: Quidquid tamen de viſione & cognitione Dei hîc fidelibus impartitur, ſpeculum eſt & ænigma, tantum diſtans à futura viſione & cognitione, quantum à veritate diſtat fides, vel tempus ab æternitate, niſi cùm aliquando fit, quod de eo in libro Iob legitur: *Qui abſcondit lucem in manibus, & præcipit ei vt rurſum oriatur*, & annuntiat de ea dilecto ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit peruenire. Electo enim & dilecto Dei aliquando viciſſim lumen quoddam vultus Dei oſtenditur, ſicut lumen clauſum in manibus patet, & latet ad arbitrium tenentis, vt per hoc, quod quaſi in tranſcurſu vel in puncto permittitur videre, inardeſcat animus ad plenam poſſeſſionem luminis æterni, & hereditatem plenæ viſionis Dei: cui vt innoteſcat aliquatenus id quod ei deeſt, nōnumquam quaſi pertranſiens gratia perſtringit ſenſum amantis, & eripit ipſum ſibi, & rapit in diem, qui eſt à tumultu rerum, ad gaudia ſilentia; & pro modulo



Digitized by Google

ſuo ad momentum, ad punctum id ipſum oſtendens ei videndum ſicuti eſt, interim etiam & ipſum efficit in id ipſum, vt ſit ſuo modo ſicut illud eſt. Vbi cùm didicerit quid interſit inter mundum & immundum, redditur ſibi, & remittitur ad mundandum cor ad viſionem, ad aptandum animum ad ſimilitudinem, vt ſi aliquando rurſum admittatur, ſit purior adhuc ad videndum, & ſtabilior ad fruendum.

Rurſum inferiùs hanc Dei manifeſtationem confirmat, dicens: Sapientia enim pietas eſt, hoc eſt cultus Dei, amor quo eum videre deſideramus, & videntes in ſpeculo & in ænigmate, credimus, & ſperamus, & in hoc proficimus, vt eum videamus in manifeſtatione.

Demum in fine totius Epiſtolæ concludit, dicens: Hoc ergo ineffabile (cùm non niſi ineffabiliter videatur) qui vult videre, cor mundet, quia nulla corporis ſimilitudine dormienti, nulla corporea ſpecie vigilanti, nulla rationis indagine, niſi mundo corde humiliter amantis videri poteſt vel apprehendi. Hæc eſt enim facies Domini, quam nemo poteſt videre, & viuere mundo. Hæc eſt ſpecies, cui contemplandæ ſuſpirat omnis qui affectat diligere Dominum Deum ſuum in toto corde ſuo, in tota anima ſua, in omni mente ſua, & in omnibus viribus ſuis. Ad quod etiam non deſinit excitare proximũ ſuum, ſi diligit eum ſicut ſeipſum. Ad quod cùm aliquando admittitur, in ipſo lumine veritatis indubitanter videt præuenientem gratiam.

S. THOMAS

Opuſculo 60. grad. 7. & 8. amoris. Poſtremò, cùm ſenſeris tactu, qui cognoſcit de proximo, & in coniunctione maxima, labia illa Ieſu, labia diſtillantia myr-

myrrham primam, vt non myrrham, ſed mellis ſtillam primam, polluta olim animæ tuæ labia non abominari, ſed mirabiliter ipſis imprimi, ineffabiliter oſculari, quaſi oblita innectionis, *Exploratores eſtis*; oblita comminationis, *per ſalutem Pharaonis, non exibitis.* deinde & quaſi oblita iuſſionis, non iudicem vt magnum prætendere metuendum, ſed ſponſum amantem tenerrimè & teneriter reamandum: *Poſt quæ*, inquit, *auſi ſunt loqui ad eum*; ſic audet illa quando loquitur, *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

Et infrà: In præcedentibus ergo gradibus anima amat, & amatur; quærit, & quæritur; vocat, & vocatur: in hoc autem gradu quodam miro & indicibili modo rapit, & rapitur; tenet, & tenetur; ſtringit, & ſtringitur; & vna vni per amoris copulam ſociatur. Dionyſius: Amor eſt copula amantis cum amato. Et poſt pauca: Nec talis copula hæc, ſed omnem artem & facultatem tranſcendens, copulat animam Deo, creaturam Creatori, finitum infinito, ſemper congruè, ſemper verè, ſemper benè: hoc igitur eſt adſtringere.

Idem Angelicus Doctor 2.2. q. 175. art. 2. vbi apertè explicat naturam ecſtaſis ab amore in voluntate cauſatam, qui amor verè eſt ille vnitiuus & fruitiuus, de quo loquimur.

S. BONAVENTVRA

Serm. 2. de Lumin. Eccleſ. Cùm verò mens in illa vnitione commendata fuerit Deo, dormit quidem vno modo, & alio modo vigilat. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sola affectiua tunc vigilat, & ſilentium omnibus aliis potentiis imponit, & tunc homo alienatus à ſenſibus, & in ecſtaſi poſitus, & audit verbum quod non licet homini loqui, quia tantùm eſt in affectu. Vide rationem. Exprimi non poteſt niſi

Digitized by Google

niſi quæ concipitur, concipi non poteſt niſi quæ intelligitur, igitur quæ ſupra intellectum eſt, exprimi non poteſt.

Idem latiùs lib. de Itin. ætern. Itiner. 5. diſtinct. 6. Ex his igitur, inquit, patet planè, quòd actus dilectionis excellit & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non poteſt, quia ſuperintellectualis eſt, ſaltem in hac vita, quia in patria *videbimus Deum ſicuti eſt*, vt dicit Ioannes. Nec obſtat quod dicit Auguſtinus, Incognita non poſſunt amari; quia eſt notitia aliqua non intellectualis, ſed affectualis ſeu experimentalis, vt ſtatim patebit. Cum prædictis concordat Hugo Cōmentator Dionyſij, dicens ſic: Intelligas quanta eſt vis veri amoris & dilectionis, ſi tamen intelligi poteſt quantum dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt intelligentiâ; plus enim diligitur, quàm intelligitur. Intrat dilectio & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat; & reddit rationem. Quia amor, inquit, præſumens & confidens amato, ſuo acumine penetrat omnia, impetum ſequens ardentis deſiderij ſui, nec diſſimulari valens, donec ad amatum perueniat, & eo ipſo ampliùs adhuc ſitiens, intrare ipſum, & eſſe cum ipſo, & eſſe tam propè, vt, ſi fieri poſſit, hoc idem ipſum ſit quod ipſe. Ecce expreſsè dicit, quòd verus amor Dei vnit Deo immediatiùs quàm intellectio, & quòd intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis eſt ſuperior intellectuali. Et infrà: Hæc reuelatio ſuperintellectualis æternorum fuit facta Moyſi in interioribus deſerti conſtituto, quærenti à Domino, quod ſibi nomen eſſet. Reſpondit Dominus in ſubiecta creatura,

tura, dicens: *Ego ſum qui ſum*, vt dicit Vercellenſis. Ego ſum eſſe in ſe reflexum, vel entitas, quale nomen non concipitur, niſi ab apice principalis affectionis, quæ æternitati vnitur. quaſi dicat, Me nemo poteſt cognoſcere niſi per meipſum, vnde nomen quod quæris, eſt mirabile, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Niſi ſcilicet, qui acceperit per reuelationem, vel experientiam (vt Auguſtinus ait) vel ſicut dicit Aymo, qui ad hoc prædeſtinatus eſt, vt experimento cognoſcat. Ex quo patet, quòd reuelatio hæc non fit niſi mentibus Seraphicis, in interioribus deſerti exiſtentibus, id eſt in caligine occulti ſilentij, in qua reuelatè & verè apparet Deus ſuperintellectualiter, vt dicit Lincon. Hactenus D. Bonauentura.

Oportet tamen aduertere, D. Bonauenturam præfatis verbis non aſſerere, dari actum voluntatis ſine propria cognitione (vt falsò aliqui Theologi illi imponunt) ſed voluntatem in hac vita magis poſſe amare, quàm intellectum intelligere, vt etiam D. Thomas apertè fatetur, vt conſtat manifeſtè ex verbis allatis, ſi attentè legantur.

HVGO DE S. VICTORE

Super Dionyſ. cap. 7. de Angelica Hierarch. Hîc intelligas, ait, quanta eſt vis amoris veri & dilectionis (ſi tamen intelligi poteſt) quoniam dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt intelligentiâ; plus enim diligitur quàm intelligitur. Intrat dilectio, & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat. Et reddit rationē iſtius; Quia verus amor ſiue charitas nullum patitur medium inter ſe, & obiectum, quod Deus, ſed vehementer tendit in ipſum immediatè, & ideò numquam quieſcit, donec omnia tranſeat, & ad ipſum dilectum, & in ipſum veniat. Vnde ſubdit ibidem: Dilectio ſiue amor impetum ſequens ardentis deſi-

deſiderij ſui, nec diſſimulare valens, donec ad amatum peruenerit, amatum appropinquat quantum poteſt, & eo ampliùs ſitiens intrare ipſum, cupit eſſe cum ipſo, & eſſe tam propè, vt ſi fieri poſſet, hoc idem ipſum ſit quod ipſe. Nihil enim velocius, nihil acutius, nihil ſubtilius amore, aut penetrabilius: quia natura ſua non quieſcit, donec naturaliter amabilis totam penetrauerit virtutem, & profunditatem, & totalitatem quantum poteſt.

Idem lib. 2. de Anima cap. 20. Cùm enim, ait, cœperit mens per puram intelligentiam ſemetipſam excedere, & illam incorporeæ lucis claritatem tota intrare, & in his quæ intrinſecus videt, quemdam intimæ ſuauitatis ſaporem trahere, & ex eo intelligentiam ſuam condire, & in ſapientiam vertere; in tantum in hoc mentis exceſſu pax illa, quæ exuperat omnem ſenſum, inuenitur atque obtinetur, vt fiat ſilentium in cælo quaſi hora dimidia, ita vt contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur: nihil inueniens quod vel per deſiderium petat, vel per faſtidium arguat, vel per odium accuſet; ſed intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur, intromittitur in quemdam affectum multùm inuſitatum introrſus, ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi ſemper ſic ſentiretur, profectò magna felicitas eſſet. Nihil ſenſualitas, nihil agit imaginatio, ſed omnis inferior vis animæ proprio interim viduatur officio: purior autem animæ pars in illud intimæ quietis ſecretum, & ſummæ tranquillitatis arcanum felici iucunditate introducitur. Viuus quidem ſermo eſt Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus. Et ideò nihil in creaturis hac diuiſione mirabilius cernitur,

vbi id quod eſſentialiter vnum eſt atque indiuiſum, in ſeipſum ſcinditur; & quod ſimplex in ſe & ſine partibus conſtat, quaſi quadam partitione diuiditur. Neque enim in homine vno alia eſſentia eſt eius ſpiritus, atque alia eſt eius anima, ſed prorſus vna eademque ſimplicis naturæ ſubſtantia. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina ſubſtantia intelligitur, ſed cùm ad diſtinctionem ponitur, gemina vis eiuſdem eſſentiæ, vna ſuperior per ſpiritum, altera inferior per animam, deſignatur. In hac itaq; diuiſione anima, & quod animale eſt, in imo remanet; ſpiritus autem, & quod ſpirituale eſt, ad ſumma euolat. Ab infimis diuiditur, vt ad ſumma ſublimetur. Ab anima ſcinditur, vt Domino vniatur. Quoniam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo. Felix diuiſio, & mirabilis ſeparatio, vbi quod corpulentum & fæculentum eſt, deorſum remanet; quod ſpirituale & ſubtile eſt, vſque ad ſpeculationem diuinæ gloriæ ſublimatur, & in eamdem imaginem transformatur. Pars inferior componitur ad ſummam pacem & tranquillitatem, pars autem ſuperior ad gloriam & iucunditatem.

RICHARDVS DE S. VICTORE

Sæpè tam in libris de Contemplatione quàm in Cant. variiſque aliis in locis fruitiuæ Vnionis facit mentionem. In Pſal. 4. cap. 4. in illa verba, *In pace in idipſum, dormiam, & requieſcam*: Pax illa, per quam & in qua anima obdormit, per quam exteriorum omnium interim memoriam amittit, per quam ipſa ſibi in obliuionem venit, in qua ſeipſam ſupergreſſa tota in Deum tranſit. Pax inquam illa, quid aliud eſſe videtur, quàm internum illud bonum, & plenum gaudium, quædam (vt ſic dicam) ſupereffluentia ſpiritualium deliciarum, mira ſcilicet & ineffa-

effabilis quædam ſatietas cæleſtium deſideriorum. Pacem ſanè tunc tantùm veram plenam obtinere videtur, quando omne eius deſideriũ internæ illius dulcedinis ſuperabundantiâ penitùs abſorbetur.

Et infrà: Nam (vti iam dictum eſt) contemplationem admiratio, admirationem verò ſequitur exultatio. In hac autem exultatione perfunditur animus mira quadam & ingenti dulcedine, quam nullus ſenſus poteſt æſtimare, nullus ſermo valet explicare. Cùm enim cæleſtis ille ſponſus ſponſæ ſuæ charitatis amplexibus coniungitur, & ad eius oſculum inclinatur, ad eius attactum ſubitò cæleſti quadam dulcedine animæ perfunditur, quam quidem ſentire poteſt, ſed nulla ſermonis latitudine explicare poteſt. Ille enim diuinorum labiorum fauus diſtillans, fixis ſponſæ labiis fortiter expreſſus incipit diſtillare dulcedinem, & emanare ſuauitatem. Influens itaque ille cæleſtis ſuauitatis dulcor, incipit primò quidem ſponſæ interiora replere, poſtmodum autem vſque ad os effluere, tandem verò per labia emanare in tantum, vt à ſponſo ſuo ſtatim audire mereatur: *Mel & lac ſub lingua tua, fauus diſtillans labia tua*, eò quod ex abundantia cordis os loquatur.

D. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, Vir ſanè diuina eloquentia præditus, ac diuinarum affectionum patiens, in ſuis Operibus non rarò huius Dei cum anima cæleſtis Vnionis meminit, vt videre licet in lib. de Incendio amoris, cap. 3. & de Cognitione ſponſi & alternatione ipſius acceſſus & diſceſſus, cap. 14. & præcipuè cap. 12. tractatus de Caſto connubio Verbi, vbi dum docet gradus, quibus ſponſa prouehitur ad Verbi fruitionem, ita ſcribit: Ideoque ex fecunditate ſpiritualis prolis, Verbi frui-

fruitione dignior efficitur. quemadmodum autem realiter ſe expoſuit, cautè ſe cuſtodiuit, fiducialiter egit opus iniunctum, perfecit ardenter, ſolliciteque ad ſe rediit, ſic in Verbi amplexibus iucundiſſimè ruit, dulci guſtu repletur, perfunditur gaudio, exultat affectu, lumine coruſcat, & dilectione langueſcit, cunctorum quæ foris ſunt obliuiſcitur, horum quæ pertulit malorum non meminit, deſiderata Verbi fruens præſentia. Inde, ſi liceat, numquam cupit exire, amoris referta dulcedine, ardet & gemit, clamat & tacet, tenet & deficit, amplectitur & ſuſpirat, magnoque amoris deſiderio anxia, quò plus paſcitur, eò vehementiori charitatis vulnere ſauciatur. Tantò autem magis ſui obliuiſcitur, quantò ampliùs Verbi inhæret veſtigiis. tunc propheticum illud dulci valet promere modulatione: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum*: Pſal. 72. & illud: *Defecit in ſalutari tuo anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui:* Pſal. 118. hæc quidem (ex parte tamen) ſunt caſti amoris exercitia, hæc Verbi animæque præludia, quæ nequaquam pro voto aut ſuſcipientis merito adſcribenda ſunt, ſed beneplacito tribuentis. Ipſe enim quippe eſt Dominus, qui omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra. Quippe quod ſuum eſt, agat, & iuxta ſuam poſſibilitatem, vt dignus ad Verbum ad ſe ſuſcipiendum efficiatur, humiliter ac diligenter ſe præparet: reliquum verò totum Verbi committat prouidentiæ, quoniam paterno omnes amans affectu nihil ſubtrahit animæ profuturum, quamuis hæc mens humana non capiat.

ABBAS VERCELLENSIS

Apud D. Bonauenturam de Septem itineribus æternitatis, Itin. 6. art. 6. Tertius, ait, gradus quo



Digitized by Google

Deus attingitur eſt, cùm Deus per amorem tenetur & amplexatur, & ſpiritualiter manducatur. Hi autem actus & gradus ſunt principium ipſius affectus & voluntatis. Vnde Auguſtinus dicit, quòd voluntas habet vnum proprium actum, qui eſt actus tenendi ſiue amplexandi, & quaſi poſſidendi; quos actus non poteſt habere intellectus: nam poſſeſſio non eſt intellectus cognoſcentis, ſed voluntas habentis; ſicut ſanitas ſani non eſt Medici cognoſcentis, ſed ſani eam habentis. Vnde & actum guſtandi non habet intellectus, ſed voluntas, quia guſtus eſt in charitate, ſicut dicit Richardus: ſicut Deus per memoriam auditur, & per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur & attingitur. Hunc tactum ſpiritualem experta fuit, quæ dixit: *Laua eius ſub capite meo.* Lęuæ nomine intelliguntur ſplendores intellectus ſpeculatiui, qui ad guſtum viatoris pertinent; dextræ nomine, quæ patriam ſignat, intelligitur ſuperintellectualis vnio ad Deum, quæ ſpeculum neſcit, & quaſi ad præmium inclinat tamquam arrha & pignus, nec auferetur. Quare dicit ſponſa: *Inueni eum, nec dimittam illum* poſt tam exceſſiuos amplexus & ineffabiles.

DIONYSIVS CARTHVSIANVS

Artic. 8. in Commentariis Myſticæ Theologiæ S. Dionyſij ita ſcribit: In contemplatione autem Myſticæ Theologiæ, qua Deus per omnium ablationem & abnegationẽ cognoſcitur, clariùs & ſublimiùs noſcitur & videtur, quàm in contemplatione prędicta per affirmationes, ideò & obiectiuè non tamen quid eſt, ſed quia eſt, ſeu per appropinquationem grandem ad notitiã quidditatis. Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis & intelligentiæ vertex Deo vniri tamquam omnino ignoto,

in

in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitùs de illo cognoſcere: non quòd ab illius inſpectione omnifariè vacet, præſertim cùm ita ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſſibilis, vt ipſemet magnus Dionyſius & Expoſitores ipſius teſtantur: ſed quia in hac contemplatiua & ſapientialiſſima ac feruentiſſima vnione cum Deo mens acutiſſimè & limpidiſſimè conſpicit, quàm ſuperincomprehenſibilis, & ſuperſplendidiſſimus, & ſuperpulcherrimus, & ſuperluminoſiſſimus, & ſuperamabiliſſimus, & ſupergaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens & immenſus, atque quàm infinitè & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, viſioneque faciali immediatè & clarè intuitiua diſtet, deficiat, & occumbat, ideoque præ admiratione & amore deficit & defluit à ſeipſa, gaudioſè quoque ac dulciter abſorbetur, obdormit, acquieſcit ſuper dilectiſſimo Deo Creatore, Saluatore, ac miſeratore, imò & ſupergratiſſimo ſuo ſponſo, totius beatitudinis ſuæ ſuperpiiſſimo fonte, omnipotentiſſima & liberaliſſima cauſa.

Idem art. 16. de Fonte lucis, explicans illa verba Iob 36. *In manibus abſcondit lucem*, ita inquit: Inſuper lucem contemplationis theoricæ, ac myſticæ radium viſionis tenens Deus in manibus, eamdem lucem pulcherrimè radiantem ad libitum menti purgatæ nunc pandit & influit, nunc retrahit & abſcondit. Cumque hanc lucem Omnipotens menti oſtenderit, mox mole magnitudinis ſuæ, actualitate, & excellentia maieſtatis, perfectionis ac luciditatis ſuæ immenſæ mentem in momento, in ictu oculi, in puncto ſic dulciter, non violenter vincit & opprimit, vt ipſa defluat atque deficiat à ſeipſa, & victa



Digitized by Google

Deus attingitur eſt, cùm Deus per amorem tenetur & amplexatur, & ſpiritualiter manducatur. Hi autem actus & gradus ſunt principium ipſius affectus & voluntatis. Vnde Auguſtinus dicit, quòd voluntas habet vnum proprium actum, qui eſt actus tenendi ſiue amplexandi, & quaſi poſſidendi; quos actus non poteſt habere intellectus: nam poſſeſſio non eſt intellectus cognoſcentis, ſed voluntas habentis; ſicut ſanitas ſani non eſt Medici cognoſcentis, ſed ſani eam habentis. Vnde & actum guſtandi non habet intellectus, ſed voluntas, quia guſtus eſt in charitate, ſicut dicit Richardus: ſicut Deus per memoriam auditur, & per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur & attingitur. Hunc tactum ſpiritualem experta fuit, quæ dixit: *Laua eius ſub capite meo.* Lęuæ nomine intelliguntur ſplendores intellectus ſpeculatiui, qui ad guſtum viatoris pertinent; dextræ nomine, quæ patriam ſignat, intelligitur ſuperintellectualis vnio ad Deum, quæ ſpeculum neſcit, & quaſi ad præmium inclinat tamquam arrha & pignus, nec auferetur. Quare dicit ſponſa: *Inueni eum, nec dimittam illum* poſt tam exceſſiuos amplexus & ineffabiles.

DIONYSIVS CARTHVSIANVS

Artic. 8. in Commentariis Myſticæ Theologiæ S. Dionyſij ita ſcribit: In contemplatione autem Myſticæ Theologiæ, qua Deus per omnium ablationem & abnegationẽ cognoſcitur, clariùs & ſublimiùs noſcitur & videtur, quàm in contemplatione prędicta per affirmationes, ideò & obiectiuè non tamen quid eſt, ſed quia eſt, ſeu per appropinquationem grandem ad notitiã quidditatis. Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis & intelligentiæ vertex Deo vniri tamquam omnino ignoto,

in

in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitùs de illo cognoſcere: non quòd ab illius inſpectione omnifariè vacet, præſertim cùm ita ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſſibilis, vt ipſemet magnus Dionyſius & Expoſitores ipſius teſtantur: ſed quia in hac contemplatiua & ſapientialiſſima ac feruentiſſima vnione cum Deo mens acutiſſimè & limpidiſſimè conſpicit, quàm ſuperincomprehenſibilis, & ſuperſplendidiſſimus, & ſuperpulcherrimus, & ſuperluminoſiſſimus, & ſuperamabiliſſimus, & ſupergaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens & immenſus, atque quàm infinitè & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, viſioneque faciali immediatè & clarè intuitiua diſtet, deficiat, & occumbat, ideoque præ admiratione & amore deficit & defluit à ſeipſa, gaudioſè quoque ac dulciter abſorbetur, obdormit, acquieſcit ſuper dilectiſſimo Deo Creatore, Saluatore, ac miſeratore, imò & ſupergratiſſimo ſuo ſponſo, totius beatitudinis ſuæ ſuperpiiſſimo fonte, omnipotentiſſima & liberaliſſima cauſa.

Idem art. 16. de Fonte lucis, explicans illa verba Iob 36. *In manibus abſcondit lucem*, ita inquit: Inſuper lucem contemplationis theoricæ, ac myſticæ radium viſionis tenens Deus in manibus, eamdem lucem pulcherrimè radiantem ad libitum menti purgatæ nunc pandit & influit, nunc retrahit & abſcondit. Cumque hanc lucem Omnipotens menti oſtenderit, mox mole magnitudinis ſuæ, actualitate, & excellentia maieſtatis, perfectionis ac luciditatis ſuæ immenſæ mentem in momento, in ictu oculi, in puncto ſic dulciter, non violenter vincit & opprimit, vt ipſa defluat atque deficiat à ſeipſa, & victa



Digitized by Google

amore ac ſtupens præ admiratione eius quam contemplatur maieſtatis ac claritatis immenſæ, præ Deitatis quã cernit delicioſiſſima ſerenitate, neſciat de ſeipſa: ſiquidem repentè tam validè illuſtratur ac inflammatur, vt prorſus ſuccumbens vires & ſenſus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis ſecretum inducta, in infinitæ lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis oceano rapta deperditur, in amoris igne immenſi reuoluta comburitur, atque in ſuperuaſtiſſimæ ac ſuperpleniſſimæ ſolitudinis impertranſibili & immenſa amplitudine ſecuriſſimè errat, feliciter deuiat, perdens ſeipſam, neſciens vbi, vel quando. Verùm in hac intuitione tranquilliſſima ac cherubica, mens humana vt plurimùm non diu defigitur, ſed Deus lucem, quam paulò antè infudit, retrahit & abſcondit in manibus, atque poſt modicum denuò præcipit ei, vt menti aduenieus oriatur maiori nonnumquam cum claritate quàm antè. Qua luce menti fulgente, mens iterùm intus ſplendeſcit, igneſcit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit.

HENRICVS DE BALBIS, *ſeu vt alij volunt,* DE PALMIS,

Tractatum edidit præclarum de Myſtica Theologia, quem aliqui immeritò adſcribunt D. Bonauenturæ. Is in toto fermè illo Tractatu hanc vnionem, quam ex mente D. Dionyſij diuinam ſapientiam appellat, ſummopere laudat, extollit, ac pleniſſimè declarat; præcipuè tamen c. 3. part. 4. hanc immediatiſſimam voluntatis noſtræ cum Deo vnionem ſæpè repetit, dicens: Quia ordinatiſſimus procedendi modus in humanis ad diuina certitudinaliter reperitur, quando mens ſupra ſe prouecta, mouetur immediatè in Deum, veluti in terminum, ſine etiam com-

commixtione alterius cuiuſcumque creaturæ ſuperioris vel inferioris. Quia ergo conſiderando rationes æternas, mens in quantum ab ipſis egredientem creaturam conſiderat, in tantum à parte altera infra ſeipſam finitur, vt non totaliter ſupra ſeipſam integraliter erigatur: quia ergo ſapientia vnitiua omnem contemplationem vel conſiderationem in ſuis motibus creaturæ relinquit ad ſuum vnicum intelligibile ſupra ſeipſam aſpirans, ideò reſpectu ipſius exiſtentium (licet ſit nobilis contemplatio) dimitti præcipitur, cùm ſit ibi aliqua incuruatio & perceptio naturalis, & ideò mens per iſtam relatiuam contemplationem non relinquit omnimodam humanam apprehenſionem, vt omnino veluti per aliam mens ſuper naturales limites collocetur. Et infrà: Vnde diuina miſeratione ſecundùm quod competit, conſurgenti hoc accidit, vt quando mens per multorum temporum curricula aſpirauit, vt ſuum dilectum intimiùs ei coniuncta ardentiori vinculo amoris conſtringeret ad modicum, prout capax eſt, prout fit in raptu; viſio beata conceditur, maximè cùm ab irretentibili, ab abſoluto fit munda, & erigitur tunc ad diuinarum tenebrarum radium, ſcilicet lumen diuinæ incomprehenſibilitatis; ibi vocatur tenebra, ſecundùm quod in Epiſtola dicitur ad Timoth. ſic diuina caligo lumen eſt inacceſſibile, in qua habitare Deus dicitur, & inuiſibilis quidem exiſtens propter excedentem charitatem, &c. Vnde ſapientia illa eſt immediatè ante cognitionem raptus, & ſic diutiùs aſpiranti à dilecto dicitur: *Amice, adſcende ſuperiùs.*

Idem eod. lib. q. vnic. in fin. ſic ait: In ſapientia autem myſtica contrarium eſt: nam ille verus amor, qui eſt Spiritus ſanctus, tertia perſona in diuinis, &



Digitized by Google

vltima reſpectu ordinis perſonarum, nobis eſt propinquor & prima in conſurrectione affectiua in Deum. Vnde ipſe Spiritus ſanctus per ignem amoris tangit & inflammat ſupremũ affectiuæ apicem, & indicibiliter ſine omni cogitatione vel rationis diſcretione ad ſe trahit: vnde ſicut lapis ſuo pondere trahitur & fertur naturaliter ad ſuum centrum inferius, ſic apex affectus ſuo pondere & directione immediatè, & ſine obliqua obliquatione, abſque omni præuia vel concomitante cogitatione ſurſum fertur in Deum. Vnde illa potentia, quæ eſt affectus & ſupremum in hominis ſpiritu, Spiritui ſancto immediatè amoris vinculo eſt vnibilis. Et hæc potentia, vt eſt ſupremum in ſpiritu, quaſi ab omnibus ignoratur, niſi ab illis, in quibus ab igne ſancti Spiritus immediatè affectus tangitur & mouetur. Vnde Dionyſius hanc virtutem vocat immediatè motam à Spiritu ſancto, & ſecundùm iſtam procedit tota ipſa Myſtica Theologia, & dicit ſic: Eſt & nunc nobis lex prædefinita, veritatem de Deo docens nos aſſeuerare non in perſuaſibilibus ſummæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione à Spiritu, more theoricarum virtutum, ſecundùm quam ineffabiliter & ignotè coniungimur, ſecundùm meliorem noſtræ intellectualis virtutis & operationis vnionem, &c. vnde ſecundùm iſtam virtutem motam à Spiritu ſancto immediatè eſt multò maior de Deo cognitio, quàm per omnem intellectum vel rationem inueſtigando, vnde primùm tangitur ſupremus apex affectus ſecundùm quem mouetur per ardorem in Deum, & ex iſto contactu relinquitur in mente veriſſima cognitio intellectus. Nam illud ſolum quod ſentit de diuinis, veriſſimè apprehendit intellectus, vt dicitur in fine principij Myſticæ Theologiæ, ſic
per

per vnitionem dilectionis, quæ eſt affectiua veræ cognitionis, vnitur Deus intellectualiter ignoto, &c. Ex qua etiam vnitione ingenium ad inueſtiganda occulta mirabiliter clareſcit.

IOANNES RVSBROCHIVS,

Quem Dionyſius Carthuſianus virum diuinum ac alterum Dionyſium Areopagitam ſæpiſſimè appellat, is in lib. qui inſcribitur de Calculo, ſiue de Perfectione filiorum Dei, manifeſtè hanc cum Deo immediatam coniunctionē docet, licet manifeſtiùs & frequentiùs hanc eamdem vnionem aſſerat in lib. 3. de Ornatu ſpirituali nuptiarum. Igitur in præfato libro de Calculo filiorum Dei, ſic ait: Verumtamen Deo per medium & ſine medio vnimur; per medium videlicet gratię ſuæ, & noſtrorum operum: gratia enim Dei mentem noſtram irradians, docet nos veritatem, dirigitque nos ad omnes virtutes, & in æternam Dei dilectionem & amoris exercitium. Verumtamen vltra has, gratiam & virtutes inter Deum & nos mediantes, Deo ſine medio vnimur, quando impetu ardentis amoris excedimus omne creatum, vſque in ipſas superſubſtantiales Dei diuitias, vbi in amore cuncta tranſimus, morientes omni conſideratione, in quamdam inſcientiam & caliginem ibi agimur, & ſuperinformamur ipſo Verbo æterno, quod eſt imago Patris.

IOANNES GERSONIVS,

Vir tam in Scholaſtica quàm Myſtica Theologia peritiſſimus, plurimis in locis confirmat hanc de Vnione fruitiua ſententiam 3. Tom. in Cant. conſider. 3. Amor, inquit, expoſitus in Cantic. canticorum, fruitio Dei, vel oſculatio oris nominatur aptiſſimè, non ſolùm habitualis & tepida, ſed actualis, feruens & ecſtatica, & præcipuè Seraphica, cu-



Digitized by Google

ius eſt immediatè ferri in Deum, quamuis ex parte animæ concurrat multitudo habituum & influentiarum. Omne prætereà datum optimum, & donum perfectum, deſcendens à Patre luminum,&c. Quæ omnia tamquam virtus vniuoca (tradente Dionyſio) replent, & reſtituunt, & conuertunt ad congregantis Patris vnitatem, & Deificam ſimplicitatem, vbi tunc apex Seraphicæ mentis ineffabili & ignoto Deo ineffabiliter & ignotè coniungitur: ignotè quidem, quia infinitè, & immensè, cùm virtus cognoſcentis & natura ſint finita: ſed de hoc poſteriùs tangamus. Interim per rememorationem paucula de ſponſatione morali ſpiritus Deiformis cum diuina Sapientia dicimus, quorum conſideratio præcedere debet tamquam via ad deſponſationem anagogicam neceſſaria. Oſculum ſponſi, vel oſculatio, eſt digniſſima impreſſio cuiuſdam ſuauitatis & intimæ conſolationis per illapſum ſecretum in anima. Et infrà: Et in ſtatu præſenti Deus gerit amicitiam erga animam ſanctam, quia communicat ſibi ſeipſum & amorem ſuum, & dona ſua ad fruendum, & vtendum, & vniuerſaliter pertractandum quantum ipſa rationabiliter voluerit & potuerit accipere plus vel minus, pro varietate ſtatuum in quibus eſt conſtituta. Quare Auctor hic diſtinguit inter communicationem, qua Deus ſeipſum communicat, & eam qua communicat amorem & dona ſua.

Eodem etiam tractatu in Cant. Sympſalmate 1. Amor autem, ait, non eſt niſi conuenientia & adaptatio rei ad ſuum conueniens. Porrò nullum eſt obiectum conuenientius ſponſæ quàm ipſe Deus, ſummum bonum, ad quod capiendum & poſſidendum facta eſt. Quare ſupereſt, dum ſibi coniungitur,

gitur, inhæret & vnitur tanta propinquitate, quanta ſunt os & os oſculantia ſe mutuò. Quare cauſatur ex hac vnitionis perceptione delectatio nō qualiſcumque, ſed in ſuo genere ſuprema; quia ſuperius eſſe bonum non poteſt: proptereà quietatur, gaudet & lætatur in hac vnica operatione, nullum aliud obiectum petens, quamuis ipſius continuationem poſſeſſionemque ſecuram amare non ceſſet. Neque tamen eſt motus propriè dictus, qui eſt actus entis in potentia, cùm habeat amor id quod actualiter requirit, ſicut eſuriens id edens, quod habet ſemper in præſentia, caret motu faſtidij, conſequitur amor ex hac delectatione illud de Pſalmo, *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Adhuc clariùs infrà in eodem loco, Quo, inquit, proceſſu habito, nouus poterit liberè & arbitrariè inchoari, quia mouebit ſe voluntas dilectiuè, non in cognitionem præſentatam intus per intellectum, ſed in rem extrà vel quaſi extrà exiſtentem, ſcilicet Deum. Non enim amat voluntas cognitionem huiuſmodi Dei tamquam vltimum finem, ſicut neque poteſt eſſe finis eius. Amat enim Deum ipſum immediatè, & ſe fert in ipſum, & amplectitur, & oſculatur, & vberibus ſuis hæret, & in eius fragrantia delectatur, licet non videat oculo ad oculum, vel facie ad faciem Deum. Deinde voluntas coniuncta fini ſuo vltimo Deo, præcipit arbitrio proprio, & imperat intellectui, quaſi dicendo: Veni, vide, guſta & ſenti quàm dulcis eſt Dominus.

Prætereà Sympſalmate 4. explicans illa verba, *Laeua eius ſub capite meo*, &c. non obſcurè idipſum expreſſit his verbis: Cùm igitur ait, quidquid eſt cognitionis in ſponſa, quidquid amoris formalis, totum ſit finitum, totum ſpectabit ad læuam, &

 dex-

dextra ſola ſponſi amplexabitur ſponſam, quæ tamen pertinet ad læuam. Propterea neceſſe eſt quòd nihil ſit medium inter eos, ſed manebunt duo extrema, Deus ſuperior, non loco, ſed æternitate; & ſponſa inferior, cum omni quod in ea vel circa eam finitè poſitum eſt.

Et tract. 9. ſuper *Magnificat* part. 4. prope finem. Manſionis huius, inquit, conuenientiam gratuitam profectò felix qui poſſederit habitualiter; felicior, qui actualiter cum habitu; ſed feliciſſimus, qui reuelata facie transformatus fuerit in eamdem imaginem de claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu actus, ductus, & tractus, ita quòd ſentiat per illuminatos cordis oculos, ſicut imprecatur Apoſtolus ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, hoc eſt gratiam hanc coniungentem, & charam vnitatem ad ſimplificam Deitatem. Multi quidem ſunt qui habent in habitu, ſicut pueri nouiter baptizati, multi qui in actu poſſident, & exercent dum merentur; ſed pauciſſimorum eſt ſentire diſtinctè & apertè nexum iſtum, manſionem iſtam, vocem iſtam, propter occurſationes curarum in memoria, phantaſiarum in intelligentia, & concupiſcentiarum (quamuis minimè criminalium) in volitiua vel affectiua. Sentiunt hanc gratiam inhabitationis Chriſti & Spiritus ſancti, qui cum Apoſtolo mente excedunt Deo, prætereà ſentiunt operationem intra ſe Verbi Dei.

### Doctor Ioannes Taylervs.

Vt interim varia huius Auctoris teſtimonia prætermittam, vnum aut alterum tantùm ex Inſtitutionibus cap. 12. depromam, vbi ſic ait: Ideoque ſic ipſe ſpiritus ſuo rurſus nihilo ſeſe immergit, manet tamen ſua illi creata eſſentia, atque in illo dumtaxat

ex-

exceſſu & eleuatione in incomprehenſibilem ac immenſam infinitæ Diuinitatis claritatem liqueſcit profluitq́ue, in qua etiam viciniùs ineffabiliter vnitur quàm ipſe purus aër ſolari lumini, dum ab eo in meridie perfunditur ac illuſtratur. Vbi licet ſplendor ſolis & aër ipſe ſine medio ſint vnita, non tamen ſplendor aërem ſua natura & eſſentia priuat, ſed ipſum purgat, illuſtrat, nobilitat, & transformat: eodem ſanè modo & hominis ſpiritui contingit; in Deo ſiquidem puriſſimè illuſtratur, nobilitatur, & in diuinæ conformitatis transformatur ſimilitudinem, nec tamen in ſublimi illa ad Deum vicinitate vel propinquitate creatam eſſentiam ſuam amittit. Deo quippe ſuũ tribuens honorem, creatam eſſentiam ſuam ex illius increata eſſentia originem traxiſſe, denique ex nihilo factam eſſe, & naturali quodam exitu ex Deo profluxiſſe, ac ſupernaturali introitu in Deum remeaſſe ac refluxiſſe fatetur. Hîcq́ue iam in abyſſali Diuinitatis pelago ſpiritus ipſe ſubmergitur & abſorbetur, ita vt dicere poſſit, Intra me Deus, extra me Deus, & vndiq; circa me Deus: totum mihi Deus, nec quidquam noui niſi Deum. Porrò bonæ voluntatis ac virtuoſum cor, quod iſta diligit, nec tamen ea quandoque guſtat vel experitur, nihilominùs ex intimo ſui altiſſimas Dei diuitias, quas ſuis exhibet electis, fideliter laudare ſtudebit, ſicq́ue horum omnium erit particeps, & deſiderium ipſius pro eius capacitate implebitur.

Idem etiam in Inſtit. c. 28. Sicut enim aqua fluida ſponte vaſi aptè ſuppoſito, debiteq́ue collocato illabitur, ſic & quando interiora noſtra Deo ſubiiciuntur & accommodantur, ſol Diuinitatis, qui occaſum neſcit, nec obſcuratur vnquam, micantes radios ſuos in fundum ad ſe conuerſum dirigit inſtar

ſolis

ſolis huius corporei, qui ſplendorem ſuum in terram ſibi directè ſubſtratam diffundit. Et ſicut hic, vbi nullum obſtat medium, ibi primò omnes humores, exhalationes, ſordes ex terra attrahit, ipſaque calefacit, purgat, exſiccat, & ad ſphæram ſuam vſque adducit, vbi craſſi illi vapores in tantam abeunt lucem & puritatem, vt inſtar ſtellarum fulgeant: ſic & homini interno ac introuerſo, Deoque ſine medio ſubſtrato, vſuuenire ſolet. Enimuerò ſol diuinus in eius præclarum fundum continuè lucis ſuæ mittit radios, dulcique ſplendore ſuo omnem impuritatem & terrenæ delectationis vaporem extrahens, ipſum ſpiritum magis ac magis ſuſtollit, donec ad ſuæ Diuinitatis adducat ſphæram, ipſumque prorſus diuinum efficiat, adeò vt iam huiuſmodi homo Deum ſibi multò præſentiorem ſentiat inueniatque, quàm ſit vel ipſe ſibi, vel aliud quodcumque; ipſumq; in fundo ſuo multò fulgere lucidiùs, quàm ſol iſte corporalis oculis ſuis externis reſplendeat, atque adeò ſe cum ipſa luce vnum experiatur.

HENRICVS HARPHIVS

Lib. 3. Myſtic. Theol. p. 3. cap. 24. ſic ait: Eia nunc proſequamur de feliciſſimo contubernio diuino, quo felix anima potiſſimum & nobiliſſimum ſuſurrium Deo ingerit, dicens, *Oſculetur me oſculo oris ſui:* quodque poſt anheloſa deſideria per nudam & ſimplicem mentis otioſitatem amoroſo immergio in dilectum ſe proclinans, tandem conſequitur, vbi felici complexu ſe inuicem oſculantur, quoniam immediatè Deo per amoris vnionem coniungitur, & quodammodò Deificatur. Dicit enim Bernardus ſuper eodem verbo: Ego arbitror neminem facilè ſcire quid ſit oſculum, niſi qui accipit. Eſt quippe manna abſconditum, & ſolus qui edit, adhuc eſurriet;

riet; & ſolus qui bibit, adhuc ſitiet. Non eſt cuiuſlibet hominis, ſed ſi quis ſemel ab ore Chriſti ſuſceperit, habet proprium experimentum, quod profectò ſollicitat & cogit ampliùs ad petendum. Höc oſculum ſola & rara perfectio experitur: oportet enim huiuſmodi amare caſtè, vt ipſum ſponſum ſolum & non alium amet, petat, vel quærat amare ſanctè, quia non in concupiſcentia carnis, ſed in puritate ſpiritus; amare ardenter, vt ita amore ſponſi inebrietur, quòd maieſtatem non cogitet. Hoc oſculum nihil aliud eſſe credimus, niſi Spiritum ſanctum ad conſolationem animæ ſanctæ miſſum: ſicut enim oſculantium ſpiramen ſe permiſcet, vt vnus anhelitus iudicetur: ſic Spiritus ſanctus noſtro ſpiritui dulciter immiſſus fit vnus ſpiritus cum eo, quæ ſcilicet vnio Deificationem animæ feliciter accelerat. Quæ nimirum Deificatio ſuper omnem rationem & intellectum experientia feliciſſima ſentitur impleta, vbi nec ratio valet attingere, licet illuminata ratio ea quæ ſentit amor ſemper intelligere conatur.

Et ne forſan aliquis exiſtimaret, Auctorem in ſuperioribus loqui de præſentia Dei immediata, qua omnibus rebus ratione ſuæ immenſitatis præſens eſt, infrà eodem cap. ſuam apertiùs explicat ſententiam, dicens: Ex his vtcumque admirabilem illam Deificationem & immediatiſſimam vnionem oſtendere poterimus, quam anima feliciſſima cum Deo poſſidet per amorem, qui cauſat illud dulcifluum oris oſculum de quo nunc loquimur. Nunc ergo diligentiùs intendite. Licet cum eſſentia ſua Deus intimior ſit & præſentior animæ noſtræ, quàm ipſa ſibi ſit, ſicut ſubſtantia quædam eſt omnium creaturarum: hæc tamen diuina præſentia ſecundùm eſſe dumtaxat eſſentiale ipſius animæ eſſe dignoſcitur,

nec

nec ſanctum faciens, nec beatum eſſe eius actuale: quia non eſt obiectiua præſentia, quę ſola eſſe actuale animæ formare ſolet. Cùm igitur intellectiua virtus animæ Deum agnoſcit in formis & ſimilitudinibus, amatiua virtus ſe protinus transfert in Deú, ſicut illum in imaginatiua virtute reperit imaginatum, ſtatimque cum eadem imagine virtus amatiua formatur in ea, Deum diligens & amplectens ſecundùm exigentiam illius imaginis, ſiue fuerit imago maieſtatis, bonitatis, pietatis, charitatis, ſiue ſapientiæ aut diuinæ eſſentiæ: nihilominùs tamen ſimplicem & rectam eius intentionem per omnes imagines & ſimilitudines nudè ſine medio transfert in Deum. Cùm autem per virtutem amatiuam anima ſuper omnem imaginem & ſimilitudinem in illam caliginoſam nihileitatē ſuæ cogitationis aſcenderit (vt dictum eſt) ibi Deus eidem obiectiuè ſine medio præſens eſt ſecundùm totalitatem Diuinitatis ſuæ.

D. LVDOVICVS BLOSIVS.

Præterea Bloſius, Abbas Lætiēſis, huius ſęculi laudatiſſimus vir, qui inter alia Opera varia eruditione & eximia pietate referta, ſpeciatim de hac altiſſima Dei cum anima coniunctione, præcipuè c. 11. Speculi ſpiritualis latiſſimè pertractauit, vbi ſic inquit: Magna prorſus res eſt, tempore huius exilij Deo per myſticam nudamque vnionem in diuino lumine copulari. Fit autem hoc, quando munda, humilis & reſignata anima ardenti charitate ſuccenſa, ſupra ſeipſam Dei gratiâ euehitur, & ad ingentem diuinæ lucis claritatem menti affulgentem, amittit omnem conſiderationem atque diſtinctionem rerum, deponitque imagines etiam excellentiſſimas, ac tota amore liquefacta, & velut ad nihilum redacta, defluit

in

in Deum: tunc enim ſine medio coniungitur Deo, & efficitur vnus ſpiritus cum eo, atque in illum transformatur tranſmutaturque, ſicut ferrum in ignem poſitũ tranſmutatur in ignem, non deſinens eſſe ferrum. Fit vnum cum Deo, non tamen ita vt ſit eiuſdem ſubſtantiæ & naturæ cum Deo. Quieſcit hîc anima, ceſſatque à propria actione, & optabilem Dei operationem dulciter ſuſtinens, pace gaudioque ineffabili abundat. Et infrà: Igitur anima vaſtiſſimam Diuinitatis ſolitudinem ingreſſa, feliciter ſe perdit, & lucidiſſimæ caliginis claritate illuſtrata, præ cognitione fit quaſi ſine cognitione, atque in ſapienti quadam ignorantia conſtituitur. Quæ licet neſciat quid ſit Deus, cui nuda claritate vnita eſt, licet non videat Deum ſicuti eſt in gloria ſua, experimento tamen diſcit illum infinitè tranſcendere omnia ſenſibilia; & quidquid de Deo ſcribi, dici, vel humano intellectu apprehendi poteſt, ſentit longè aliud eſſe ſine imaginibus in Deum excedere, quàm in nobilibus aut diuinis imaginibus atque ſimilitudinibus Deum intueri. Denique per intimum amoris complexum contactumque meliùs Deum cognoſcit, quàm exteriores oculi ſolem cognoſcant viſibilem. Huiuſmodi anima optimè ſcit quid ſit vera contemplatio: nam aſpectus eius in regionem ineffabilis lucis directus, ibique defixus, feliciter cernit quàm anguſta, & exigua, ac planè nihil ſit omnis creatura, cõparata celſiſſimo atq; interminato Deo.

Idem Auctor in cap. 12. Inſtitut. ſpiritual. ita ſcribit: Felix illa anima, quæ puritati cordis ſanctæque introuerſioni iugiter ſtudet, & priuato amori, ſeu propriæ voluntati, propriæque quæſitioni prorſus renuntiat, hæc enim magis ac magis Deo appropinquare meretur. Tandem verò ſuperioribus eius viribus

ribus diuina gratia ſubleuatis, clarificatis, & exornatis, vnitatem nuditatemque ſpiritus obtinet, & purum atque indepictum amorem, ſimplicemque cognitionem (quæ cogitationum expers eſt) adipiſcitur. Iam itaque cùm excellentis indicibiliſque gratiæ Dei fit capax, ad viuum illum fontem, qui ab æterno manat, ac Sanctorum mentes ſatis ſuperque reficit, perducitur. Iam vires eius adinſtar ſtellarum lucent, & ipſa fit idonea ad contemplandum Diuinitatis abyſſum ſereno, ſimplici, & iucundo intuitu, abſque imaginatione, & ſine aliqua intellectus admixtione. Vnde quando ſeſe ad Deum cum amore integrè conuertit, incomprehenſibili luce in fundum eius effulgente, rationis & intellectus oculus reuerberatus caligat: ſimplex verò ipſius animæ oculus, nempe pura, nuda, vniformis, & ſupra intellectum eleuata cogitatio, manet apertus. Porrò naturali lumine intellectus à tanta claritate obfuſcato, anima nihil in tempore adſpicit, ſed ſupra tempus, & locum erecta, quamdam æternitatis proprietatem aſſumit: nam imagines, & diſtinctionem conſiderationemque rerum admittens, iam experimento diſcit, Deum longè tranſcendere omnes corporales, ſpirituales atque diuinas imagines, & quidquid intellectu apprehendi, quidquid de Deo dici ſcribíve, quidquid nominis ei imponi poteſt, clarè perſpicit, talia omnia à veritate diuinæ eſſentiæ in infinitum diſtare, ob idque eamdem eſſentiam innominabilem eſſe: ignorat tamen quid ſit Deus, quem ſentit. Hinc præ cognitione facta ſine cognitione, in ſolo amabili, nudo, ſimplici, & ignoto Deo quieſcit. Lux quippe diuina propter nimiam ſui claritatem inacceſſibilis eſt, vnde & caligo appellatur. Suſcepit hîc anima verbum abſconditum, quod Deus in interno ſilen-

ſilentio & ſecreto mentis receſſu loquitur. Hoc ſuſcipit, atque vnionis myſticæ complexum feliciter experitur. Vbi enim intellectum omneſque imagines per amorem exceſſit, & ſupra ſemetipſam euecta eſt (quod ſolus Deus ei præſtare poteſt) iam à ſe defluens, profluit in Deum, tuncque Deus pax & fruitio eius eſt. Illa ergo in tali mentis exceſſu poſita iure cantat: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Defluit inquam amans anima, deficitque à ſeipſa, & velut ad nihilum redacta, in abyſſum æterni amoris collabitur; vbi ſibi mortua viuit in Deo, nihil ſciens, nihil ſentiens præter amorem quem guſtat: perdit enim ſe in vaſtiſſima Diuinitatis ſolitudine atque caligine; ſed ſic ſe perdere, inuenire eſt. Ibi ſanè, quidquid eſt humanum exuens, & quod eſt diuinum induens, transformatur mutaturque in Deum, ſicut ferrum in ignem poſitum formã ignis accipit, & tranſmutatur in ignem: manet tamen eſſentia animæ ſic Deificatæ, quemadmodum ferrum ignitum non deſinit eſſe ferrum. Igitur ipſa anima quæ priùs erat frigida, iam ardet; quæ priùs erat dura, iam mollis eſt: planè tota Dei color eſt, quiá eſſentia eius eſſentiâ Dei perfuſa eſt: tota diuini amoris concremata, totáque liquefacta tranſiit in Deum, & ei ſine medio vnita, vnuſque ſpiritus cum eo effecta eſt: ſicut aurum & æs in vnam metalli maſſam conflantur. Ceterùm illorum qui in Deum ita excedunt & rapiuntur, diuerſi gradus ſunt: nam eò quiſque profundiùs atque ſublimiùs in ipſum Deum pertingit, quò efficaciùs ardentiuſque ſeu amoroſiùs ſe ad eum conuertit, & quò perfectiùs in ipſa conuerſione omnem propriã quæſitionem repellit.

Et infrà: O ſanctam illam animam, quæ à Deo ſingulariter viſitata, & ſupra omnia creata ſupraque

Cc pro-

propriam operationem eleuata, in vi memoratiua nudatur omnibus imaginibus,& meram puritatem atque ſimplicitatem ſentit; in vi intellectiua percipit præfulgidas illuminationes Solis iuſtitiæ, & diuinam veritatem agnoſcit: porrò in vi amatiua ſentit æſtum quamdam quieti amoris, ſiue contactum Spiritus ſancti tamquam fontem viuum manantem riuulis æternæ ſuauitatis, atque ita ad excellentem cum Deo vnionem inuitatur introduciturque. O felicem illam horam! tunc nimirum anima ſupernaturali iucundiſſimaq; iucunditate & gaudio vernantiſſimoq intus perfruitur, ac futuram beatitudinem aliquo modo prægustat. O quàm beatus eſt, cui fragrantiſſimum illud ver, & æſtas illa amœniſſima exoritur, cuique diuinam copulam vel ad momentum experiri conceſſum eſt! Is enim ad id perducitur, quod nec ratio nec intellectus capere, neque lingua exprimere poteſt. Per ſapientem ignorantiam & per intimum amoris contactum meliùs Deum cognoſcit, quàm exteriores eius oculi viſibilem ſolem cognoſcant; vſque adeò ſtabilitur in Deo, vt Deum ſibi viciniorem eſſe ſentiat, quàm ipſe ſit ſibi. Vnde & Deiformem ſupereſſentialemque vitam iam ducit, factus Chriſto ſecundùm ſpiritum, animam, & corpus conformis, ſiue comedat ſiue bibat, ſiue vigilet ſiue dormiat, ſemper in eo Deus operatur, qui ſupereſſentialiter viuit in illo. Talem ipſe Deus docet de omnibus, & ſpirituales myſticoſque ſenſus ei aperit; creberrimè, vel etiam indeſinenter eum viſitat, adſtringit, oſculatur, illuſtrat, accedit, penetrat, & implet. Nam cùm anima eius ſit iam ſpeculum clarum ſine macula diuino ſoli conuenienter obiectum ſubſtratumque, ipſe Sol iuſtitiæ non poteſt non aſſiduè ſtillicidia gratiæ, radios

ſa-

Digitized by Google

ſapientiæ, & claritatis ſcintillas in eam diffundere. Valdè quidem ſublimiter atque mirabiliter Deus ſe nonnumquam animæ perfectæ reuelat atque manifeſtat, nondum tamen ſe oſtendit ſicuti eſt in ſua ineffabili gloria, ſed ſicut in hac vita videri poteſt.

Frater Ioannes à Iesv Maria, Peritiſſimus & eruditiſſimus Theologus, ac mira ſanctitate conſpicuus, noſtri Ordinis Generalis, vir diuina patiens, ac ſuis ſcriptis vniuerſo orbi notiſſimus, in tract. de Myſt. Theol. cap. 5. explicans hunc immediatum Spiritus ſancti tactum, ita inquit: Ad hunc ergo modum Theologorum Myſticorum doctrina libranda eſt, vt nimirum qui Via purgatrice ac illuminatrice profecerunt, & his viis affectum excitare perquam ſedulò didicerunt, ad tantam interdum voluntatis agilitatem pertingant, vt ſimplici dumtaxat rerum diuinarum conceptione præmiſſa, ſtatim ſine alio intellectus actu ferantur in Deum. Sed vt ad felicem huiuſmodi agilitatem voluntas attollatur, & vt (quod iam ſubiicimus) donum tangentis Dei detur experiri, in calce Operis tradetur methodus præſtandi quod in nobis eſt, vt clementiſſimus Deus noſtros adiuuet perficiatque conatus.

Tribus igitur præfixis contemplationis & amoris diuini parandi modis, ſupereſt ille nobiliſſimus & facilè ſupremus Dei tactus, de quo caput hoc inſcriptum eſt, qui ſupra modos alios voluntatem commouet atque perurit, & qui præ ceteris arcanus eſt.

Fit autem arcanus hic tactus, vt nonnullis Scriptoribus videtur, cùm ſine vllo intellectus actu comite vel præuio, Spiritus ſanctus ſui amoris igne tangit & inflammat ſupremum affectus apicem, hoc eſt (iuxta doctrinam traditam) ipſam voluntatis

ſummitatem, vel portionem ſuperiori intellectus portioni reſpondentem. Nos verò in ea ſumus ſententia, quæ aſſerit eum tactum ſine aliquo intellectus actu fieri non poſſe, cùm S. Auguſtinus lib. 10. de Trinit. & S. Thomas 1. 2. q. 27 art. 2. cenſeant nihil incognitum, hoc eſt ſine cognitione, amari poſſe. Quando autem voluntas ſic tangitur, diuina patitur, hoc eſt diuino modo afficitur. Ex eo quippe tactu, motus ſiue impulſus quidam imprimi videtur ei, vt in Deum velut in centrum ſuum feratur, qualis ex magnetis tactu ſtylis ferreis imprimitur, quo ſemper in mundi polum verticémve cientur. Et hæc ſecretiſſima totius Myſticæ Theologiæ pars eſt.

Poſtquam autem Spiritus ſancti tactu benè affecta, multiſque impulſibus inſecuta & amplexata Deum voluntas diuina patitur, & guſtu intimo Dei bonitatem ac pulchritudinem percipit, affulget intellectui, qui inferiùs remanſerat, clariſſima & veriſſima Dei cognitio, multò certè nobilior quàm per alias doctrinas vniuerſas, & ingenium fit maximè perſpicax. Quin verò non ſolùm anima, verùm & ſenſus & corpus mirificè perficiuntur: quantò enim affectus ille viget magis, tantò etiam magis corruptio carnis diminuitur.

Idem cap. 6. Anima deinde ſic patiens tota fertur in Deum illo explenda, & diuina illi vnione ſocianda. Quod ſi pro voto contingat, dum Deus animam inuiſit, celebratur caſtiſſima ſpiritus creati cum increato coniunctio, qui eſt alius amoris effectus, & appellatur Vnio. Quia verò vnio ſolùm videtur ſignificare contactum, myſticumque duorum ſpirituum amplexum; ſequitur inhæſio mutua, qua ſpiritus alter alterum ſibi apprimit & adſtringit, ſeque illi

illi velut agglutinat: qui amoris effectus Mutua inhæſio nuncupatur.

Verùm, quia & ipſa inhæſio mutua, obſeruata corporum metaphora, cuti dumtaxat affigi, nec ad intima penetrare videtur, ſubſequitur hauſtus quidam, & quaſi potus alterius ſpiritus, alterum velut poris diductis attrahentis & ebibentis more ſpongiæ, recentiſve panis aquam ſugentis. Et hic effectus vocatur Fruitio. In hunc igitur modum recenſuimus amoris effectus, qui vigent, dum quod amatur bonum, præſens eſt; præter ecſtaſim & liquefactionem, quæ abſente etiam bono inualeſcunt, licet præſente perficiantur Perficitur ſanè anima amore liquefacta, dum illam Deus præſentiſſimus explet, & illas velut intercapedines implet, quæ fiunt dum anima amoris igne rareſcit. Vnde laxatur & hiat ampliùs Deum præſentem bibitura: eſuriȩs enim Dei veſcendo, ſitis bibendo perficetur.

Et infrà: Sed ſupremus omnium raptuum is eſſe videtur, quo ad eſſentiam animæ, in quam ineffabili modo per gratiam Deus illabitur, tres potentiæ diuiniùs quàm in proximo raptu iam deſcripto, affectȩ conuocantur & reflectuntur, vt intellectus agnoſcat, voluntaſque tangat ſuauiſſimum Deum, tamquam verum Salomonem in eburneo ſolio reſidentem, & cum deſponſa ſibi anima, pacis conſtantiſſimæ fœdera pangentem. Fit autem hic raptus (quemadmodum qui feliciter experti creduntur, tradidere) Deo animam tangente, & efficaciſſimo tactu ad ſe arripiente. Quem profectò tractum, ſiue tactum, mox vt anima recipit, vires omnes inferiores introrſum impelluntur, & ſenſus ab operatione deſiſtunt: intellectuales verò potentiæ in ſua nobiliſſima operatione collocantur. Memoria ditatur influxu cæ-



Digitized by Google

leſti, intellectus clareſcit ſublimibus illuſtrationibus, voluntas eliquatur ardentiſſimis deſideriis. Quin & anima tam diuina vi ſtabilitur eo Dei tactu, vt voluptates diuinas ſine defectione valeat ſuſtinere.

Verùm altiùs euehitur anima tactu illo: nam poſtquam manum porrigente Deo, & potentiam ad perfectiſſimos actus ſuos permouente, anima excitata eſt, tam celeri motu potentiæ ſuperiores, actus ſuos exercent, vt ipſa incitata operatione deficere videantur. Trahuntur enim introrſum in ipſam eſſentiam animæ, in quam conuertuntur, à phantaſmate minimè præpeditæ. Nec enim intellectus in eo ſtatu à phantaſmate, quo potitur, prægrauatur, ſiue à notitia diuinæ veritatis retardatur; ſed omnia corporea prætergreſſus reflectitur in eſſentiam more cæleſti. Cùm verò Deus ibi tamquam in pacatiſſima ſua ſtatione præſideat, fit quidam ſiue amplexus, ſiue contactus animæ cum eo, quo videtur anima liqueſcere, ac in Deum tota prorſus influere. In illam nempe diuiniſſimam ſtationem conuocatæ potentiæ auidiſſimè feruntur, & poſt incitatum curſum ſilentio miro quieſcunt. Gradiuntur pariter intellectus & voluntas, ſed intellectus nimio ſplendore à Deo, qui ſedet in eſſentia emicante, perſtringitur, & velut excæcatur, ac pro foribus illius thalami ſubſiſtit. Apex tamen affectus, vel ſummitas voluntatis, amoris impetum proſequi cupiens progreditur, & arctiſſimè Deo ſociatur, ac denique quieſcit; illuc vſque enim incitata operatio procurrerat. Eſt ſatis aperta ſimilitudo, cùm quis in mortis agone incitatis motibus trahit halitum, donec halitu poſtremo animum efflat. Sic quippe poſt multos motus anagogicos, in Dei ibi exiſtentis amplexu anima videtur



Digitized by Google

detur quaſi mori, vt in Deum transformata feliciùs viuat.

Et iterùm inferiùs: At verò, ad felicem illam quaſi mortem regredientes, annotemus oportet, potentias illas duas ſic euectas coram diuina claritate, quæ à Deo in animæ centro vel (vt Theologi Myſtici aiunt) fundo quieſcente diſſultat, miro modo affici; quemadmodum & ipſa afficitur anima, quæ more ferri candentis propria forma non amiſſa, ſed à præſente Deo traiecta & incenſa, ſe Dei genus eſſe facilè demonſtrat; ſicut & ferrum dum candet, mirificè ignem repræſentat, & illius proprietatibus pollet. Proportione verò ſeruata, in eum etiam modum intellectus & voluntas afficiuntur. Quæ certè potentiæ in centrum vel fundum animæ vocatæ (licet voluntas propiùs accedat) introducuntur in quamdam vaſtiſſimam quaſi Diuinitatis ſolitudinem, vbi voluntas Deum ineffabili ſenſu percipit, & intellectus, amiſſa omni rerũ diſtinctione ac varietate, vniuerſiſque etiam nobiliſſimis imaginibus ſuperatis, Deum ſapientiſſimè ignorans (nec enim illum intuetur vt in patria) diuinitus agnoſcit. Excelſum ſanè ignorationis genus, illa videlicet irrationalis & amens ſapientia, à S. Dionyſio Areopagita tantopere celebrata: non ſanè quòd rationi vel menti renitatur, ſed quòd eam longè ſupergrediatur, & arcano valdè modo comparetur. Intellectus quippe nec Deum in propria diuina natura cernit; nec verò in imaginibus, quæ in aliis contemplationis gradibus non adeò nobilibus concipiuntur, ſpeculatur, ſed in quamdam velut caliginem immerſus, ac Deo circumfuſus, ſereniſſima ac tranquilliſſima quadam notitia neſciens quid ſit Deus, agnoſcit proculdubiò illum tunc ſibi in nebula præſentiſſi-

mum diuiniore quodam modo, qui omnibus modis aliis notitiíſve, quæ de illo vel ſcribuntur vel concipiuntur, immenſo certè ſpatio ac magnitudine antecellit. In hac certè caligine, vel nebula, vel tenebris (vt olim Moyſi in montis vertice contigit) clariùs à purgatiſſimo iam intellectu cognoſcitur, quàm vel exprimi, vel ſine experimento cogitari poſſit. Quæ certè cognitio vnà cum ſuauiſſimo Dei guſtu, quem voluntas percipit, Theologia Myſtica eſt; licet multis auctoribus intellectu obturato, ſolius voluntatis diuina patientis, & Spiritus ſancti tactu vel ſenſu fruentis affectio, Theologia myſtica eſſe videatur, vt cap. proximo liquebit.

## *Teſtimonia alia non tam Patrum aut Doctorum, quàm inſignium feminarum, earum nempe, quæ & diuino lumine illuſtratæ, & propria experientia edoctæ, de hac præſentiſſima ac immediata Dei cum ſpiritu noſtro vnione fidem fecerunt.*

### S. Angela de Fulginio

Tanta cum diſtinctione ac claritate de hac Spiritus increati cum creato coniunctione tractauit, vt vix à peritiſſimis Theologis quidquam aliud poſſit deſiderari. Hæc igitur cap. 27. agens de quadam ineffabili Dei in anima ſua manifeſtatione, pleniſſimè operationes tam intellectus quàm voluntatis ſupremas, ac omnes effectus ex hoc miro Spiritus diuini cum rationali anima vinculo promanátes ſequentibus verbis explicat: Conſequenter poſteà eleuata ſum in ſpiritu, & inueni me totam int[illegible] in Deo, modo alio quàm vnquam conſueuerim, & videbatur

mihi

mihi quòd eram in medio Trinitatis, altiori & maiori modo quàm conſueuerim, eò quòd recipiebam maiora bona ſolito, & quia eram in ipſis bonis continuè, & plena lætitiis, & deliciis, & delectamentis maximis & inenarrabilibus, quæ omnino ſunt ſupra omnia quæ vmquam experta fui. Fiebant autem in anima operationes diuinæ tantum ineffabiles, quòd nullus Sanctus nec Angelus poſſet enarrare vel explicare; & intelligo quòd illas operationes diuinas & illam profundiſſimam abyſſum nullus Angelus nec alia creatura eſt ita capax, quòd poſſit eam comprehendere. Et videtur mihi, quòd illud quod dico ſit maledícere vel blaſphemare, & ſum extracta de omnibus quę habueram priùs, in quibus conſueueram delectari, ſcilicet de vita, de humanitate Chriſti, & de illa conſideratione illius profundiſſimæ ſocietatis quam tantum dilexit ab æterno, quam dedit etiam Filio ſuo, in quibus etiam ego conſueueram delectari, videlicet in paupertate, in dolore, in deſpectu Filij Dei viui conſueuit eſſe repauſatio mea, & meus lectus. Et ſum extracta de omni illo modo videndi Deum in tenebra, quæ me tantum conſueuit delectare. Et ſum extracta de omni illo ſtatu priori cum tanta vnctione & dormitione, quòd nullo modo percipere potui, niſi quòd modò recordor quòd non habeo illa. Et in illis bonis ineffabilibus, & in operationibus diuinis prædictis, quæ fiunt in anima mea, Deus ſe priùs præſentat in anima, faciens operationes diuinas ineffabiles, & poſteà conſequenter ſe manifeſtat aperiendo ſe animæ, & donando adhuc ei maiora dona cum maiori adhuc certitudine & claritate ineffabili.

Et præſentat ſe priùs animæ duobus modis. Vno modo præſentatur intimè in anima mea, & tunc in-



Digitized by Google

telligo eum præſentem, & intelligo quomodo eſt præſens in omni natura, vel in omni re habente eſſe, in dæmone, in Angelo bono, in inferno, in paradiſo, in adulterio, in homicidio, in omni bono opere, & in omni re habente aliquo modo eſſe, tam in pulchra, quàm in turpi. Vnde quando ſum in iſta veritate, non minùs delector de Deo, videndo vel intelligendo vnum Angelum bonum, vel vnum bonum opus, quàm vnum malum: & iſto modo præſentatur multùm aſſiduè in anima mea, & hoc præſentare, vel præſentatio, eſt illuminatio cum magna veritate & diuina gratia; ita quòd quando anima iſtud videt, non poteſt offendere in aliquo: & hæc illuminatio apportat in anima multa bona diuina, & iam tunc intelligens Deum eſſe præſentem, valdè humiliatur, & recipit confuſionem de peccatis ſuis, & recipit hîc anima magnam grauitatem ſapientiæ, & magnam conſolationem diuinam, & magnam lætitiam.

Alio modo præſentatur magis ſpecialiter, & valdè diuerſo modo à prædicto, & dat aliam lætitiam à prædicta, & recolligit totam animam in ſe, & facit in anima multas operationes diuinas cum valdè maiori gratia, & cum inenarrabili abyſſo delectationum & illuſtrationum; ita quòd ſolum illud præſentare Dei ſine aliis donis, eſt illud bonum, quod Sancti habent in vita æterna. De donis autem quæ Sancti habent in vita æterna, aliqui Sancti habent plura, aliqui pauciora. Quæ dona quamuis non valeam dicere, imò meum dicere plus eſt deuaſtare & blaſphemare, quàm aliquid dicere: dico tamen quòd in eis ſunt dilatationes animæ, quibus anima fit magis capax ad capiendum & habendũ de Deo. Et ſtatim cùm Deus ſe pręſentat animæ, conſequenter

ter manifeſtat ſe, aperiendo ſe animæ, & dilatat animam, & donat ei dona & dulcedines, quas numquam fuit experta, cum valdè maiori profundo quàm prædictum ſit; & eſt extracta tunc anima de omni tenebra, & fit animæ maior cognitio Dei, quàm intelligam poſſe fieri, & fit cum tanta claritate, & cum tanta dulcedine & certitudine, & cum tanta abyſſo, quòd non eſt cor, quod ad id poſſit attingere.

Vnde nec cor meum poteſt pòſt redire ad aliquid de eo intelligendum, nec etiam de eo aliquid cogitandum, niſi ſolummodò quòd à Deo donatur animæ quòd leuatur in id, quòd numquam cor poteſt ſe de cetero extendere in aliquo ad illud. Et ideò non poteſt aliquid dicere omnino de illo, nec aliquod verbum reperire poteſt, quod illud dicat vel ſonet, nec etiam cogitatio nec intellectus aliquis poteſt ſe extendere ad illa, tantum ſuperant omnia, ſic & taliter; quòd Deus per aliquid quod dicatur, nec contegitur, commendari non poteſt. Scriptura tamen diuina eſt ita alta, quòd non eſt homo ita ſapiens in toto mundo, etiamſi habeat ſapientiam quantum poteſt in iſto ſtatu, quòd poſſit eam ita plenè intelligere, quin ſuperetur intellectus eius ab ea; & de illis operationibus diuinis ineffabilibus illius manifeſtare Dei, quæ ſunt & fiunt in anima, nihil omnino loqui vel balbutire homo poteſt. Et quia anima mea ſæpè leuatur in ſecreta diuina, ideò intelligo illud quòd facta eſt Scriptura diuina, & id quod videtur dicere, & contradicere; & id quo facta eſt facilis, & difficilis; & illud, quo nullam vtilitatem habet aliquis de ea, quia non obſeruantes damnantur ex ea; & illud quo alij obſeruantes ſaluantur in ea. Et ſto deſuper hæc cognoſcens, & ideò rediens

Digitized by Google

diens de ſecretis Dei, ſecurè loquor aliqua verbula, quæ ſunt de extra illas operationes diuinas ineffabiles, nullo modo appropinquans eis, imò meum loqui de eis & meum dicere, eſt deuaſtare, vnde & dico me blaſphemare. Si enim omnes conſolationes diuinæ, & omnes lætitiæ ſpiritales, & omnia delectamenta diuina, quæ vmquam in hoc mundo fuerunt, & non ſolùm quæ fuerunt, ſed, etiamſi omnes Sancti, qui fuerunt ab initio mundi vſque modò, aſſiduè habuiſſent explicare de Deo, & ſi omnia delectamenta bona vel mala, quæ vmquam fuerunt, conuerterentur in bona delectamenta & ſpiritualia, & durarent mihi vſquequò perficerentur; tamen pro omnibus prædictis ego non darem ſeu non cambiarem delectationem quam ego habeo de illo inenarrabili manifeſtare Dei tantum, quantum eſt leuare vel claudere oculorum. Et hoc dico tibi, vt aliqualiter iſto modo poſſim ponere in corde tuo, quòd adhuc illud inenarrabile bonum, quod ego habeo, ſuperat in infinitum omnia prædicta. Et non habeo ſolùm per vnum aperire vel claudere oculorum, imò habeo per bonum ſpatium ſæpè: & multoties illo modo, ſed multò efficaciter.

Alio autem modo, ſed non ita efficaciter, habeo quaſi continuè. Et quamuis ego poſſim recipere triſtitias & lætitias exteriùs aliqualiter & parum, intus tamen in anima mea eſt camera, in qua non ingreditur aliqua lætitia vel triſtitia, nec delectatio alicuius omnino virtutis, vel alicuius rei quæ nominari poſſit: ſed intrat in illam illud omne bonum. Et in illo manifeſtare Dei (quamuis ego blaſphemem ſic Chriſtum nominando) quia non poſſum ipſum aliquo verbo perfectè nominare, eſt tota veritas, & in eo intelligo & habeo totam veritatem quæ eſt in cælo,

lo,& in terra,& in inferno,& in omni creatura,cum tanta veritate & cum tanta certitudine, quòd nullo modo, ſi totus mundus diceret oppoſitum, poſſem aliud credere, imò facerem truffas. Video enim qui eſt eſſe,& quomodo eſt eſſe omnium creatorum: & video quomodo fecit me capacem ad intelligendum prædicta meliori modo quàm fuerim hactenus, quando videbam in illa tenebra, quæ me tantum conſueuit delectare. Et video me ſolam cum Deo totam mundam, totam ſanctificatam,totam veram, totam rectam,totam certificatam,totam cæleſtem in eo; & quando ſum in iſto ſtatu,non recordor alicuius alterius rei. Et aliquando quando fui in iſto ſtatu,dixit mihi Deus: Filia diuinæ ſapientiæ,templum dilecti, delicium dilecti, & filia pacis, in te quieſcit tota Trinitas, tota veritas, ita quòd tu tenes me, & ego teneo te. Vna verò operationum animæ, quam Deus ſibi dat,eſt,quòd intelligo cum magna capacitate, & cum magno delectamento, quomodo Deus venit in Sacramento Altaris, cum illa magna & nobili ſocietate.

Quando verò remaneo,& ſum extra illum maximum ſtatum, video me totam peccatum, & obedientem peccato, obliquam & immundam, totam falſam & erroneam,ſed remaneo quieta,& remanet in me vna vnctio diuina & continua,quæ eſt ſumma omnium vnctionum quas vmquam habuerim omnibus diebus.

Ad prædictum verò ſtatum non ſum ego profecta, ſed ſum ducta à Deo & eleuata, ita quòd ego neſciui iſtum ſtatum velle,nec deſiderare,nec petere; & ſum nunc in iſto ſtatu continuè, & ſæpiſſimè leuatur anima mea à Deo, & non requiritur meus conſenſus; quia dum ego nec ſpero, nec cogito aliquid

quid de eo, ſubitò anima leuatur à Deo & Domino, & comprehendo totum mundum, & non videtur mihi quòd ſim in terra, ſed ſtem in cælo in Deo. Et iſte excellentiſſimus ſtatus in quo modò ſum, eſt ſuper alios ſtatus quos adhuc habui, quia eſt tantę impletionis, & tantæ charitatis, & certitudinis, & nobilitationis, & dilatationis, quòd nullum alium ſtatum ſentio appropinquare ei. Et iſtud manifeſtare Dei habui pluſquam mille vicibus, ſemper nouiter alio modo & diuerſo ab alia vice. Et ſemel in feſto S. Mariæ Candelariæ habui illud inenarrabile manifeſtare Dei, & dum fieret in anima mea, tunc animæ meæ fuit facta repræſentatio ſuimet, & vidit anima ſemetipſam tantæ nobilitatis & altitudinis, quantum numquam potueram cogitare, nec intelligere, nec aliàs poſſem credere, quòd anima mea, vel animæ quæ in paradiſo ſunt, poſſent eſſe tantæ nobilitatis; & anima mea non potuit tunc comprehendere ſemetipſam. Vnde etſi anima, cùm ſit certa, & finita, & circumſcripta, non poteſt comprehendere ſemetipſam, quantò minùs poteſt comprehendere Creatorem ſuum immenſum, & infinitum, & incircumſcriptum.

Anima autem mea tunc præſentauit ſe Deo cum maxima ſecuritate, ita quòd nullum portabat ſecum timorem; ſed præſentauit ſe Deo cum maiori delectatione, quàm vmquam fuerim experta, & cum maiori & noua & excellentiſſima lętitia, & cum tanto nouo miraculo & tam claro, quòd numquam tale potui intelligere in anima mea. Et in hac obuiatione quam tunc habui cum Deo, quando ſimul intellexi & habui prædictum inenarrabile manifeſtare Dei, fuerunt mihi data verba de Deo altiſſima, quæ nolo quòd ſcribantur.

Quan-

Digitized by Google

Quando verò anima ad ſe reuertitur, hoc ſibi remanet, & hoc inuenit in ſe, quòd placet ſibi omnem pœnam & omnem iniuriam ſuſtinere pro Deo, & quòd pro nulla re, quæ fieri vel dici poſſet, non poſſet de cetero ipſam ſeparare à Deo; vnde clamauit anima, & dixit: O dulcis Domine, quid eſt quod poſſit me à te ſeparare? Et intellexi mihi dici, quòd nihil eſt quod poſſit me de cetero à Deo ſeparare, gratia eius mediante. Hæc autem omnia ſupradicta audiui mihi dici à Deo, mirabiliori locutione quàm poſſum ego ipſa referre. Dictum eſt etiam mihi, quòd prædictum inenarrabile manifeſtare Dei, eſt illud bonum, quod Sancti habent in vita æterna: nec id bonum eſt aliud à prædicto, ſed eſt ibi alia experientia, & tantum diuerſa ab illo quod prædictum eſt, quòd minor Sanctus, qui minus habet in vita æterna, habet plus quàm poſſit dari alicui animæ exiſtenti in hac vita ante mortem corporis: & dico quòd anima mea in illo inenarrabili manifeſtare Dei hoc intellexit.

Non minori claritate ac diſtinctione eadem B. Angela diuinitus edocta c. 52. vt ſuprà, egit de hac vnione ac manifeſtatione Dei arcana in ſpiritu ſanctiſſimarum animarum. Sciendum eſt igitur, inquit, quòd venit Deus in animam quandoque non vocatus, nec deprecatus ſeu rogatus ab ipſa: & ponit in anima vnum ignem, vnum amorem, vnam ſuauitatem aliàs inconſuetam, in qua multùm delectatur & gaudet, & credit quòd hoc ſit à Deo ibi præſentaliter operante; tamen hoc non eſt certum. Item cognoſcit anima Deum eſſe in ea: quia quamuis non videat ipſum eſſe in anima, videt tamen gratiam ſuam eſſe in anima, in qua multùm delectatur.

Sed adhuc remanet aliquod dubium, quamuis ſit

ſit paruum. Adhuc enim anima perfectè nec ex toto eſt certa, ſi Deus eſt in anima, quia tales locutiones etiam cum ſentimentis poſſunt fieri ab alio ſpiritu. Remanet enim dubium ſibi, & videtur mihi quòd hoc accidat, aut propter multam malitiam & defectum eius, aut propter Dei voluntatem, quia Deus non vult eam facere magis certam, nec ſecuram. Certificatur autem anima quòd Deus eſt intus in ea, quando ſentit eum aliter quàm conſueuit, & ſentit eum notabili & duplicato ſentimento, & cum tanto amore & igne diuino, quòd aufertur ei omnis amor animæ & corporis, & loquitur, & cognoſcit, & intelligit ea quæ numquam audiuit ab aliquo mortali, & intelligit ea cum magno lumine, & eſt ei maxima pœna tacere illa, & ſi tacet, tacet propter zelum, ne diſpliceat amori, & non ſcandalizet; & propter humilitatem, quia non vult dicere ita altiſſima, ne notetur.

Item, in iſto ſentimento, quo anima certificatur quòd Deus omnipotens eſt in ea, datur animæ ita perfectè velle, quod concordat in hoc tota anima veraciter, & in omnibus, & omnimodè, & concordant cum anima omnia membra corporis, & fiunt vnum cum anima veraciter, nec repugnant voluntati eius, & vult perfectè ea quæ Dei ſunt, quæ tamen antè veraciter non ex toto volebat. Et iſtud velle datur per gratiam, in quo cognoſcit anima Deum omnipotentem eſſe in ſe, & dat ei ſecuritatem. Datur enim animæ, velle Deum & quæ Dei ſunt veraciter, ad ſimilitudinem amoris veracis, ſicut Deus dilexit nos; & ſentit anima quòd Deus immenſus eſt mixtus ſecum, & fecit ſocietatem cum ea.

Item, quando venit altiſſimus Deus ad animam rationalem, quandoque datur ei vt eum videat; & videt

Digitized by Google

videt ſine forma corporali in ſe, & videt eum clariùs quàm poſſit homo mortalis videre alium hominem mortalem: oculi enim animæ vident vnam plenitudinem ſpiritualem, non corporalem, de qua non poſſum aliquid loqui, quia deficiunt verba & imaginatio. In illo autem videre, delectatur anima delectatione ineffabili, & tunc anima ad nihil aliud reſpicit niſi ad illud: eſt enim id quod replet animam inæſtimabiliter. Et iſtud reſpicere & videre, quo ſic videt Deum omnipotentem, nec aliud poteſt reſpicere, eſt ita profundè, quòd doleo, quia nequeo aliquid manifeſtare; non enim eſt res tangibilis, nec imaginabilis, ſed eſt inæſtimabilis.

Adhuc cognoſcit anima, quòd Deus eſt in ea, ſine dubio multis modis, de quibus dicamus duos. Vnus eſt, vna vnctio, quæ ita renouat animam, & omnia corporis membra reddit manſueta & concordantia cum anima, quòd non poteſt tangi vel lædi ab aliquo, quo turbari poſſit anima in modico, & ſentit & audit quod loquitur ei Deus. Et in iſta tanta & omnino ineffabili vnctione intelligit anima certiſſimè & ſine dubio, quòd Deus omnipotens eſt in ea. Illud enim non poteſt facere aliquis Sanctus de paradiſo, nec aliquis Angelus de paradiſo: ſed eſt hoc tam ineffabile, quòd multùm doleo, quia non poſſum aliquid dicere in comparatione: & Deus mihi parcat, quia hoc non facio libenter; quia ex toto corde libenter manifeſtarem aliquid de bonitate eius, ſi poſſem, & ei placeret. Alius modus quo anima rationalis cognoſcit Deum omnipotentem eſſe intus in ſe, eſt vna amplexatio, quam facit Deus animæ rationali; quia numquam pater nec mater filium, nec aliqua perſona alia cum tanto amore amplexari poteſt aliam perſonam, ſicut Deus

omnipotens amplexatur animam rationalem. Cum tanto enim amore Dominus noſter Ieſus Chriſtus indicibiliter amplexatur & ſtringit animam rationalem ad ſe, & cum tanta dulcedine & ſuauitate, quòd non credo quòd aliquis homo de mundo poſſit dicere, nec exprimere, nec credere expertus; & quamuis poſſit forſan aliquis credere aliquid, non tamen eo modo. Apportat enim Ieſus Chriſtus in animam amorem ſuauiſſimum, quo tota ardet in Chriſto: & apportat ſecum vnum lumen tam magnum, quo intelligit tantā plenitudinem bonitatis Dei omnipotentis quam probat in ſe, quòd multò plus intelligit, quàm experiatur in ſe, & tunc aſſecuratur & certificatur, quòd Ieſus Chriſtus eſt in ea: ſed nihil dicimus de omnibus iſtis in comparatione ad ea quæ ſunt. Tunc autem anima non habet lacrymas, nec lætitiæ, nec doloris, nec alicuius alterius generis, nec alterius ſtatus; multò enim minor ſtatus eſt quando anima habet lacrymas lætitiæ.

Item apportat Deus ſecum in anima tantam ſuperplenitudinem lætitiæ, quòd anima neſcit plus petere; imò ſi duraret, hîc haberet vnū paradiſum: & hęc lętitia reſultat & redundat in omnibus membris corporis, & omnis iniuria quæ infertur vel dicitur, habetur pro nihilo, & efficitur dulcis: & propter talem alterationem factam in corpore, aliquando non potui latere ſociam meam, neque alios, quia aliquando efficior, vt dixit mihi ſocia mea, reſplendens, & tota rubicunda, & oculi mei lucentes ad modum candelæ; aut pallida, quaſi ſi fuiſſem mortua, ſecundùm varietatem viſionū & reuelationum.

SS. VIRGO TERESIA.

Non obſcurè hanc vnionem eſſe cum ipſo Deo, ſancta Virgo Mater noſtra Tereſia, ex his quæ diui-

na patiens didicet, apertè docet in lib. Manſionum, Manſ. 5. c. 1. dicens: Poſtquam Deus animam reddit inſipientem, ſiue alienam à ſenſibus, vt altiori modo fiat particeps veræ ſapientiæ, ita vt pro illo tempore quo ecſtaſim patitur, quod eſt breuiſſimum, nec videt, nec audit, nec intelligit, ita vt Deus ipſe affigitur & inhæret interiori illius animæ parti, vt ad ſeipſam reuerſa omnino ſit certa Deum in ſe, & ipſam in Deo fuiſſe: & hæc veritas ita firma & ſtabilis manet, vt etiamſi numquam ampliùs ſimilem à Deo gratiam non recipiat, nuſquam tamen obliuiſcatur. Dices, Qua ratione anima noſtra Deum vidit, aut intellexit, ſi in hac vnione, vt dictum eſt, nihil videt, nec intelligit? Reſpondeo, me non dicere, quòd in vnione ipſa tunc videat Deum, ſed quòd tranſacta vnione apertè videat Deum in ipſa fuiſſe, non quòd iſta ſit viſio, ſed potiùs quædam certitudo, quæ in anima manet de illo contactu ſiue vnione, quam certitudinem ſolus Deus poteſt infundere animæ. Prætereà, hæc certitudo non eſt alicuius rei corporalis, ſicut illa quam habemus, quòd Corpus Chriſti ſit in Euchariſtia, quamuis illud non videamus, ſed eſt quædam certitudo Diuinitatis: & illum in quo hęc certitudo non manſerit, verè affirmarem non perueniſſe ad perfectam vnionem.

Item Manſion. 7. c. 1. ſic ait: Tandem cùm Deus incipit miſereri afflictionum & laborum quos anima, quam ſpiritualiter ſibi in ſponſam elegit, paſſa eſt propter amorem ſuum, antequam celebretur & conſummetur matrimonium ſpirituale (quod licet in hac vita ingens ſit donum, non tamen ex omni parte perficitur, quia in hac vita à Deo ſemper ſeparari poteſt) eam in ſua manſione collocat, qui eo-

dem modo ac in cælo, in anima propriam manſionem in qua ipſe immoretur, ſibi eligit: non autem diuina Maieſtas, ſicut anteà in raptibus præfatis collocandam aſſumit: quia etiamſi verum ſit, quòd in ipſis, ac etiam in oratione vnionis prælibata hanc manſionem præoccupat Deus, ac tunc animam ſecum copulat; non tamen animæ viſum eſt vocari ad hoc, vt centrum ſuum, ac ſi alia eſſet; ſed tantùm partem ſuperiorem ingrediatur. At parum refert, an hoc fiat vno vel alio modo: illud ſcitu dignum erit, magnum videlicet inter ſpirituale matrimonium & ſponſalia diſcrimen verſari, ſicuti verſatur inter ſponſos, & eos qui ab inuicem ſeparari nullatenus poſſunt. Has appono comparationes, non ideò, vt hîc aliqua de corpore detur recordatio eodem modo ac ſi anima in illo non eſſet; ſed tantùm in ſolo ſpiritu, ac multò magis in ſpirituali matrimonio, quoniam in interiori centro animæ hæc arcana vnio celebratur, vbi Deus ipſe perpetuò inhabitat.

Sic igitur primum diſcrimen erit, quòd in raptu ſiue vnione potentiæ ſuſpenduntur, anima cæca ac muta remanente, nec percipere valet, quæ vel qualis ſit gratia quâ fruitur, quoniam ingens illa delectatio (de qua ſuprà mentio facta eſt) quam anima experitur, quando conſpicit ſe adiacere Deo: at cùm iam ipſi copulatur, nihil penitùs ſentit, cùm potentiæ omnes deperdantur. Hîc valdè diuersè res ſe habet; vult ſiquidem ibi Dominus Deus ſquamas ab oculis euellere, & vt de gratiis & donis ab ipſo collatis aliquid anima & videat & intelligat, etiamſi id modo mirabili fiat, eò quòd in hac manſione (in qua Deus per matrimonium copulatur) conſtituta viſione intellectuali per modum repræſentationis veri-

veritatis, SS. Trinitas, tres quoque perſonæ eidem manifeſtantur cum quadam inflammatione, quæ priùs ſpiritum eius ad ſimilitudinem perlucidiſſimæ nubis perluſtrat, ac admirabili quadam notitia vnius ſubſtantiæ, vnius potentiæ, vnius ſapientiæ, ac vnius Diuinitatis tres perſonas eſſe cognoſcit: & ita id quod fide intelligimus, ibi anima, vt ita dixerim, viſu percipit; non tamen oculis corporeis hæc viſio efformatur, cùm non ſit imaginaria viſio: neque hoc tantùm, ſed ibi totæ tres perſonæ ei communicantur, eamdem alloquuntur, ac Euangelij verba, (*Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*) eidem experientia ipſa manifeſtantur.

## SECVNDA PARS.

### *Vnionis fruitiuæ eſſentia, & modus, quo tam ex parte Dei, quàm ex parte animæ ac eius operationum contingit, exponitur.*

## CAPVT X.

### *De ſupremo ac ineffabili Vnionis fruitiuæ gradu, in quo Deus animæ ſe manifeſtat, & ipſa Deo arcano tactu amplexuq; coniungitur.*

SPIRITVM humanum immediatè Deo per amoris vinculum coniungi, & quodammodò Deificari, ſuperioribus capitibus paſſim, rudi tamen Mineruâ, docuimus, ac ſacrarum Scripturarum & Patrum teſtimoniis pleniùs corroborauimus. Reſtat iam vt clariùs & apertiùs ſupremum illum Vnionis fruitiuæ gradum explicemus, in quo Deus per illapſum ineffabili modo amicorum mentibus ſe ma-



Digitized by Google

nifeſtat, ac amplexu quodam diuino animam adſtringit, ac deoſculatur, & econuerſò illa Deum per guſtum & tactum ſpiritualem percipit, atque ſuauiſſimè amplexatur. Res ſanè difficilis, & humanæ, imò & Angelicæ linguæ ineffabilis. Iure enim meritò grauiſſimi Patres hanc cum Deo arcanam per amoris contactiui vnionem, ineffabilem prædicarunt. S. Auguſtinus lib. 83. Quæſtionum, q. 61. in fine; & tract. 7. in Ioan. docet fieri ineffabili & incogitabili modo. S. Bernardus in Epiſt. ad Fratres de monte Dei, in fine ita inquit: *Hoc ergo ineffabile, id eſt hoc vinculum amoris, cùm non niſi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mundet*, &c. S. Thomas Opuſc. 60. grad. 7. appellat oſculum ineffabile, quia diuinarum affectionum altitudo guſtari poteſt, exprimi verò nequit. Multa ſunt quę Vnionem hanc myſticam, ſiue tactum Dei arcanum, intellectu difficilem ac inexplicabilem reddunt. Primùm, Qua ratione Deus in hac vita ita menti illabatur, vt ſe manifeſtet, ac tangendum ſiue deoſculandum præbeat, & tamen eum intellectus intuitiuè ac clarè cernere nequeat. Secundò, Qualiter fieri poſſit, vt anima per guſtum & tactum Deum clarè percipiat, ac voluntate ipſa immediatè iungatur. Demum, Vt fieri queat, hanc ineffabilem vnionem in voluntate potiùs quàm in intellectu contingere.

Hæc & plurima alia, quæ ingentem in hac materia obſcuritatem præſeferunt, vt exactè explicemus, quędam obſeruabimus, quibus viam ad huius feliciſſimæ Vnionis naturam faciliùs percipiendam, Spiritu ſancto propitio, aperiemus.

PRI-

## PRIMA OBSERVATIO.

### §. 1.

DVM Vnionem fruitiuam & arcanam inueſtigamus, non illam, quæ per habitualem gratiam, nec quæ per actualem amorem etiam ecſtaticum & fruitiuum, cuius ſuprà cap.6. tres gradus prænotauimus; ſed illam tantùm inquirimus, quæ omnibus aliis eminet, in qua Deus Sanctorũ mentibus illapſus, per tactum & amoris amplexum ſuauiſſimũ percipitur, qui tactus dicitur Cognitio experimentalis Dei per guſtum. Nam, vt præclarè annotauit D. Bonauentura in Diæta ſalutis, titulo 6. De donis, cap. 3. *Differunt donum Intellectus, & donum Sapientiæ, quia Intellectus eſt cognitio ſpeculatiua, & quaſi cognitio per viſum; Sapientiæ verò eſt cognitio experimentalis & practica, & quaſi cognitio per guſtum; & ideò ſuperior eſt ſapientia, quia intellectus tantùm dicit cognitionem vel viſionem, ſapientia ſupra cognitionem dicit delectationem. Et nota, quòd intellectus foris ſtat; ſapientia verò per affectum intrat, & ipſas delicias ſuggerit. Vnde dicitur Pſal. 33. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Guſtare ad ſapientiam pertinet, ſed videre ad intellectum; quia quod intellectus acutè inuenit, ſapientia ad ſpiritualem delectationem conuertit.* Hæc D. Bonauentura. Et cap. ſequenti, vbi ſuprà, *Donum,* inquit, *ſapientiæ eſt donum ſplendidiſſimum inſtar lucis, & ſapidiſſimum inſtar mellis; non ſolùm ſicut mel, ſed pluſquam mel.* Ab hoc Dono (vt multi probabiliter voluerunt) procedit hæc Vnio, quæ præcipuè conſiſtit in notitia ſaporoſa & experimentali, per tactum ſiue guſtum ipſius Dei.



Digitized by Google

## SECVNDA OBSERVATIO.

§. 2.

CVM Vnio iſta fruitiua ſit perceptio ſiue notitia experimentalis Dei, non erit abs re præmittere quid ſit iſta experimentalis notitia ſiue perceptio, per quam voluntas dicitur Deum experimentaliter per amorem cognoſcere. *Experientia*, vt præclarè in hoc propoſito adnotauit D. Bonauentura Itin. 6. diſtinct. 1. *idem eſt quod notitia. Vnde experientia videtur eſſe obiecti cuiuſlibet potentiæ præſentialis actus & notitia. Actus enim vitales attingunt ſua obiecta actiuè, vel paſsiuè, vel vtroque modo (ſecundùm quoſdam;) alias potentia non fieret in actu. Vnde ſi omnes homines dicunt mihi hoc eſſe dulce, per hoc non habeo notitiam experimentalem de illo, etiam quantumcumque probent per rationes; ſed opinionem, vel fidem, vel ſcientiam poſsem habere: ſed ſi guſtus meus attingit guſtabile, vel attingitur ab illo, tunc habeo notitiam experimentalem illius. Similiter eſt de guſtu interiori, & aliis ſenſibus ſpiritualibus. Vnde ſi ego lego, vel audio ab aliquo, quòd dulcis ſit Dominus, propter hoc non habeo notitiam experimentalem de hoc, niſi guſtus ſpiritualis attingatur à dulcedine diuina, vt dicat cum ſponſa: Fructus eius eſt dulcis gutturi meo. vbi loquitur de guſtu ſpirituali & experimentali, vt patet in Gloſſa. Et iſta notitia experimentalis perfectiſſimorum eſt. Vnde dicit Bernardus: Quidquid de tuis occultis ſcimus, ô Domine Ieſu, aut Scriptura docente, aut te reuelante, aut certè, quod perfectiſſimorum eſt, guſtando didicimus, id eſt experientia.*

Quare meritò diuinus amor, quo Deum experimentaliter percipimus, Notitia à S. Gregorio Homil. 7. in Euang. nominatur, cuius etiam ſententiæ adhæ-

adhæret S. Thomas 2.2.q.172.art.4.ad 2. & S. Auguſtinus loquens de Dei luce inacceſſibili, lib.7. Confeſſ. cap.10.ait: *Qui nouit veritatem, nouit eam; & qui nouit eam, nouit æternitatẽ. Charitas nouit eam.* Idem Auguſtin. apud Richardum c.3.de Gradibus charitatis: *Amor vehemẽs non poteſt non videre quem amat, quia amor oculus eſt, & amare, videre eſt:* id eſt percipere & guſtare rem amatam. Eſt enim experientia nihil aliud, quàm rei perceptio ſimplex cauſata immediatè ab obiecti motione. Itaque ſufficit ad hanc perceptionem præſentia obiecti cum potentia perceptiua, remotis impedimentis. Si enim color obiicitur viſui, ſufficit ad viſionem per ſolam impedimentorum ablationem, vt quòd oculus non ſit clauſus, nec excæcatus, nec aliter impeditus: ſic eſt de auditu reſpectu ſoni, & de guſtu reſpectu guſtabilis, & de tactu & olfactu ſuo modo. Eodem quoque modo iudicandum eſt de ſenſibus internis; ſunt enim in homine non tantùm exteriores ſenſus, ſed interiores, quibus ſpiritualia & intelligimus & guſtamus. Pleniùs Obſeruatione tertia aperiemus.

Inter hanc animæ ſpiritualium ſiue externorum ſenſuum perceptionem eſt magnum diſcrimen: nam reliqui ſenſus externi, excepto tactu aut guſtu, ſuis obiectis coniunguntur aliquo medio interueniente, vt viſus, auditus, odoratus, qui immediatè non percipiunt ſua obiecta; tactus verò ſine vllo medio (vt doctiores ſentiunt Philoſophi) obiectum tangibile percipit; licet per accidens aliquando contingat aliquod extrinſecum medium interuenire. Idem etiam cenſent de guſtu. Quare ij ſenſus, quantum ad perceptionem ſuorum obiectorum immediatam, alios excellunt. Idem quoque euenit in tactu & guſtu interiori animæ, in quibus Deum

ipſum per affectum tangimus, quando præſens eſt voluntati, & ſuauiter eius dulcedinem deguſtamus. Horum ſpiritualium ſenſuum diſcrimen optimè explicauit D. Thomas in illa verba Pſal. 33. *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Experientia*, inquit, *de re ſumitur per ſenſum, ſed aliter de re præſenti, & aliter de re abſente; quia de abſente per viſum, odoratum, & auditum; de præſente verò per tactum & guſtum; ſed per tactum de extrinſeca præſente, per guſtum verò de intrinſeca. Deus autem non longè eſt à nobis, nec extra nos, ſed in nobis. Ierem. 14. Tu in nobis es Domine. Et ideò experientia diuinæ bonitatis dicitur guſtatio: 1. Petri 2. Si tamen guſtatis, quàm dulcis*, &c. *Prou. vltimo: Guſtauit, & vidit quoniam bona eſt negotiatio eius. Effectus autem experientiæ ponitur duplex. Vnus eſt certitudo intellectus, alius ſecuritas affectus. Quantum ad primum, dicit: Et videte. In corporalibus namque priùs videtur, & poſteà guſtatur; ſed in rebus ſpiritualibus priùs guſtatur, poſteà autem videtur: quia nullus cognoſcit qui non guſtat, & ideò dicit priùs, Guſtate, & poſteà, Videte*. Hucuſque D. Thomas.

Vnde non difficile erit intelligere, quid ſibi velint Doctores Myſtici, cùm affirmant Vnionem fruitiuam eſſe perceptionem ſiue notitiam Dei experimentalem per affectum: quia cùm per hanc Vnionem Deus ſit præſens menti noſtræ, ac in eam per amplexum diuinum illapſus, voluntas per amorem fruitiuum ac per contactum arcanum Deum percipit, ac immediatè deguſtat. Quare hæc Vnio eſt ſublimis Dei ſenſus, ac eius experimentalis notitia, per quemdam Dei tactum ac ſuauem deguſtationem.

TER-

Digitized by Google

# TERTIA OBSERVATIO.

§. 3.

CVM iſta Vnio fruitiua ſit perceptio ſiue notitia experimentalis Dei, non abs re erit præmittere, quarum potentiarum & quorum ſenſuum experimentalis notitia eſſe dicatur: ſunt enim in homine non tantùm exteriores ſenſus, quibus ſenſibilia externa percipimus; ſed & interiores, quibus ſpiritualia & intelligimus, & guſtamus; de quibus optimè S. Bonauentura, ſecutus Auctorem libri de Spiritu & anima, in lib. de Septem itiner. æternit. diſt. 2. ſic ait: *Cùm homo conſtet ex carne & anima, & in carne ſint quinque ſenſus, ſcilicet viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus, quos tamen non mouet abſque animæ ſocietate; ita anima ſimiliter habet quinque ſenſus ſuo modo: quia ſpirituales res non corporalibus ſenſibus, ſed ſpiritualibus rimandæ ſunt.* Et ſequitur: *Vnde diuina vox in Deuteronomio, ait: Videte quia ego ſum Deus. Ecce ſpiritualis viſus. Et in Apocalypſi: Qui habet aures, audiat quid dicat Spiritus Eccleſiis. Ecce ſpiritualis auditus. Et in Pſalm. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Ecce ſpiritualis guſtus. Et Apoſtolus: Bonus odor Chriſti ſumus. Ecce ſpiritualis olfactus. Et in Euangelio fide mulierum ſe tetigiſſe magis quàm corpore oſtendit, dicens: Quis me tetigit? Ecce ſpiritualis tactus.* Et ſequitur: *Sic modò cum omni cautela ſeruandum eſt, quid ad corporis ſenſus, & quid ad animæ dignitatem pertineat.* Hæc ille.

Ex his planè patet, quòd ſicut experientia corporalium fit ſenſibus corporalibus, ita experientia ſpiritualium fit in mente ſpiritualibus ſenſibus. Eodem etiam modo de his ſenſibus internis loquitur Bernardus lib. de Amore Dei, c. 6. *Sicut corpus habet*

*ſuos*

Digitized by Google

*ſuos quinque ſenſus, quibus animæ coniungitur vita mediante, ſic anima ſuos habet quinque ſenſus, quibus Deo ſiue æternis coniungitur mediante charitate. Quare Apoſtolus ad Rom. 12. dicit: Nolite conformari huic ſæculo, ſed renouamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis (id eſt, experimento ſciatis) quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Et infrà c. 19. inquit: *Sicut omnes ſenſus corporis, ſcilicet auditus, viſus, odoratus, & tactus, ſine ſenſu guſtus infirmantur & hebetantur in operationibus ſuis, ſic ante aduentum Ieſu Mediatoris omnes ſenſus noſtri ſpirituales languebant propter abſentiam guſtus ſpiritualis vel ſapientialis, quæ necdum fuit incarnata, nec quaſi guſtata; à cuius guſtu quantò diutiùs abſtinemus, tantò ſenſus interiores magis deficiunt vel infirmantur in actibus ſuis circa æterna.*

## QVARTA OBSERVATIO.

§. 4.

QVIA ſæpè præmiſimus, hanc Vnionem eſſe notitiam experimentalem, qua Deum attingimus per guſtum & tactum interiorem ac experimentalem, ſcire etiam oportebit ex Hugone de S. Victore, in lib. de Arca Noë, quòd *Deum attingere, eſt ſemper per deſiderium eum quærere, per cognitionem inuenire, & per guſtum tangere. Vnde iſtius attingentiæ tres inueniuntur gradus. Primus eſt, quo Deus per deſiderium quæritur, quamuis non attingatur Deus vt deſideratur, & ſecundùm aliquid non habeatur, tamen neceſſe eſt vt etiam ſecundùm aliquid præſens habeatur, aliàs non deſideraretur; dicit enim Gregorius: Profectò qui Deum deſiderat, iam habet quem amat. Secundus gradus, quo Deus attingitur, eſt, cùm per cognitionem inuenitur, ſed attingentia ma-*

*net*

*net imperfecta, niſi id quod præſens eſt cognitioni, fiat præſens voluntati amantis. Quare Tertius gradus, quo Deus attingitur, eſt, cùm Deus per amorem tenetur & amplexatur. Vnde Auguſt. 9. de Trinit. cap. 8. dicit, quòd voluntas habet vnum proprium actum, qui eſt actus tenendi ſiue amplexandi, & quaſi poſſidendi, quos actus non poteſt habere intellectus: nam poſſeſſio non eſt intellectus cognoſcentis, ſed voluntatis habentis; ſicut ſanitas ſani non eſt Medici cognoſcentis, ſed ſani eam habentis.* Hæc Hugo.

## QVINTA OBSERVATIO.

§. 5.

Ex prȩcedenti conſideratione cōſequens fit, quòd voluntas amore diuino affecta, aliquando in hac vnione altiùs caput efferat quàm intellectus, ac ad altiorem gradum Deoque propinquiorem aſſurgat, vbi intellectu excelſior effecta, arcano & mirabili modo ei ſociatur in quadam prorſus celſitudine, ad quam intellectus nequit ſe attollere, vbi non tam viſu, quàm myſtico tactu Deum ipſum attingit, & guſtu quàm dulciſſimo percipit in gradu quodam ſublimi, ad quem intellectus nequit conſcendere.

Sed quamuis voluntas erigat ſe ſupra intellectũ, & intret eò vbi intellectus non poteſt; non tamen dicitur tum amare abſque vlla intellectus operatione. In qua re quamplures Myſtici fuerunt decepti, exiſtimantes voluntatem in illo gradu, in quo intellectum excedit, poſſe Deum ſine cognitione præuia intellectus diligere; neſcientes diſtinguere inter hoc, quod eſt, voluntatem amare ceſſante omni intellectus operatione; & hoc quod eſt, voluntatem ſuo acumine intrare quò intellectus non intrat: quia primum pertinet abſolutè ad actũ voluntatis, quem con-

conſtat non poſſe abſq; intellectus cognitione conſiſtere; ſecundum verò, ad modum ſiue intentionem actus refertur, qui in eo conſiſtit, quòd voluntas plus amet, ardentiùs amet, & intimiùs vniatur cum ſuo obiecto, quàm intellectus hoc ipſum cognoſcat aut penetret. Quare meritò D. Thomas 1.2. q.27. art. 2. ad 2. aſſeruit, poſſe plus voluntatem amare, quàm intellectus valeat intelligere. Hæc etiam fuit ſententia Abbatis Vercellenſis, & Lynconienſis apud D. Bonauenturã Itin. 5. æternit. diſt. 5. quam etiam tenet ibi Bonauentura, & in 2. Sent. diſt. 23. art. 2. q. 3. vbi ſic inquit: *Amor ſecundùm Bernardum multo plus ſe extendit, quàm viſio.* Obuia eſt paſſim hæc doctrina apud D. Bonauenturam, pleniùs tamen quàm alibi Itin. 5. vbi ſuprà, eam explicauit, dicens: *Ex his igitur patet planè, quòd actus dilectionis excellit & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. In quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non poteſt, quia ſuperintellectualis eſt, ſaltem in hac vita, quia in patria videbimus Deum ſicuti eſt, vt dicit Ioannes. Nec obſtat quod dicit Auguſtinus, Incognita nequaquam poſſunt amari; quia eſt notitia aliqua non intellectualis, ſed affectualis ſeu experimentalis, vt ſtatim patebit. Cum prædictis concordat Hugo Commentator Dionyſij, dicens ſic: Intelligas quanta eſt vis veri amoris & dilectionis, ſi tamen intelligi poteſt, quoniam dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt intelligentiâ; plus enim diligitur, quàm intelligitur. Intrat dilectio & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat. Et reddit rationem: Quia amor, inquit, præſumens & confidens amato, ſuo acumine penetrat omnia, impetum ſequens ardentis deſiderij ſui: nec diſſimulare valens,*

*donec*

*donec ad amatum perueniat, & eo ipſo ampliùs adhuc ſitiens intrare ipſum, & eſſe cum ipſo, & eſſe tam propè, vt ſi fieri poſſit, hoc idem ipſum ſit quod ipſe. Ecce expreſſè dicit, quòd verus amor Dei vnit Deo immediatiùs quàm intellectio, & quòd intellectus non capit: ſic ergo talis notitia affectualis eſt ſuperior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellenſis ſuper Cant. dicens, quòd affectus & intellectus ſimul coambulant vſque ad nouiſſimum defectum intellectus, vbi habet ſuæ cognitionis & ſui luminis conſummationem. Affectus autem adhuc continet principalia in Deum ſuſpiria, ſuperintellectuales extenſiones & immiſſiones, feruidos fulgores & fulgidos feruores, ad quorum omnium ſublimes exceſſus & excedentes ſublimitates intelligentia trahi non poteſt, ſed ſolùm principalis effectus Deo viſibilis.* Hæc D. Bonauentura.

## SEXTA OBSERVATIO.

### §. 6.

AMOREM eſſe vim vnitiuam, S. Dionyſius l. 4. de Diuin. nomin. iure docuit, cuius ſententiæ ſubſcribens D. Auguſtinus 8. de Trinit. cap. 10. *Amor eſt*, inquit, *quaſi iunctura quadam, duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet & amatum.* Quæ verba D. Thomas 1. 2. q. 27. art. 2. ita explicat, vt illud verbum *copulans* referat ad vnionem affectus, ſine qua non eſt amor; illa verò, *copulare appetens*, ad vnionem realem amantis cum re amata. Quare S. Thomas ibidem amoris perfecti naturam exponens, inquit: *Amor non requieſcit, non eſt contentus ſuperficiali apprehenſione amati, ſed intendit rem amatam perfectè habere.* Quare perfecti Dei amatores, ea dilectione quæ in affectu conſiſtit minimè contenti, ad realem cum Deo vnionem con-

Digitized by Google

continuò adſpirant, vt præclarè S. Macarius Homil. 10. exponens illa verba Eccli. 24. *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Porrò inquit, *anima quæ Deum vereque Chriſtum colit, etiamſi infinita iuſtitiæ opera ediderit, ita ſe habet, perinde ac ſi nihil egiſſet, propter inexplebile deſiderium quod habet erga Dominum; quæ licet ieiuniis aut vigiliis corpus conſumpſerit, ita affecta eſt, ac ſi nondum quidquam agere cœpiſſet quod ad virtutes pertineat. Et ſi varia Spiritus chariſmata, aut reuelationes ac myſteria cæleſtia conſequi meruerit, propter immenſam & inſatiabilem erga Dominum dilectionem; ita ſe gerit apud ſe, ac ſi nihil adhuc obtineret: ſed quotidie eſuriens ac ſitibunda, per fidem & charitatem perſeuerans in oratione, immodicè ad myſteria gratiæ, & ad omnium virtutum gradus aſpirat, cæleſti ſpiritus amore vulnerata, ardenti deſiderio erga ſponſum cæleſtem (per gratiam, qua prædita eſt) agitata: deſiderans habere perfectè myſticam & arcanam cum eo ſocietatem in ſanctificatione ſpiritus, reuelatâ animæ facie, fixis ſemper oculis intuens ſponſum cæleſtem facie ad faciem, beneficio ſpiritalis & ineffabilis luminis in eo per dulcedinem fidei plenè demerſa, configuratâ morti ipſius, præ ſummo deſiderio, quo perpetuò ſperat pro Chriſto mortem oppetere, confidens ſine dubio per gratiam Spiritus ſe plenè liberatam iri à peccato, & tenebris affectionum, vt purificata per Spiritum, & anima & corpore ſanctificata, vas purum euadere mereatur, ad ſuſcipiendam cæleſtem vnctionem, in quo manere dignetur cæleſtis ac verus Rex Chriſtus.*



Digitized by Google

## CAPVT XI.

### *De modo quo fiat hæc fruitiua Vnio, tam ex parte Dei, quàm ex parte animæ.*

DIONYSIVS Carthuſianus, exponens illa verba Iob 36. *In manibus* Deus *abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſus adueniat*, mutuam hanc cooperationem inter ſponſum & ſponſam, cùm arctiſſimo amoris nexu vinciuntur lib. de Fonte lucis, art. 16. præclarè ſequentibus verbis deſcripſit: *Hic Deus ſublimis cùm viderit mentem hominis ſpirituali zelo iuſtitiæ penetratam, charitate flammigeram, puritate ac omni virtute fulcitam, ad diuina fortiter aſpirantem, mox dignantiſſimè, exuberantiſſimè, amoroſè ac frequentiſſimè ei occurrit, ſuccurrit, ac cooperatur, ſeque ei communicat, manifeſtat, infundit, eam ad ſe eleuat, intra ſe rapit, deoſculatur, amplectitur, atque ſe ei intuendum, guſtandum, fruendum offert ac exhibet, habetque complacentiam magnam in ea, & tamquam amicam ac ſponſam apprehendit, fecundat, & ſibi aſtringit; eamdem lucem quoque, quam in manibus ſuis tenet abſconſam, ei propalat ad horam, aut horulam, prout ſibi omnium ſapientiſſimo moderatori placuerit.* Et infrà: *In quo lucis huius reditu annuntiat Deus per allocutionem internam dilecto (homini bono ſcilicet, cum quo tam gratioſè operari dignatur) quòd lux iſta poſſeſſio eius ſit, ita vt eam poſſit ſtabiliter poſſidere; & ſi ad horam amiſerit eam, ad eam rurſus recuperandam poſſit aſcendere, & per eam ad lumen gloriæ peruenire. Inſuper lucem contemplationis theoricæ, ac myſticæ radium viſionis tenens Deus in manibus, eamdem lucem pulcherrimè radiantem ad libitum ſuum menti purgatæ nunc pandit & inſtruit, nunc re-*

*trahit & abſcondit: ſicque lux iſta venuſtiſſima ad tenentis Dei arbitrium latet ac patet, & nunc copioſiùs clariuſque infulgens, nunc minùs.* Et pòſt pauca: *Etenim in hac profundiſſima contemplatione, gratia Dei præueniens ac pertranſiens ſenſum perſtringit amantis, & eripit eum illi, infigitque ſibi, atque, vt horum expertus ait S. Bernardus, rapit eum in diem, qui eſt à tumultu rerum ad gaudia ſilentij, hoc eſt in ſplendorem clariſſimum lucis ſupremæ; in quo ab omni profluuio deſideriorum carnalium, inquietorum phantaſmatum, fluctuantium cogitationum ſuauiter conquieſcit, obdormiens in dilecto: ſicque pro modulo ſuo ad momentum & punctum idipſum oſtenditur ei videndum ſicuti eſt. Inter hæc namque Deus efficit ipſum in idipſum, vt ſit ipſe pro modulo ſuo, ſicut & illud eſt. Tunc plerumque oſculo Patris & Filij medium inuenit ſe contemplator huiuſmodi.*

Hactenus, quid Deus efficiat in anima, Dionyſius Carthuſianus breuiter declarauit; iam quid mens noſtra tam præclaro lumine præuenta ac medullitus penetrata operetur, egregiè proſequitur, dicens: *Cumque hanc lucem Omnipotens menti oſtenderit, mox mole magnitudinis ſuæ, actualitate ac excellentia maieſtatis, perfectionis, ac luciditatis ſuæ immenſæ, mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, ſic dulciter, non violenter vincit & opprimit, vt ipſa defluat atque deficiat à ſeipſa, & victa amore, ac ſtupens præ admiratione eius quam contemplatur maieſtatis ac claritatis immenſæ, præ Deitatis quam cernit delicioſiſſima ſerenitate, neſciat de ſeipſa. Sic quidam repentè tam validè illuſtratur ac inflammatur, vt prorſus ſuccumbens, vires & ſenſus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis ſecretum inducta, in infinitæ lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis oceano*

Digitized by Google

*no rapta deperditur, in amoris igne immenſi reuoluta comburitur, atque in ſuperuaſtiſſimæ ac ſuperplaniſſimæ ſolitudinis impertranſibili & immenſa amplitudine ſecuriſſimè errat, feliciter deuiat, perdens ſeipſam, neſciens vbi, vel quando. Verùm in hac intuitione tranquilliſſima ac Cherubica, mens humana vt plurimùm non diu defigitur, ſed Deus lucem, quam paulò antè infundit, retrahit & abſcondit in manibus, atque poſt modicum denuò præcipit ei, vt menti aduenients oriatur, maiori nonnumquam cum claritate quàm antè. Qua luce menti fulgente, mens iterùm intus ſplendeſcit, igneſcit, alteratur, miratur, opprimitur, deficit. Tuncque Deus amœnitatis immenſæ annuntiat de ea (hoc eſt de luce iſta, quam paulò antè abſcondit in manibus) electo ac dilecto (feruido ſcilicet amatori) quòd poſſeſſio eius ſit.* Hæc Carthuſianus.

Sed vt clariùs tam ex parte Dei, quàm animæ, operationes in hac Vnione interuenientes explicemus, neceſſe erit, vt omnibus pleniùs conſtare poſſit quid hæc Vnio arcana & diuina ſit, ſcire, voluntatem noſtram non poſſe immediatè & perfectè Deum attingere, & per dulciſſimum amoris amplexum ei vniri, niſi priùs Deus animæ potentiis illabatur, ac eis intimè præſens fiat. Pro huius verò diuini illapſus declaratione meminiſſe oportet ea, quæ ſuperiùs, dum de Spiritus ſancti miſſione ſiue illapſu ageremus, latiùs annotauimus; nẽpe, Deum non ſolùm ratione immenſitatis, ſed & ratione gratiæ habitualis ſecundùm ſuam eſſentiam in eſſentia animæ reſidere, ac cum eo animam iuſti charitatis vinculo immediatè eſſe coniunctam, quæ vnio nequit hominem in hac nec in futura vita plenè beare: quare opus eſt, vt Deus ipſe quaſi latens & abſconditus in animæ fundo, animæ potentiis ſe com-

municet, oſtendat, ac reuelet, vniendo ſe illis immediatè in ratione obiecti. Iſta autem manifeſtatio Dei, ſiue oſtenſio faciei ſuæ, illapſus dicitur, quia Deus illabitur potentiis, præcipuè voluntati, obiectiuè oſtendendo ſe illis in ratione ſummi boni: & quamuis iſte illapſus in gloria ſit perfectiſſimus, quia Deus perfectè & diſtinctè ſiue intuitiuè intellectui Beatorum videndus proponitur; in via tamen, licet non ita clarè & perfectè à noſtro intellectu comprehendatur, videtur & cognoſcitur (quantum in hac vita permittitur) ſub ratione immenſæ lucis: à voluntate verò perfectiſſimè attingitur, ac arcano nexu apprehenditur, quia voluntas, vt ſuprà præmittebamus, altiùs intellectu ſe erigit, ac immediatiùs quàm ipſe intellectus Deo vnitur. Hæc igitur intima Dei coniunctio cum voluntate, non multùm diſſimilis ab ea quæ in beatitudine cælesti contingit, illapſus non immeritò à Patribus appellatur. S. Auguſtinus Tom. 10. Serm. 2 de Spiritus ſancti miſſione dum loquitur, ita inquit: *Ergo Spiritus ſanctus in hac die ad præparata Apoſtolorum ſuorum templa, velut imber ſanctificationis illapſus eſt*, &c. Idem quoque Auguſtinus Serm. 186. etiam de aduentu Spiritus ſancti, *Paulus*, inquit, *Apoſtolus tantæ maieſtatis locupletatus illapſu, fiducialiter proteſtatur: Et ſi cognouimus ſecundùm carnem, ſed iam nunc non nouimus.*

Latiùs tamen & expreſſiùs S. Bernardus Serm. 31. in Cant. huiuſmodi illapſum ſignificat illis verbis: *Vide autem tu, ne quid nos in hac Verbi animæque commixtione corporeum ſeu imaginatorium ſentire exiſtimes. id loquimur, quod Apoſtolus dicit: Quoniam qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt. Exceſſum puræ mentis in Deum, ſiue Dei pium deſcenſum in animam,* no-

Digitized by Google

*noſtris quibus poſſumus exprimimus verbis, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Itaque in ſpiritu fit iſta coniunctio, quia ſpiritus eſt Deus, & concupiſcit decorem animæ illius, quam fortè aduerterit in ſpiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in deſiderio, præſertim ſi ſui amore flagrantem conſpexerit. Non ergò ſic affecta & ſic dilecta, contenta erit omnino, vel illa, quæ multis per ea quæ facta ſunt, vel illa, quæ paucis per viſa & ſomnia facta eſt manifeſtatio ſponſi, niſi & ſpeciali prærogatiua intimis illum affectibus, atque ipſis medullis cordis cælitus illapſum ſuſcipiat, habeatque præſtò quem deſiderat, non figuratum, ſed infuſum; non apparentem, ſed afficientem: nec dubium, quin eò iucundiorem, quò intus, non foris. Verbum nempe eſt non ſonans, ſed penetrans, non loquax, ſed efficax; non obſtrepens auribus, ſed affectibus blandiens. Facies eſt non formata, ſed formans; non perſtringens oculos corporis, ſed faciem cordis lætificans, grato quippe amoris munere, non colore. Non tamen adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamuis non omnino aliud hoc modo exhibeat, quàm quod eſt. Neque enim vel ſic continuò præſtò erit, quamuis deuotiſſimis mentibus, ſed nec vniformiter omnibus.*

Expendenda ſunt ſingula ferè verba Bernardi, agit enim hîc præcipuè de iſta Vnione fruitiua, quæ contingit per exceſſum mentis in Deum, ſiue Dei pium deſcenſum in animam, vbi mirè depingit animæ vota & ardentia deſideria iſtius coniunctionis cum ſponſo per manifeſtum oſculum, ſiue illapſum ipſius in eius viſcera. Nec enim contenta eſt aliis manifeſtationibus ſiue reuelationibus, niſi *& ſpeciali prærogatiuâ*, inquit, *intimis illum affectibus atque ipſis medullis cordis cælitus illapſum ſuſcipiat, habeatque præſtò quem deſiderat, non figuratum, ſed*

 *inſu-*

*infuſum*. Quibus verbis apertè denotat, iſtum illapſum eſſe ſpecialem prærogotiuam, omnes viſiones, & reuelationes, ſiue prophetiæ donum excedentem. Secundò obſeruare etiam oportet illa verba: *Facies eſt non formata, ſed formans; faciem cordis lætificans, grato quippe amoris munere, non colore. Non tamen adhuc illũ dixerim apparere ſicuti eſt, quamuis non omnino aliud hoc modo exhibeat, quàm quod eſt.* Quaſi dicat, Deus per illapſum præſtò eſt animæ, oſtenditque faciem ſuam, id eſt eſſentiam ſuam, non formatam, id eſt claram & diſtinctam; ſed formantem, id eſt ſuo amplexu & amore lætificantem & inebriantem cor, illudque formantem, vt ſit aptum Deum ipſum attingere. Et quamuis in hac vnione, ait, Deus non ſe exhibeat & manifeſtet ſicuti eſt, ſicuti oſtendit ſe in gloria beatiſſimis Sanctorum mentibus; exhibet tamen ſeipſum, & quod eſt; hoc eſt, ſeipſum manifeſtat per iſtum illapſum, non tamen ſicuti eſt, id eſt clarè & diſtinctè. Hæc Bernardus. quibus nec quid clarius nec efficacius ad rem, de qua agimus, confirmandum, poſſet excogitari.

Sanctus Macarius Homil. 4. ſæpè hunc illapſum variis aliis nominibus inculcat, præcipuè illum Dei illapſum demiſſionem appellat, dicens: *Nam omnia quæ vult, ſunt ei perfacilia, & quando illi videtur, ſeipſum demittendo incorporat & transformat, conſpicuum ſe exhibens diligentibus illum in gloria luminis inacceſſa, præ multa & inenarrabili dilectione apparens ijs qui digni ſunt, ſecundùm ipſius virtutem.*

Idem Homil. 10. non obſcurè hunc etiam illapſum ſignificat, dicens: *Huiuſmodi animæ, quæ tam ardenti & inſatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ ſunt vita æterna: quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminatio-*

*nem.*

*nem & participationem ſancti & arcani Spiritus, ac myſticæ ſocietatis in plenitudine gratiæ.* Ita Macarius: qui per perfectam illuminationem ac participationem ſancti Spiritus quid aliud putas intelligit, niſi iſtum illapſum, quo medio anima perfectam ſocietatem & participationem ipſius Dei adipiſcitur.

Idem demum Macarius Homil. 18. *Cùm enim anima*, inquit, *ad perfectionem ſpiritus euaſerit, penitùs expurgata ab omnibus affectionibus, & Spiritui Paracleto arcanâ ſocietate vnita, permixtaque ſpiritui meruerit fieri ſpiritus, tunc fit tota lux, tota oculus, tota ſpiritus, tota oblectatio, tota exultatio, tota dilectio, tota viſcera, tota bonitas, fides, & clementia.* Vbi notanda occurrũt illa verba, *Spiritui Paracleto arcanâ ſocietate vnita permixtaque*; illis enim innuitur, huiuſmodi mentibus purgatiſſimis Spiritũ ſanctum aduenire, ac illis intimè vniri, non aliter ac Apoſtolis ipſis, quantum ad illapſum de quo loquimur.

Prætereà, quamuis nomine Illapſus, explicata hæc Vnio à Patribus paſſim non inueniatur, reperitur tamen quaſi æquiualentibus verbis & ſententiis, dum Deum ipſum animabus purgatiſſimis præſentem adeſſe docent. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Ioan. c. 3. *Qui verò*, ait, *omni virtute mentem ſuam purgando apti iam ad maiora facti ſunt, Spiritus illuminatione receptâ, oculis animæ habitantem in ſe Deum videbunt.*

S. Gregorius in 1. caput Cant. explicans illa verba, *Oſculetur me*, &c. *Sed pius ſponſus*, inquit, *anxietatem eius ſentiens, oſculum porrigit; & ne deſiderio labaſcat, guſtu ſuæ ſuauitatis lenit; & dum ſuam præſentiam exhibet, eam ad maius dilectionis oſculum accendit.* Hæc autem præſentia, per illapſum exhibetur animæ.

Hic eſt prætereà ille feliciſſimus illapſus Dei, quem in die Pentecoſtes Diſcipulis ac Apoſtolis Act. 2. contigiſſe legimus, de quo latiùs ſuperiùs cap. 8. qui etiam aliquando puriſſimis & defæcatis mentibus à Deo liberaliſſimè infunditur, quo Deus ipſe per ſuam eſſentiam fit præſens non animę eſſentiæ, in qua anteà per gratiam præexiſtebat; ſed potentiis rationalibus, ita vt ab iis in ratione obiecti tangi, amplecti, ac deoſculari vitali ſenſatione & guſtu dulciſſimè poſſit. Agunt prætereà de hoc illapſu Doctores Myſtici, præcipuè Gerſon variis in locis, maximè Tom. 3. in Cant.

Ratione deinde probatur. Conſtat enim, Patres ſuperiùs relatos non loqui de illapſu illo, qui communiter omnibus iuſtis contingit, cùm eis infunditur gratia habitualis, qua media ipſi Deo ſunt vniti; ſed potiùs de illo, quo anima ad altiſſimam realem & actualem cum Deo vnionem ſublimatur, vt ex eorum verbis clariſſimè cõiicitur: nam vel loquuntur de illapſu Spiritus ſancti in Apoſtolorum corda; vel de eo, quo Deus liberaliſſimè perfectiſſimorum virorum mentibus fit præſens; atque intimè per ſeipſum eorum potentiis vnitur.

Difficultate tamen non caret, quid iſte illapſus in potentiis animæ de nouo operetur, aut qua ratione Vnioni fruitiuæ deſeruiat, maximè quia, cùm Deus ſit intimè præſens intellectui & voluntati ratione ſuæ immenſitatis, non videtur neceſſarius nouus illapſus: vnde ſicut in gloria à Theologis peritiſſimis non ponitur nouus illapſus, vt Deus intellectui & voluntati Beatorum præſens fiat, ea ſolùm ratione, quia iam ipſe Deus ratione immenſitatis eſt eis intimè præſens: eodem modo nec in via ad hanc etiam perfectiſſimam vnionem videtur neceſſarius.

Huic

Huic dubitationi (ſaluâ peritiorum ſententiâ) reſpondere poſſumus, illapſum illum de quo loquimur, eſſe omnino neceſſarium, vt faciat Deum ipſum præſentem in actu primo potentiis, vt poſſit eſſe obiectum proportionatum huic fruitiuæ & ſupernaturali Vnioni, quæ nihil aliud eſt, quàm perceptio experimentalis & immediata Dei per arcanum amplexum & deoſculationem mutuam inter Deum & animam eius ſponſam: qui quidem amplexus, ſiue perceptio Dei experimentalis, non poteſt fieri niſi ipſo Deo præſente. Per hunc autem illapſum Deus ſe demittit, ac fit præſens intellectui & voluntati, non ita vt intellectus eum perſpicuè & quidditatiuè cognoſcat, quamuis eius præſentiam (hoc eſt Deum ſibi eſſe præſentem) voluntatemque ſub ratione ſummi boni allicientem & amplexantem non ignoret; voluntati verò immediatè Deus coniungitur, quia voluntas in hac vnione ſupergreditur intellectum, ac eo foràs manente, ipſa ſuo acumine, amato immediatiùs vnitur, eumque manifeſtè percipit, ac cum eo fit vnus ſpiritus.

Neque obeſt, Deum eſſe aliàs ratione ſuę immenſitatis & animæ & eius potentiis præſentem: quia Deus ratione iſtius præſentiæ ſiue penetrationis non dicitur propriè vnitus, neque animæ eſſentiæ, neque eius potentiis, vt iam anteà diximus; quia Deus mentibus noſtris ineſt tantùm, vt principium effectiuum naturale, ſicut & omnibus aliis rebus naturalibus dicitur eſſe præſens; qua ratione non poteſt eſſe obiectum proportionatum ad iſtam Vnionem, quæ ſupernaturalis eſt, & multò minùs ad hanc, de qua tractamus, Vnionem, ſiue ad viſionem beatam. Opus igitur eſt, vt præter hanc præſentiam, aliam ipſius Dei inquiramus, in qua Deus fiat præſens po-



Digitized by Google

tentiis. Excogitari autem alia non poteſt, niſi ea quæ fit per iſtum illapſum.

Hoc autem ex eo confirmari facilè poteſt: quia vt iuſtorum anima vniatur Deo per gratiam habitualem, naturæque diuinæ fiat particeps, non ſufficit Deum ratione immenſitatis eſſe ei intimè præſentem, ſed vltrà etiam deſideratur nouus Dei illapſus, vel quòd nouo modo animæ illabatur, nempe vt principium ſupernaturale: vnde non eſſet illa vnio gratiæ perfecta neque ſupernaturalis, ſi tantùm Deo ratione immenſitatis præſenti anima per gratiam iungeretur. Pari igitur modo non ſufficit, quòd Deus ratione ſuæ immenſitatis ſit intimè & quaſi habitualiter præſens potentiis cognoſcitiuis, vt ſit obiectum vel viſionis beatæ in patria, vel huius vnionis feliciſſimæ in via, cùm ſit hæc præſentia improportionata, & inferioris ordinis. Neceſſariò igitur conſtituenda eſt alia Dei præſentia magis proportionata, & ordinis ſupernaturalis, quæ poſſit vt obiectum vniri viſioni vel contemplationi fruitiuę. Deus autem, vt obiectum ſupernaturalę, non poteſt eſſe præſens intellectui viatorum, niſi per aliquem illapſum, non quidem illum, quem finxit Henricus in eſſentia animæ; quia iſte præſupponitur in Beatis ante gloriæ adeptionem, cùm in via gratia ſupernaturalis infunditur. Conſtituendus igitur eſt nouus illapſus Dei præexiſtentis in eſſentia animæ ratione gratiæ habitualis, vt eo medio manifeſtetur potentiis in ratione obiecti ſupernaturalis & beatifici.

Dices: Deus eſt intimè pręſens in eſſentia animæ, ratione gratiæ habitualis, vt auctor ſupernaturalis omnis boni; ſufficit igitur quòd Deus eleuet medio lumine gloriæ potentias, vt ipſum in eſſentia ani-

animæ exiſtentem attingant, clareque videant ac conſequantur.

Reſpondeo, hunc modum attingendi Deum in gloria abſque nouo illapſu videri valdè probabilem: nam ſiue Deus illapſu ſuo condeſcendat ad potentias, ſiue eleuet illas ad ſeipſum, non video aliquem neque apud Patres, neque apud Doctores, Scholaſticos reprobantem hunc vel illum dicendi modum: quod etiam ſuo modo applicari poteſt huic Vnioni; in qua ſiue dicamus Deum eleuare potentias, vt eum in fundo vel eſſentia animæ ſe manifeſtantem contemplentur, ac ei ſuauiſſima vnione iungantur; ſiue Deum illabi potentiis, eiſque ſe præſentem reddere, vtrumque dicendi modum approbat S. Bernardus Serm. 31. in Cant. vt ſuprà.

Adhuc autem ſi res altiùs conſideretur, vnio illa Dei in ratione obiecti cum intellectu & voluntate Beatorum, verè illapſus dicendus eſt: quia ſicut in animæ eſſentia, ratione infuſionis gratiæ, Deus illabi dicitur, eò ſolùm quòd ibi incipiat eſſe nouo modo, vt principium inquam ſupernaturale, cum antè eſſet etiam in anima ratione immenſitatis; pari etiam modo Deus dicitur illabi de nouo in ipſas potentias, quia in eis incipit eſſe intimè præſens, ac in ratione obiecti ſupernaturalis immediatè vnitus intellectui & voluntati Beatorum, ita vt lumine glorię illuſtrati poſſint videre & amare Deum. Eodem fermè modo Deus in via in iſta vnione ſupernaturali propriiſſimè dicitur illabi in potentias: quia incipit ibi eſſe nouo modo præſens, ſcilicet vt obiectum ſupernaturale vniendum intimè intellectui & voluntati, immediatiùs verò voluntati, cum qua reali coniunctione & dulciſſimo amplexu copulatur.

His igitur prælibatis, iam qua ratione Deus animæ

mæ illabatur, ac eam ad hanc arctiſſimam Vnionem trahat, breuiter exponamus.

Animæ igitur omnino purgatæ, ac præuiis aliis diſpoſitionibus præparatæ Deus illabitur, & potentiis cognoſcitiuis manifeſtatur vnicuique ſecundùm capacitatem quam habet.

Iſte verò illapſus Dei præcipuè fit in voluntatem; imò quantum coniicere poſſum, nulla ratione Deus in hac vita, etiam in hac perfectiſſima Vnione intellectui illabitur; nam aliàs ſi in intellectu daretur illapſus, Deus videretur clarè & diſtinctè ſicuti eſt, quemadmodum contingit in gloria: nam illapſus iſte diuinus nihil aliud eſt, quàm fieri Deum præſentem ſecundùm ſuam eſſentiam potentiis cognoſcitiuis in ratione obiecti. Igitur ſi Deus hac ratione illaberetur & vniretur intellectui, intellectus illum perciperet, ac eius eſſentiam clarè intueretur. Quare iſte illapſus Dei, tantùm fit in voluntate; vnitur enim in iſta ineffabili & arcana vnione immediatè ſecundùm ſuam eſſentiam, ita vt voluntas eius amplexum & deoſculationem percipiat ſub ratione omnis boni. Quare iſte illapſus meritò appellatur deoſculatio ſiue oſtenſio diuinæ faciei ſub ratione omnis boni: in hoc enim contactu voluntas percipit Deum ipſum, eam amore ineffabili complectentem eodem fermè modo, quantum ad intimam & immediatam cum voluntate vnionem, ac in gloria.

Neque obſtat, Deum priùs illabi voluntati quàm intellectui, imò ſine vllo illapſu in intellectu: nam licet intellectus in illo ſtatu non ſentiat illapſum ſimilem ſicut in ſtatu beatitudinis percipit, pro ſtatu tamen vitæ præſentis ſufficit quòd in intellectu præcedat aliqua lux ſiue contemplatio, quæ omnino in caligine contingit: intuetur enim tunc Deum ipſum

in

in caligine, & voluntas ſuo acumine ingreditur, intellectu foràs remanente, ( vt latè præcedenti cap. Obſeruat. 5. præmiſimus ) ad Sancta ſanctorum, vbi à Deo miſericorditer deoſculatur, ipſa diuinum hunc contactum ac Dei ſui amoroſam præſentiam deguſtante. Et licet intellectus ad interiora tabernaculi non ingrediatur, neq; immediatè ipſum Deum videat; diuina tamen luce illuſtratus, clarè & certò (ſaltem in initio, quo voluntas Deo ipſi immediatè vnitur) cognoſcit voluntatem eſſe Deo ipſi immediatè ſuauiſſimo amoris vinculo ac ineffabilis dulcedinis vnitam, licet procedente vnione, amoris exceſſus & torrens ſuauitatis qui tunc percipitur, eius operationem pro tempore, quo feliciſſima illa vnio perdurat, omnino ſuſpendat & abſorbeat. De aliis verò operationibus intellectus, nempe de luce ſiue contemplatione antecedente & conſequente iſtam vnionem, inferiùs pleniùs diſſeremus. Interim de hac ſuauiſſima deoſculatione, quam anima in ſponſi brachiis in hoc breuiſſimo tempore vnionis percipit, Richardum in Pſal. 4. diſſerentem audiamus. *Cùm enim*, inquit, *cæleſtis ille ſponſus ſponſæ ſuæ charitatis amplexibus coniungitur, & ad eius oſculum inclinatur, ad eius attactum ſubitò cæleſti quadam dulcedine anima perfunditur, quam quidem ſentire poteſt, ſed nulla ſermonis latitudine explicare poteſt. Ille enim diuinorum labiorum fauus diſtillans, fixis ſponſæ labiis fortiter expreſſus, incipit diſtillare dulcedinem, & emanare ſuauitatem. Influens itaque ille cæleſtis ſuauitatis dulcor incipit primò quidem ſponſæ interiora replere, poſtmodum autem vſque ad os effluere, tandem verò per labia emanare in tantum, vt à ſponſo ſuo ſtatim audire mereatur: Mel & lac ſub lingua tua, fauus diſtillans labia tua;*

*eo*

*eò quòd ex abundantia cordis os loquatur.*

Gerſon verò Tom. 3. in Cant. Conſid. 3. breuiùs, ſed magis ad noſtrum propoſitum, oſculum Dei ſequentibus verbis deſcripſit: *Oſculum ſponſi vel oſculatio, eſt digniſſima impreſſio cuiuſdam ſuauitatis & intimæ conſolationis per illapſum ſecretum in animam.* Et infrà: *Et in ſtatu præſenti Deus gerit amicitiam erga animam ſanctam, quia communicat illi ſeipſum, & amorem ſuum, & dona ſua ad fruendum,* &c. Hactenus de Vnione iſta ex parte Dei animam ſibi vnientis & deoſculantis, iam ad Vnionis modum ex parte animæ ſermonem noſtrum conuertamus.

## CAPVT XII.

### *De modo iſtius Vnionis ex parte animæ.*

QVALIS verò ſit iſta ineffabilis vnio ex parte animę, non incongruè Ioannes Gerſon Tom. 3. in Cant. canticorum, Conſideratione 3. ſponſi & ſponſæ amores deſcribens, declarauit dicens: *Amor expoſitus in Cant. canticorum, fruitio Dei, vel oſculatio oris nominatur aptiſsimè, non ſolùm habitualis & tepida, ſed actualis, feruens, & ecſtatica, & præcipuè Seraphica, cuius eſt immediatè ferri in Deum, quamuis ex parte animæ concurrat multitudo habituum & influentiarum, omne præterea datum optimum, & donum perfectum deſcendens à Patre luminum,* &c. *quæ omnia tamquam virtus vniuoca (tradente Dionyſio) replent, & reſtituunt, & conuertunt ad congregantis Patris vnitatem, & Deificam ſimplicitatem, vbi tunc apex mentis ineffabili & ignoto Deo ineffabiliter & ignotè coniungitur; ignotè quidem, quia infinitè & immenſè, cùm virtus cognoſcentis & natura ſint finiti.*

Breuiter tamen ex parte animæ iſtum amoris nexum

Digitized by Google

nexum ac reciprocam dilectionem explicemus. Quemadmodum ex parte Dei iſta vnio eſt intima cõiunctio ipſius Dei cum intellectu in ratione ſummæ lucis, ſaltem quantum in hac vita permittitur; (nam tunc intellectus mirábili à Deo luce perfunditur & eleuatur, vt ipſum voluntati præſentem & vnitum altiſſimo modo, licet non intuitiuè cognoſcat;) cum voluntate verò in ratione ſummi boni & ſummi delectabilis; ita ex parte animæ eſt perceptio vitalis & experimentalis omnium ſenſuum internorum iſtius ſummi boni, nempe Dei, & eius gratiæ & donorum, ſiue vt clariùs dicam, mutua deoſculatio & amplexus ipſius Dei ſibi intimè præſentis. Erit igitur iſta vnio ſumma & altiſſima mentis noſtræ perfectio; quia mens Deo infra diuinæ eſſentiæ claram viſionem perfectiſſimè tam intellectui quàm voluntati vnitur: nam ipſum Deum perfectiſſimè contemplatur, ac prætereà ſentit & guſtat, & ſuauiſſimè percipit, ideoque communiter experimentalis perceptio Dei nuncupatur.

Diximus, eſſe experimentalem perceptionem Dei, eiuſque gratiæ ac donorum; vt ſignificemus, animam Deo ipſi vnitam non ſolùm percipere ipſam vnionem actualem, prout actio quædam eſt, quâ anima Deo coniungitur; ſed & gratiam & charitatem, quæ ſunt principia huius actionis, imò & ipſum Deum potiſſimùm ſentire, ac ſuauiſſimo tactu deguſtare. Quæ vt clariora fiant legentibus, recolere oportet quæ c. 3. diximus, animam iuſti eſſe cum Deo ipſo vnitam, gratiam verò & charitatem eſſe veluti vinculum & vnionem, qua Diuinitati anima vnitur ac copulatur.

Duplicem prætereà eſſe hanc vnionem per charitatem adnotauimus, alteram habitualem, actualem

verò

verò alteram, cuius varios aſſignauimus gradus, ac in ſupremo actualem vnionem fruitiuam, qua Deo ipſi arcano amplexu coniungimur, iure collocauimus. Hanc definiuimus eſſe experimentalem perceptionem ipſius Dei, gratiæ & donorum eius. Per hanc enim vnionem cum quadam experientia dulcedinis percipiuntur tria. Primum, ipſe Deus, qui illabitur tunc menti. Secundum, gratia & charitas habitualis, quibus iuſtorum animę Deo vinciuntur. Tertium, ipſa actualis & fruitiua vnio, quæ eſt vinculum actuale, qua actu Spiritui ſancto (qui eſt veluti anima animæ noſtræ) puriſſimæ mentes ſuauiſſimè adhærent.

Oſtendamus igitur modum, quo anima in hac Vnione percipiat ac ſuauiſſimè ſentiat tria hæc. Incipiam à duobus vltimis, nempe à gratia habituali, ceteriſque donis à Deo infuſis, & ab actuali vnione. Et vt clariùs conſtet, qua ratione anima poſſit percipere tam actualem iſtum nexũ ſiue vnionem, quàm habitualem qui fit per gratiam, ſcire oportet ex D. Thoma 1.2.q.112.art.5.ad 1. quòd illa quæ ſunt per eſſentiam ſui in anima, cognoſcuntur experimentali cognitione, in quantum homo experitur per actus principia intrinſeca, ſicut voluntatem percipimus volendo, & vitam in operibus vitæ. Et hoc eſt quod voluit Paulus 1. Corinth. 2. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus* (experimentali nempe notitia) *quæ à Deo donata ſunt nobis.*

S. Bernardus in Serm. ad Milites templi, c. 11. explicat egregiè hanc perceptionem gratiæ & donorum. *Spiritualis*, inquit, *generatio* (nempe gratiæ & donorum) *non quidem in carne ſentitur, verùm in corde, ab his dumtaxat, qui cum Paulo dicere poſſunt:*

*Nos*

*Nos autem ſenſum Chriſti habemus:) in quo & eatenus profeciſſe ſe ſentiunt, vt & ipſi cum omni fiducia dicant: Ipſe enim Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Hæc ille. Sentiunt enim aliquando in hac vnione iuſti experimento ipſo, lumine cælitus infuſo, motus & operationes diuinæ gratiæ. Sentiunt etiam in hac fruitiua vnione non tantùm actualem & mutuum amplexum, ſiue deoſculationem, ſed etiam ipſam gratiam & charitatem, quę ſunt principia vitalia actualis vnionis. Sentiunt, inquam, ac diſtinctè hæc omnia percipiunt (quod non ſine ſpeciali Dei reuelatione contingit) nec ſolùm iſta percipiunt, ſed & potiſſimùm ipſum Deum, qui eſt obiectum immediatum huius vnionis, ac per vnitiui amoris amplexum ſenſu tactus & guſtus ipſum Deum experiuntur, ac veluti palpant. Neque enim quis poteſt oſculum ſiue amplexum percipere, niſi oſculantis & amplexantis labia & aſtringentia brachia perſpicuè ſentiat; vt optimè D. Thomas Opuſc. 60. ſequentibus verbis confirmat. *Cùm ſenſeris*, inquit, *tactu, qui cognoſcit de proximo labia illa Ieſu, animæ tuæ labia non abominari, ſed mirabiliter ipſis imprimi, ineffabiliter oſculari.* Et infrà: *In hoc autem gradu anima, quod admodum & indicibili modo rapit & rapitur, tenet & tenetur, ſtringit & ſtringitur; & vna vni per amoris copulam ſociatur.*

Ex his etiam conſtat, valdè eſſe probabile, eos qui ad hanc ineffabilem vnionem ſingulari Dei beneficio fuerint ſublimati, reddi de ſua gratia & acceptatione ſecuros. De his enim præcipuè loquitur Paulus ad Rom. 8. *Spiritus*, inquit, *teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei.* Et illud 1. Corinth. 2. *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepi-*

*mus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Loquitur Apoſtolus non abſolutè de omnibus iuſtis, ſed de illis tantùm, quibus contingit iſta notitia experimentalis & priuilegiata, quæ eſt per reuelationem internam Spiritus ſancti. Quo ſenſu D. Thomas intelligit hunc locum 1.2. q.112. art. 5. ad 4. Ex hac igitur intima & fruitiua perceptione ſequitur in anima maximum gaudium, & ideò inter fructus Spiritus ſancti primo loco ponitur charitas, prout eſt fructus, ad diſtinctionem charitatis, quæ eſt virtus Theologica, habituſque ſupernaturalis: at vt eſt fructus, dicit actuale charitatis experimentum vel ſentimentum, ſiue charitatis fruitionem, quod idem eſt ac gaudium.

## CAPVT XIII.

### *Vnio hæc mutua inter animam & Deum, per comparationem ad ſponſationem tam carnalem quàm ſpiritualem, ampliùs exponitur.*

RESTAT iam vt vna aut altera comparatione modum iſtius vnionis mutuę pleniùs explicemus. Prima comparatio, ex carnali ſponſatione: ſecunda verò, ex matrimonio ſpirituali in gloria conſummato, id eſt per comparationem ad vnionem beatificam deſumenda erit.

Ponamus igitur, (& hæc erit prima comparatio, & forſan aliquantulùm rudis, aptiſſima tamen, vt hęc vnio meliùs penitiuſque intelligatur) virginem eleganti admodum ac decorâ facie præfulgentem, in ſuburbiis munitiſſimi longéque magnificentiſſimi caſtri demorari, in cuius interiori cœnaculo ſiue aula, totius orbis Imperator, occultus tamen, reſideret, qui huius virginis captus eſſet amore, & illa Impera-

peratoris, ac mutua per internuntios pollicitatione ad dulces ſponſaliorum nexus ſubeundos ſuauiſſimè traherentur, ea tamen conditione interpoſita, vt non niſi ſtatuto à Principe ac præfixo die deſiderata matrimonij celebritas ageretur. Atque interim, dum ad præſignatam diem ſponſalitij expectantur amplexus, mutuis hinc inde miſſis epiſtolis, & amatoriis muneribus oblatis, ſponſus & ſponſa ſibi inuicem per amoris mutui conſcios ac fideles nuntios amoroſè colloquuntur: interdum etiam ſponſus in aliquibus imaginibus faciem ſuam quoquomodò adumbratam ſæpè dilectiſſimæ ſponſæ oſtendit. Ardet iſta quotidie, ac pręſentiæ realis auida, his ſponſi imaginibus minimè contenta, ampliùs inualeſcente amore ſponſi, cuius amoris ſagittâ transfixa eſt, vehementiùs languet, deſiderio præſentiæ amati tabeſcit, morarum impatiens & anxia, ſponſi tarditatem accuſat, emoritur pænè, dum expectatiſſimo eius amore frui, caſtiſſimoque oſculo recreari ardentiſſimis anhelat votis, faciem videre cupit amabilem, & ſuauiſſimam eius præſentiam tota tabeſcentis animi contentione ſatis impatienter exquirit. At verò ſponſus, qui non minùs feruenti exardeſcit amoris flamma, non minori etiam ſponſæ expectatione trahitur; & quò flagrantiſſima ſponſæ deſideria ei magis innoteſcunt, eò feruentiori reciprocæ dilectionis ſpiculo perculſus, ad ſponſæ amplexus dulciſſimos vehementiùs fertur. Vnde fit, vt aliquando noctis captans ſilentium (ſecretiſſimè tamen) ad ſponſæ cubiculum occultiùs deſcendat, aut eam ad Regiam domum vocet ac trahat, ibique cum ea dulciſſima miſceat colloquia, & felici perfuſus amœnitate, ſereniſſimis ſibi illam amplexibus ac iucundiſſimis oſculis tenerrimè deuinciat, copulet, & amabiliter



Digitized by Google

aſtringat. Tunc quidem ſponſa (quamuis in tenebris) verum ſuum agnoſcit ſponſum, nam & loquela ipſius manifeſtum eum facit; ſed ei præſertim ex tactu ſuauiſſimo, ex ardentioribus oſculis ſponſi præſentia innoteſcit: tanta ſiquidem eſt huius Imperatoris fragrantia, tantaque ſuauitas, vt alterius eſſe quàm Imperatoris ac ſponſi nequeant. Hæc enim illius amabiliſſimi Principis conditio eſt & excellens natura, vt non ſolùm aſpectu ſuo gratiſſimo, ac ſerena ſupra omnem modum facie, verùm etiam ſingulari quadam tactus & oſculi dilectione facillimè dignoſcatur: quare licet faciem eius tenebris obſtantibus non videat, certiſſimè tamen illum agnoſcit; nec ſolùm ex locutione, ſed ex tactu ſingulari clarè & apertè ipſum percipit, & mira ab aliis diſcernit facilitate. Richardus à S. Victore hoc exemplum (ſi attentè eius verba legantur, explicans hanc diuinam Vnionem in Tract. de Gradib. charitatis violentæ) egregiè confirmat, dicens: *Sæpè ſub hoc ſtatu Dominus deſcendit de cælis, ſæpè viſitat ſedentem in tenebris & vmbra mortis, ſæpè gloria Domini implet tabernaculum fœderis: ſic tamen præſentiam ſuam exhibet, vt faciem ſuam minimè oſtendat: dulcorem ſuum infundit, ſed decorem ſuum non oſtendit: infundit ſuauitatem, ſed non oſtendit claritatem. Suauitas itaque eius ſentitur, ſed ſpecies non cernitur. Adhuc nubes & caligo in circuitu eius: adhuc thronus eius in columna nubis: & lene quidem, & blandum admodum quod ſentitur, ſed nubilum omnino quod cernitur; nondum namq; apparet in lumine Et quamuis appareat in igne, magis tamen in igne accendente, quàm illuminante: accendit namque affectum, ſed nondum illuminat intellectum. Deſiderium inflammat, ſed intellectum non illuminat. In hoc itaque ſtatu anima* dile-

*dilectum ſuum ſentire poteſt, ſed (ſicut dictum eſt) videre non poteſt. Et ſi videt quidem, videt quaſi in nocte, videt velut ſub nube, videt denique per ſpeculum in ænigmate, nondum autem facie ad faciem; vnde & dicit: Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum.* Hæc ille.

Hac igitur ſimilitudine facilè intelligitur, quid iſta Dei experimentalis perceptio ſit, præcipuè ſi recolas Deum eſſe in animæ eſſentia ſiue centro, quaſi in nobiliſſimo caſtro, per gratiæ vnionem in iuſtis commorantem, animam verò iuſti in ſuburbiis caſtri (non enim ingredi poteſt ad ſuam eſſentiam.) Contrahuntur prætereà ſponſalia inter Deum & piorum animas, cùm per gratiam & charitatem Deo coniunguntur. Hæc autem coniunctio omnibus iuſtis communis eſt, ac veluti ſponſatio meritò iudicatur: matrimonij verò conſummatio vſque ad eorum obitum, cùm Deum in felici illa patria reuelata facie conſpexerint, eique vnione beata fuerint copulati, differtur. Interim ſponſa ſponſi amore inflammata, intimis ſuſpiriis ac inenarrabilibus gemitibus ad dulciſſimam eius præſentiam, etiam in hac vita ardentiſſimè anhelat. Et quamuis interdum ſponſi viſionibus, reuelationibus, ac locutionibus diuinis frequentiùs viſitetur, & mirè confortetur, adhuc tamen amoris æſtu & impatientia omnia iſta tranſcendens, non quieſcit, donec amati reali præſentia perfruatur. Cùm verò ardentiſſimis ac ſcintillantibus deſideriis, & anagogicis aſpirationibus mens fuerit à paſſionibus ampliùs defæcata, clementiſſimus ſponſus in eſſentia animæ, tamquam verus Salomon in eburneo & ſplendidiſſimo maieſtatis throno reſidens, animæ eius amplexus ac dulcia oſcula anxiè ſitienti (quantum in hac peregrina-



Digitized by Google

tione permittitur) cupiens ſe manifeſtare, ſeipſum demittens, animæ potentiis per ſuam præſentiam illabitur, eamque ad interiora deſerti (id eſt, ad eſſentiam & centrum animæ) ineffabiliter trahit, ibique amoris brachiis tenaciſſimè ſibi adſtringit, tenerrimè deoſculatur, mutuoque complexu ab ea ſtringitur & tenetur, & per hunc tactum ſuauiſſimum ab ea ineffabilis eius ſuauitas deguſtatur. Per hunc verò amplexum & arcanum contactum, anima perfectiùs ſponſum percipit, & experimẽtali notitia dignoſcit, & quaſi videt clariùs, quàm ſi oculis corporeis eum intueretur: ex qua quidem Dei experimentali notitia, intellectus clariſſimam ac perfectiſſimam cognitionem adipiſcitur. Ex hoc enim arcano Spiritus ſancti tactu & amplexu, anima ineffabili, qui omnem notitiam tranſcendit, mira perfunditur intellectus luce, vt Deum ineffabili quodam modo videre poſſit: tunc enim altiorem anima de Deo aſſequitur cognitionem, quàm vmquam aliàs per viſiones ſeu reuelationes fuerat conſecuta: nam per ſapidiſſimam de Deo notitiam, dum ei ſupremus apex affectiuæ potentię per amorem vnitur, reſultat in intellectu altiſſima quædam & ſapientialiſſima Dei contemplatio, quæ ad experimentalem & ſuauiſſimam Dei perceptionem conſequitur: quę quidem contemplatio Myſtica Theologia à D. Dionyſio, hoc eſt arcana Dei viſio & occulta notitia appellatur, vtpote quæ fit in immenſa illa caligine. Et præthereà, quia eſt notitia experimentalis Dei per affectum, ſupponens vt principium & cauſam, experimentalem Dei notitiam, quæ in voluntate præcipuè inuenitur, & ab ea deſcendit in intellectum. Ibi enim intellectus ſupernaturali & cælitus infuſo lumine illuſtratus, in intimis receſſibus ſuis clarè Dei præ-

præſentiam agnoſcit, ac in quadam perfectiſſima imagine Deum intuetur, non verè ſicuti eſt, ſed paulò minoratus ab ea viſione, quâ Beati Deum clarè vident, id quod Deus eſt contemplatur. Voluntas verò ineffabili amore ac incredibili iucunditate cum ipſo Deo, ſub ratione ſummi boni, vnitur, ac eius præſentiam percipit.

O ter quaterque beata anima, cui adhuc in hac peregrinatione degenti, feliciſſima æternitatis pignora, ac ſummam Beatorum gloriam prælibare contingit! Quid autem hęc Dei manifeſtatio & amplexus in anima operetur, quæ lingua ſufficiet explicare? Ex illo enim fonte, qui eſt in ſecreto animæ quaſi torrens voluptatis, qui totam animę regionem percurrens eam irrigat, fecundat, & exhilarat, mirabiles in animæ regnum dimanant effectus, de quibus nos latiùs infrà diſſeremus.

Præterea, Vnio hæc fruitiua non incongruè per comparationem ad feliciſſimam gloriæ vnionem exponi poteſt. Ineffabilis quidem eſt in illo ſtatu beatitudinis iucundiſſimo beatarum mentium cum Deo coniunctio, ac in ipſum omnimoda transformatio: nam ibi, vt Apoſtolus docet, ea quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, præparauit Altiſſimus his, qui ad illius glorię celſitudinem, ipſo Deo iuuante peruenerunt. Ineffabilis etiam eſt (vt ſuperiùs ſæpè præfati ſumus) dum peregrinamur à Domino, vnio illa arcana fruitiua & ecſtatica animæ cum Deo puriſſimis mentibus contingens. Et quamuis iſtæ vniones multùm ſanè inter ſe diſtent, in multis tamen conueniunt; ac proinde non erit abs re, ex his quæ in illa beata & cæleſti vnione, tam ex Scripturarum quàm Patrum doctrina cognouimus, ad hanc paulò inferiorem,

quam fruitiuam vocamus cognitionem, deſcendere: in multis enim philoſophari oportet in ea ferè, ac in viſione beatifica: eo tamen diſcrimine prænotato, quòd in iſta Deus clarè, diſtinctè, intuitiuè & quidditatiuè cognoſcitur; in vnione verò hac, nec clarè, nec diſtinctè, nec quoad quid eſt, nec omnino intuitiuè licet immediatè videatur, vt latiùs infrà cap. 16. dicemus.

Prætereà, in beatifica viſione Deus ſine vlla ſpecie à Beatis cognoſcitur, ipsâ diuinâ eſſentiâ immediatè Beatorum intellectui vnitâ, ac ſpeciei vicem ſupplente, quamuis poſſe etiam Deum per ſpeciem à Beatis videri grauiſſimi Theologi affirment: in vnione verò hac, ſiue Myſticæ Theologiæ contemplatione, Deus media ſpecie aliqua creata cognoſcitur, vt infrà etiam docebimus. Deinde, in viſione beatifica intellectum Deum videntium à lumine habituali gloriæ eleuari, Catholica fides nos docet: in contemplatione verò Myſticæ Theologię apicem intelligentiæ ſine aliquo habitu inhęrente, à Deo lumine quodam Sapientiæ dono eminentiori ſubleuari, ſuperiùs annotauimus. Demum, in vnione ecſtatica & fruitiua, quando illa eſt in intenſiori gradu, omnino à voluptatis torrente abſorbentur potentiæ, ita vt pro eo tempore non percipiant dulcedinem qua fruuntur, quia ita ſunt immerſæ in illo ſuauitatis & dulcedinis Oceano, vt non relinquatur locus tunc notitiæ reflexæ vt dignoſcant obiectum circa quod verſantur: in beatitudine verò ſemper eſt iſta notitia reflexa, qua intellectus percipit ſe videre ſummum bonum, ac voluntatem illud amare, eóque dulciſſimè frui.

Hac igitur diſcriminis ratione prænotata, explicemus iam per comparationem ad viſionem beatam faci-

Digitized by Google

faciliori ac clariori modo hanc Myſticæ Theologiæ diuinam ac ſupereminentem vnionem. Quemadmodum enim in beatifica viſione Deus illabitur intellectui, non ſolùm in ratione ſpeciei, ſed etiam in ratione obiecti: quem intellectus lumine gloriæ eleuatus immediatè intuetur, ac ei vnitur; voluntas etiam immediatè cum Deo, quem intellectus præſentem apprehendit & videt, per amorem coniungitur, ac ſummo illo bono feliciſſimè fruitur: pari fermè modo philoſophari poſſumus in hac Deifica vnione, contemplatione, amore, & fruitione; nam in hac Deus, qui in eſſentia animæ omnipotens eſt, ineffabili modo menti purgatæ illabitur, & ſe manifeſtat, eleuando quodam diuino lumine intellectum, vt eum ibi exiſtentem ſibique præſentem agnoſcat, ac apicem affectiuè tangendo, vt Deum intimè coniunctum, ac animam deoſculantem & amplexantem ardentiſſimè amet, ac amoris mutuo amplexu ei copuletur, ac in illum omnino transformata & abſorpta, eo dulciſſimè & ſuauiſſimè perfruatur.

Eſt præterea aliud diſcrimen inter illapſum Dei in Beatorum mentes, ac illapſum in via puriſſimis mentibus contingentem: nam illis priùs natura Deus illabitur Beatorum intellectui, deinde voluntati: hic verò diuinus illapſus priùs, imò ſolùm fit in voluntate; huic enim tantùm Deus illabitur, eamque immediatè ſuo complexu & deoſculatione tangit, foras manente intellectu, qui licet diuiniſſimo lumine tangatur, vt Deum ipſum altiſſimo modo contempletur, non tamen ei illabitur, aliàs intellectus clarè ac diſtinctè Deum agnoſceret. In gloriæ ſtatu, intellectus primò Deum attingit ac poſſidet; in via verò, per voluntatis attingentiam Deus poſſi-



Digitized by Google

detur, intellectu foràs remanente, vt ſæpiùs prænotauimus.

Hæc intima & immediata tam intellectus quàm voluntatis cum ſummo bono feliciſſima vnio, dicitur à Dionyſio Myſtica Theologia, & diuiniſſima ſapientia; eſtque ſupremus gradus contemplationis, ad quem in hac vita intellectus diuinâ ac ſingulariſſimâ præuentus gratiâ pertingere ſolet. Prætermitto nunc Dei claram viſionem, quam D. Paulo & Moyſi ex ſpecialiſſimo Dei priuilegio contigiſſe vix creditur.

## CAPVT XIV.

*De duplici huius ſupremæ ac fruitiuæ Vnionis gradu, & aliquibus ſimilitudinibus, quibus intima hæc Vnio à Patribus declaratur.*

HÆc autem feliciſſima Vnio, in qua Deus ipſe per oſculum & amplexum vnitiuum clarè percipitur ac deguſtatur, duplici quidem gradu gaudet: àlter vocatur ſponſatio ſpiritualis, alter verò matrimoniũ ſpirituale. De vtroque gradu mentio fit apud Patres. De ſpirituali ſponſatione Verbi & animæ, in toto ferè Canticorum libro tractatur, eiuſdem quoque ſponſationis meminit S. Bernardus Serm. 9. in Cant. *Si quis*, inquit, *in nobis ita eſt deſiderij vir, vt cupiat diſſolui, & cum Chriſto eſſe, cupiat autem vehementer, ardenter ſitiat, aſſiduè meditetur, is profectò non ſecùs quàm in forma ſponſi ſuſcipiet Verbum in tempore viſitationis, hora videlicet qua ſe aſtringi intus quibuſdam brachiis ſapientiæ, atque inde ſibi infundi ſenſerit ſancti ſuauitatem amoris: ſiquidem deſiderium cordis eius tribuetur ei, etſi adhuc peregrinanti in corpore, ex parte tamen, idque*

*ad*

*ad tempus, & tempus modicum.* Et infrà: *Nec tamen vel in tranſitu præſtò erit omni animæ, niſi illi dumtaxat, quam ingens deuotio, & deſiderium vehemens, & prædulcis affectus ſponſam probat, & dignam ad quam gratia viſitandi acceſſurum Verbum decorem induat, formam ſponſi accipiens.* Hæc Bernardus.

Nec te turbet matrimonij nomen: eſt enim inter Deum & animam arcanum quoddam connubium ſpirituale, quo Deus & anima arctiſſimo & ferè indiſſolubili vinculo etiam in hac vita coniunguntur. De hoc matrimonio S. Bernardus Serm. 83. in Cant. dicit: *Talis conformitas maritat animam Verbo, cùm cui videlicet ſimilis eſt per naturam, ſimilem nihilominùs ipſi ſe exhibet per voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfectè diligit, nupſit.* Et infrà: *Verè ſpiritualis ſanctique connubij contractus eſt iſte: parum dixi contractus, complexus eſt. Hic nexus vincit etiam quod natura arctiùs vincit, vinculum parentum ad filios. Denique propter hoc, ait, relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, & adhærebit ſponſæ.* Et infrà: *Proptereà (vt dixi) ſic amare, nupſiſſe eſt: quoniam non poteſt ſic diligere, & parum dilecta eſſe, vt in conſenſu duorum integrum ſtet perfectumq́ue connubium: quod non eſt aliud quàm amor ſanctus & caſtus, amor ſuauis & dulcis, amor mutuus, intimus, validuſq́ue, qui non in carne vna, ſed vno planè in ſpiritu duos iungat, duos faciat iam non duos, ſed vnum.*

Idem Bernardus Serm. 85. in Cant. prope finem, *Quando videris animam*, ait, *relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo ſe regere, de Verbo concipere, quod pariat Verbo, quæ poſſit dicere: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum; puta coniugem Verboq́ue maritatam.* Et infrà: *Attende in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi*, &c.

Richar-

Richardus de S. Victore in Cant. cap. 8. plenè diſſerit de huiuſmodi matrimonio & ſpirituali coniunctione animæ cum Deo. Sanctus demũ Bernardus de hoc etiam matrimonio ſpirituali videtur diſſerere in Tract. de Septem gradib. contempl. exponens illum Apoſtoli 2. Corinth. 2. locum, *Nos autem reuelata facie, gloriam Dei ſpeculantes*, &c.

Inter hos feliciſſimæ Vnionis gradus multiplex inuenitur diſcrimen, vt egregiè docuit SS. Virgo & Mater noſtra Tereſia, rerum ſpiritualium expertiſſima, in libris, quos diuinitus à Deo illuminata conſcripſit, maximè Manſione 7. cap. 1. & 2. Quandoquidem (ait) Dei magnitudo nullis terminis aut limitibus continetur, idem erit etiam de eius operibus meritò iudicandum. Quis enim eius miſericordiam & magnitudinem enarrare poterit? Quare ſi ea quæ anteà retulimus, aut dicemus infrà, Deo ipſi comparentur, miranda non ſunt: omnia enim ſunt velut ſymbola quædam diuinæ magnitudinis ac potentiæ. Vtinam Deus mihi concedat, vt poſſim vobis explicare aliquid eorum, quæ ipſe communicat ad iſtum ſtatum pertingentibus! Quando diuina bonitas, compatiens laborum & afflictionum, quas animę ſibi ſpirituali ſponſationę coniunctę pro eius amore perpeſſæ ſunt, antequam eas ſpirituali matrimonio ſibi coniungat (quamuis in hac vita non ita perfectè hoc matrimonium inter Deum & animam celebretur, quin poſſit aliquando anima à Deo ſeparari) ad propriam manſionem, id eſt animę centrum introducit, ibique cum ea vnitur, quod non ſolet contingere in ſpirituali ſponſatione: nam ibi ſponſa non tam ad centrum, quàm ad ſuperiorem animæ partem à Deo vocari videtur. Eſt igitur magnum diſcrimen inter matrimonium, deſponſationemque

nemque ſpiritualem; quale eſſe ſolet inter eos qui ſponſalia contraxerunt, & illos qui matrimonio coniuncti ſunt. His vtor comparationibus maioris claritatis gratiâ, non quia in ſponſatione aut matrimonio ſpirituali corporeum aliquid interueniat, omnis enim iſta coniunctio ſiue vnio in ſpiritu contingit. Primum igitur diſcrimen eſt, quòd in vnione ſpiritualis ſponſationis, ſaltem tempore quo celebratur, omnes potentiarum operationes abſo bentur, quòd anima quaſi cæca, muta, ac ſine vllo interiori ſenſu videatur remanere, ita vt pro tunc nulla ratione poſſit ſentire aut intelligere, quale ac quantum ſit illud bonum quo fruitur. Quia illa magna delectatio, qua animã perfundi ſuperiùs diximus, tunc ſentitur, cùm anima ſe Deo approximare cognoſcit. At cùm iam amoris brachiis à Deo adſtringitur, eique vnitur, nihil omnino ſentit, quia tunc omnes potentiæ conſopitæ ac abſorptæ manent. In matrimonio verò ſpirituali aliter ſolet contingere, quia tunc Deus potentias anteà abſorptas & quaſi ligatas ſoluit, & oculorum ſquamas tollens, permittit vt anima percipiat atque intelligat aliquid de ineffabilibus bonis quibus fruitur. Quod quidem mirabili modo contingit: nam animæ in illo centro manenti, viſione intellectuali myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, omneſque tres perſonæ manifeſtantur: præcedit tamen hanc manifeſtationem ſuauiſſima quędam ſpiritus inflammatio, inſtar lucidiſſimæ cuiuſdam nubis, ibique notitiâ quadam admirabili percipit, qua ratione tres perſonæ ſint vna ſubſtantia, vna potentia, vna ſapientia, & vnus ſolus Deus, ita vt quod fide tenemus, ibi anima (vt ita dicam) quaſi intuitiuè cognoſcat.

Eſt aliud prætereà diſcrimen inter ſpiritualis matrimo-

trimonij vnionem ac ſpiritualis ſponſationis : quia in hac,omnia dona & gratias quæ à Deo anima recipit, eas videtur recipere mediis potentiis aut ſenſibus;in matrimonio verò ſpirituali non ita contingit: quia cùm hoc matrimonium in animæ centro contingit, ibi immediatè Deus ſe manifeſtat quadam intellectuali ac nobiliſſima viſione.

Reperitur demum inter hæc duo aliud diſcrimen : quia in matrimonio ſpirituali arctior eſt animæ cum Deo coniunctio, ac veluti indiſſolubile vinculum : Deus enim deinceps ferè continuò eſt animæ præſens, quamuis non ſemper ita clarè & apertè, ſicut eo tempore quo diuinum hoc matrimonium fuit contractum ; quia aliàs ſi aliquantulùm non remitteretur anima, non eſſet compos omnino ſui,nec poſſet in aliis occupari. Ceterũ,quamuis non ita clarè ſicut anteà contigit, ſemper ac aduertit,& ſe introrſum colligit,hanc diuinam ſocietatem experitur, non aliter ac ſi duo eſſent ſimul in vno cubiculo, ſi clauderetur feneſtra, quamuis non apertè videat eum quẽ anteà media luce clarè conſpexerat, apertè tamen intelligit ibi eſſe præſentem. In ſponſatione verò ſpirituali non ita contingit,quia frequenter ſeparatur anima à Deo, nec continuò gaudet,ſicut in matrimonio, diuinâ Dei præſentiâ. Sequenti exemplo poterit hoc clariùs explicari : ſi dicamus vnionem ſponſationem eſſe ſimilem duabus cereis candelis, quæ ita intimè connectantur, quòd ex duabus vna lux vnuſque lychnus fiat, adhuc tamen non ita remanent vnitæ,quin ab inuicem poſſint ſeparari, & fieri, ſicut anteà, duæ candelæ. Matrimonium verò ſpirituale meritò comparari poteſt aquæ cæleſti in fluuium vel fontem cadenti, vbi ita ex duabus aquis vna reſultat, vt nulla ratione poſſint

poſſint ampliùs diuidi aut diſtingui, ſeu diſcerni, vtra ſit aqua fluuij, vtra cæleſtis. Vel hæc vnio ſimilis dici poteſt luci per duas feneſtras in cubiculum ingredienti, quia quamuis in ingreſſu diuidatur, poſteà tamen vna lux efficitur. Forſan hoc eſt quod Apoſtolus Paulus ſcribit: Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum illo. alludens ad hoc diuinum matrimonium, in quo iam præſupponitur anima per ſponſationem ſpiritualem fuiſſe Deo vnita. Hæc & alia S. Virgo Tereſia in lib. Manſionum, vt ſuprà.

Sunt præterea aliæ ſimilitudines, quibus vtuntur Patres, vt hanc animæ cum Deo vnionem ineffabilem explicent. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 21. partim ſuperiùs adductis, partim etiam aliis ſimilitudinibus hanc Deificam declarat vnionem, dicens: *Quomodo ſtilla aqua modica multo infuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum & ſaporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum ignitum & candens igni ſimillimum fit priſtinâ propriaque formâ exutum; & quomodo Solis luce perfuſus aër in eamdem transformatur luminis claritatem, adeò vt non tam illuminatus, quàm ipſum lumen eſſe videatur: ſic omnem tunc in ſanctis humanam affectionem quomodo ineffabili modo neceſſe erit à ſeipſa liqueſcere, atque in Dei penitùs transfundi voluntatem.* Hæc S. Gregorius Nazianzenus. Gerſon verò in Tract. de Myſtica Theologia, conſider. 41. alias adducit ſimilitudines, quarum multæ coincidunt cum ſuperioribus.

Similitudines verò hæ, & ſi quæ ſunt aliæ minimè vſitatæ, quæ Myſticis ſolent eſſe familiares, piè debent interpretari, quemadmodum multæ aliæ locutiones & varij modi dicendi, quales ſunt, animam mori, propriam formam amittere, ſpiritum viribus affectionéve deſtitui, à Deo (ſine proprio ſcilicet

con-

concurſu) agi, & id genus alia amantibus frequentiſſima, quæ, ſi naturam rerum ſpectemus, falſa; ſi affectum, vera dicimus. Philoſophus enim non accuſatur mendacij, quòd animam potiùs vbi amat, quàm vbi animat, eſſe, protulerit: nec Paulus, quòd ſe viuentem non viuere, quaſi eius vitam Chriſti præſens vita perimeret, affirmarit.

## CAPVT XV.

### *De nominibus Vnionis fruitiuæ.*

EAM, quam nos Vnionem appellamus, Sancti variis conſueuerunt appellare nominibus, vt per ea proprietates eius varias indicare poſſint. S. Bernardus Serm. 52. in Cant. his verbis: *Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis,* &c. *Moriatur anima mea morte iuſtorum. Optima mors illa eſt, quæ vitam non aufert, ſed commutat in melius. Vtinam anima mea Angelorum morte moriatur,* &c. Vocat hanc Vnionem mortem, & quidem mortem Angelorum, eò quòd ſicut Angeli mortui ſunt rebus temporalibus & caducis, ita quoque certo modo media iſta Vnione moritur iiſdem anima.

Abbas Vercellenſis in hæc verba Cant. c. 5. *Amore langueo,* ſic ait: *Languor iſte vſque ad mortem ducit: mors autem eſt plena ſeparatio vitalis ſpiritus à corpore, & ſignificat plenam ſeparationem vitalis affectus per exceſſum mentis, & commodam vnitionem ad Deum.* S. Gregorius eam ſilentium appellat, atque ita declarat illa verba Apoc. cap. 8. *Factum eſt ſilentium in cælo, quaſi media hora.* Hoc ipſum ſilentij nomen ipſi imponit Richardus in Pſal. 25. c. 4. adiungitque plura alia, quibus intitulari ſolet hæc Vnio,



Digitized by Google

vt ſunt *ſomnus*, & *pax*; aſſignatque rationes, cur quodlibet horum nominum ipſi attribuatur, ſic inquiens: *Hanc quietem Ioannes dicit ſilentium. O quàm verè dicere poſſumus ſomnum, ſi excedit omnem ſenſum. Quid enim de eo dignè dici poſſit, qui omnem ſenſum excedit? Factum eſt, inquit, ſilentium in cælo quaſi hora dimidia. Quàm rectè ſilentium dicatur, audiuimus: ſed quomodo erit & ſomnus? Cogita quid faciat ſomnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit ſomnus huiuſmodi circa hominẽ interiorem. Somnus corporeus exuperat ſenſum corporeum, aufert enim officium oculorum, officium aurium, ceterorumque ſenſuum, atque membrorum. Sicut autem per ſomnum exteriorem ſopiuntur omnes ſenſus corporis, ſic per hunc, de quo loquimur, interioris hominis ſomnum exuperantur omnes ſenſus mentis. Simul enim abſorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam; vt conſtet quod Apoſtolus ſcribit: Quæ exuperat omnem ſenſum. Huiuſmodi ſomnum anima inter veri ſponſi amplexus capit, cùm in eius ſinum requieſcit. Unde & dicit: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Huius quietis in huiuſmodi reclinatorio iam firmam ſpem conceperat, qui cum tanta fiducia pſallebat: In pace in idipſum, dormiam, & requieſcam.*

S. Bernardus hoc idem nomen *ſomni* ipſi imponit Serm. 52. vbi manifeſtè inducitur cæleſtis ſponſus zelans pro quiete cuiuſdam dilectæ ſuæ, ne qua fortè moleſtia vel inquietudine à ſomno ſuauiſſimo deturbetur.

Rurſum Richardus lib. 4. de Contempl. *ebrietatem* appellat, inquiens: *Ecce chariſſimi inebriantur, ebrietas autem mentis alienationem efficit: & ſuperna quidem reuelationis infuſio eos dumtaxat, qui chariſſi-*

*mi ſunt, in mentis exceſſum adducit, ſecundùm illud: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Idem quoque eodem loco ipſam vocat ebrietatem per hæc verba: *Quid tantam dixerim mentis alienationem, niſi ebrietatem ſpiritus?* Ratio autem cur eam ſic vocitet, eſt; quia mediante hac vnione, conſequitur anima eam animi libertatẽ & fortitudinem, qua parui æſtimet ærumnas huius ſæculi, more Apoſtolorum, qui cùm ebrij eſſent ebrietate Spiritus ſancti, ibant gaudentes à conſpectu Concilij, eò quòd digni fierent pro nomine Ieſu contumeliam pati; quæ ipſorum inuicta fortitudo, & libertas ſpiritus, & promptitudo, mundo ebrietatem præ ſe ferre videbatur. D. Bonauentura de Proceſ. Relig. vt ſuprà, eamdem pænè rationem aſſignat quam Richardus.

Vocatur prætereà hæc Vnio *Theologia myſtica*, quod idem eſt ac cognitio ſecretiſſima Dei, eò quòd mediante hac vnione, acquiratur experimentalis quædam Dei notitia, omnem exuperans notitiam, omnemque ſcientiam, vt latiùs lib. 5. de Contemplatione tractauimus.

Inſuper ob altiſſimam hanc cognitionem, quâ mediâ Deũ anima deguſtat ac percipit, vocat iſtam intimam vnionem Dionyſius Areopagita, nedum *Theologiam myſticam*, ſed & *ſapientiam*, ſiue *Dei diuiniſſimam cognitionem*. S. Thomas Opuſc. 6. eam dicit eſſe *copulam animæ cum Deo*, propter vnionem & ſocietatem, quæ in hoc ſponſalitio interuenit inter vtrumque adeò arctam & ſingularem, vt vnum quid ambo efficiantur; idque propriè eſt vnio, cùm ex duabus rebus vna tantùm reſultat.

Hæc Vnio appellatur *ſponſatio Verbi & animæ*, & ita in ſacra Scriptura, maximè in toto ferè Canticorum libro, &c. de hac potiſſimùm ſponſatione tractatur.

ctatur. Appellatur etiam *matrimonium ſpirituale.* Vide Bernardum Serm. 85. in Cant. *Sed attende,* inquit, *in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera patiendi.* & infrà: *Vt in hoc vltimo genere interdum exceditur & receditur etiam à corporeis ſenſibus, vt ſe non ſentiat, quæ Verbum ſentit.*

Sortitur deinde plura alia nomina, quibus in Scriptura hæc mirabilis vnitio paſſim ſignificatur, de quibus egregiè Gerſon in Serm. de Spiritu ſancto Tom. 2. Conſid. 2. dicens: *Hæc eſt pax quæ ſuperat omnem ſenſum, manna abſconditum, quo Propheta Pſal. 30. paſtus eructat: Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Hic eſt calculus filiorum Dei, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit, niſi qui accipit. Hîc in diuinam caliginem inſtar Moyſi vocatur ſpiritus, hîc in ſibilo auræ tenuis ſentitur Dominus, hîc in thalamo dormit & requieſcit Salomon pacificus, & Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Hîc guſtatur fauus mellis; fauus propter illuminationem, mel propter dulcorationem affectus. Hîc Moyſes myſticus ducit gregem virium ſuarum in interiora deſerti. Hîc ſedet ſolitarius, & leuat ſe ſupra ſe, vbi Dominus loquitur ad cor eius. Hîc dicit Petrus: Bonum eſt nos hîc eſſe. Et Philippus: Sufficit. Et Maria Magdalena: Vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Hîc introducitur anima in cellam vinariam, vbi bibit ebriam ſobrietatem ſpiritus; vbi ſuſpirabunda epithalamium canens, verba dimidiat: Dilectus meus mihi, ait, & ego illi: ego dormio, & cor meum vigilat. Hîc obteſtatur dilectus de dilecta: Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis vel euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.*

Idem Gerſon Tract. 9. in *Magnificat*, Tom. 3. *Dicitur,* inquit, *manſio Dei in homine, & hominis in Deo,*

*vt hic. Dicitur viuificatio & habitatio vitæ æternæ ſaltem in radice, vt hic: viuet in æternum, quia ſuam gratiam habet. Dicit autem Apoſtolus quòd gratia Dei eſt vita æterna. Dicitur & oſculum oris ſponſi, quod petit ſponſa. Dicitur lac, & vinum, & vnguenta, & oleum effuſum, & tractus, & pulſus ad ſponſum. Dicitur introductio in cellaria, coniunctio dilecti inter vbera ſponſæ tamquam faſciculus myrrhæ. Dicitur ſuus decor, ſua quies in lectulo florido. Hoc eſt donum perfectum de ſurſum deſcendens, non aſcendens de deorſum. Hæc eſt ſapientia diuinitus inſpirata cum ſuis laudibus vniuerſis. Hoc diuinum ſilentium, hoc ſibilus auræ tenuis, hoc ſuſurrium verbi abſconditi, hoc vox quaſi auræ lenis, imò & tonitrui magni, & vt ad vnum colligamus innumera, quidquid ſonat manſionem, vel habitationem, vel inhæſionem, vel vnitatem vnius corporis & vnius ſpiritus, animæ cum Deo, ſponſæ cum ſponſo, vnicæ cum vnico, ſub gratiæ gratificantis nomine, & radice, principio, forma, & fine, vnico vocabulo datur intelligi, quid eſt manere in Chriſto per mutuum gratiæ complexum.*

Præcipuum verò mirabilis huius perceptionis nomen eſt *vnio*, abſolutè & per antonomaſiam ei à Myſticis attributum: quia etſi ſint alia vnionum genera, eaque præclara, quæ charitate media animam Deo coniungant, de quibus multa in ſuperioribus; hæc tamen ita arctiſſimè animam Deo ipſi conglutinat, vt abſolutè Vnionis nomen videatur ſibi iure vendicaſſe, tum propter alterius extremi dignitatem cum quo vnitio hæc contingit; eſt enim huius vnionis terminus immediatus ipſe Deus: tum etiam propter alias circumſtantias, quæ illam mirabiliorem ac digniorem conuincunt, nempe eſſe ecſtaticam, vtpote, quæ ſumma amoris & ſplendoris vi animam extra

extra ſe abducat; & deinde fruitiuam, quia ineffabili dulcedine animæ ſinus vſque ad effuſionem liberaliſſimè replet: de quibus multa ſuperiùs, præcipuè c. 7. huius libri, tetigimus, & in ſequentibus pleniùs diſſeremus.

## CAPVT XVI.

### *Intellectus mirabiles operationes Vnionem hanc ineffabilem antecedentes & concomitantes.*

SVPREMA illa Dei perceptio, qua Deus ſeipſum veluti tangendum obiicit voluntati, contemplationis etiam ſupremæ comes eſſe ſolet, ita vt ſimul intellectus & voluntas diuinitus afficiantur. De intellectus luce, ſiue contemplatione, & de voluntatis affectibus poſteà dicturi, priùs tamen aliquid de memoria in hoc Vnionis ſtatu præmittamus.

Memoria igitur Vnionis tempore, imò & ſæpè ipſa Vnione tranſacta, per influxum diuinum & conuerſionem ad Deum fit tranquilla, clara, & ſerena, quemadmodum aër, quando quietus eſt ab omni ventorum impetu, purus nubibus, nebulis carens, ac ſolaribus radiis omnino clarus: attollitur enim in hoc ſtatu mens ſupra omnia ſenſibilia, vt ſi quis vltra nubes elatus apertum cælum intueretur; & in eo felici ſtatu memoria fit adeò conſtans & ſtabilis, vt nihil eius ſerenitatem perturbet: vnde fit, vt rerum creatarum, etiam tranſacta vnione, vix poſſet meminiſſe; adeò enim rerum terrenarum recordatione priuatur, ac ſi eſſet homo totus cæleſtis.

De intellectus autem operatione, Vnionis ecſtaticæ & fruitiuæ tempore, non eodem planè modo iudicandum eſt: aliter enim de intellectu eo tempore quo anima eſt omnino diuinæ vnioni proxima, ali-



Digitized by Google

*vt hîc. Dicitur viuificatio & habitatio vitæ æternæ ſaltem in radice, vt hic: viuet in æternum, quia ſuam gratiam habet. Dicit autem Apoſtolus quòd gratia Dei eſt vita æterna. Dicitur & oſculum oris ſponſi, quod petit ſponſa. Dicitur lac, & vinum, & vnguenta, & oleum effuſum, & tractus, & pulſus ad ſponſum. Dicitur introductio in cellaria, coniunctio dilecti inter vbera ſponſæ tamquam faſciculus myrrhæ. Dicitur ſuus decor, ſua quies in lectulo florido. Hoc eſt donum perfectum de ſurſum deſcendens, non aſcendens de deorſum. Hæc eſt ſapientia diuinitus inſpirata cum ſuis laudibus vniuerſis. Hoc diuinum ſilentium, hoc ſibilus auræ tenuis, hoc ſuſurrium verbi abſconditi, hoc vox quaſi auræ lenis, imò & tonitrui magni, & vt ad vnum colligamus innumera, quidquid ſonat manſionem, vel habitationem, vel inhæſionem, vel vnitatem vnius corporis & vnius ſpiritus, animæ cum Deo, ſponſæ cum ſponſo, vnicæ cum vnico, ſub gratiæ gratificantis nomine, & radice, principio, forma, & fine, vnico vocabulo datur intelligi, quid eſt manere in Chriſto per mutuum gratiæ complexum.*

Præcipuum verò mirabilis huius perceptionis nomen eſt *vnio*, abſolutè & per antonomaſiam ei à Myſticis attributum: quia etſi ſint alia vnionum genera, eaque præclara, quæ charitate media animam Deo coniungant, de quibus multa in ſuperioribus; hæc tamen ita arctiſſimè animam Deo ipſi conglutinat, vt abſolutè Vnionis nomen videatur ſibi iure vendicaſſe, tum propter alterius extremi dignitatem cum quo vnitio hæc contingit; eſt enim huius vnionis terminus immediatus ipſe Deus: tum etiam propter alias circumſtantias, quæ illam mirabiliorem ac digniorem conuincunt, nempe eſſe ecſtaticam, vtpote, quæ ſumma amoris & ſplendoris vi animam

extra

Digitized by Google

extra ſe abducat; & deinde fruitiuam, quia ineffabili dulcedine animæ ſinus vſque ad effuſionem liberaliſſimè replet: de quibus multa ſuperiùs, præcipuè c. 7. huius libri, tetigimus, & in ſequentibus pleniùs diſſeremus.

## CAPVT XVI.

### *Intellectus mirabiles operationes Vnionem hanc ineffabilem antecedentes & concomitantes.*

SVPREMA illa Dei perceptio, qua Deus ſeipſum veluti tangendum obiicit voluntati, contemplationis etiam ſupremæ comes eſſe ſolet, ita vt ſimul intellectus & voluntas diuinitus afficiantur. De intellectus luce, ſiue contemplatione, & de voluntatis affectibus poſteà dicturi, priùs tamen aliquid de memória in hoc Vnionis ſtatu præmittamus.

Memoria igitur Vnionis tempore, imò & ſæpè ipſa Vnione tranſacta, per influxum diuinum & conuerſionem ad Deum fit tranquilla, clara, & ſerena, quemadmodum aër, quando quietus eſt ab omni ventorúm impetu, purus nubibus, nebulis carens, ac ſolaribus radiis omnino clarus: attollitur enim in hoc ſtatu mens ſupra omnia ſenſibilia, vt ſi quis vltra nubes elatus apertum cælum intueretur; & in eo felici ſtatu memoria fit adeò conſtans & ſtabilis, vt nihil eius ſerenitatem perturbet: vnde fit, vt rerum creatarum, etiam tranſacta vnione, vix poſſet meminiſſe; adeò enim rerum terrenarum recordatione priuatur, ac ſi eſſet homo totus cæleſtis.

De intellectus autem operatione, Vnionis ecſtaticæ & fruitiuæ tempore, non eodem planè modo iudicandum eſt: aliter enim de intellectu eo tempore quo anima eſt omnino diuinæ vnioni proxima, ali-



Digitized by Google

ter verò de ipſo tempore quo eſt omnino Deo vnita, & in ipſum diuinitus abſorpta ac transformata, aliter demum de intellectu, tranſacta iam ipſa Vnione, ſentiendum erit. Quare meritò omnis iſta cognitio ad tres gradus lucis reducetur.

## *Primus gradus contemplationis diuinam Vnionem antecedens.*

§. 1.

PRIMVS quidem lucis & contemplationis gradus eſt, quando mens omnino deſuper purgata, & medio Sapientiæ dono illuſtrata, ſupra ſe eleuatur, vt Deum in omni perfectione, ſanctitate & gloria eſſe tam infinitum, ac omni menti, etiam Angelicæ, incomprehenſibilem contempletur, ita vt diuinam non ſolùm ingredi, ſed illam habitare caliginem, quam ſuperiùs lib. 3. cap. 3. explicauimus, dicatur: Dominus enim Deus in caligine, id eſt in luce inacceſſibili, inhabitare dicitur. Vnde optimè S. Dionyſius in Epiſt. 5. ad Dorotheum: *Dicitur autem diuina caligo, quia eſt inacceſſibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, inuiſibilis quidem exiſtens propter excedentem claritatem; & inacceſſibilis, propter exceſſum ſuperſubſtantialis luminis effuſionis.* Hæc Dionyſius.

Ardentiſſima igitur huius caliginis intuitio ac defixio mentis in immenſam illam & inacceſſibilem Dei lucem, intelligentiæ oculum reuerberantem, & ſua immenſitate ſeipſam abſcondentem, altiſſima quidem eſt contemplatio, quæ fruitiuam Vnionem antecedit, & proxima eſt ad illam diſpoſitio, vt pleniùs lib. 3. de Via illuminatiua c. 3. oſtendimus.

De hac luce Gregorius lib. 4. in 1. Regum ad caput 20. vbi contemplationem ad Dei incircumſcriptum

Digitized by Google

ptum lumen terminatam (quod idem eſt ac Deum in caligine intueri) ſic depingit: *Quidquid enim de omnipotenti Deo humana mens poteſt cogitare, Deus non eſt: ſed dum cogitando cuncta tranſcendit, dum quidquid poteſt intima lucis, quidquid interna ſuauitatis & dulcedinis, quidquid ſpiritualis delectationis ſibi fingere minus illâ eſſe creditur; ad quamdam lucem tamen peruenit, quæ non eſt Deus, ſed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur quàm ineffabilis lux, dulcedo & delectatio ſit, quæ ipſe ſit, ſi tam immenſa lux eſt illa quam inhabitat, & non eſt ipſe. Ad Dominum quippe in Bethel Moyſes aſcenderat, quando cum eo in monte loquebatur: ſed qui ad lucem peruenerat quam inhabitat Deus, lucem quæ ipſe Deus erat, quærebat, dicens:* Oſtende mihi faciem tuam. *De quo etiam ſcriptum eſt, Quia loquebatur Moyſi Dominus facie ad faciem. Quid eſt, quòd facie ad faciem Moyſes cum Domino loquitur, & tamen Dominum obſecrat vt faciem ſuam Dominus oſtendat? Sed facies Dei, cognitio eius eſt. Cognoſcitur autem Deus per ſpeculum, cognoſcitur per ſeipſum. Per ſpeculum hîc, per ſemetipſum in cælo. Speculum verò eſt illa lux quam inhabitat Deus: ipſe autem lux illa, quæ ipſe eſt. Moyſes autem, qui facie ad faciem Deum videre dicitur, & eius faciem ad videndum poſtulare, quid rectiùs deſignat quàm perfectionem electorum, qui iam ſpeculum illius ſummæ lucis intuentur, ſed tamen ad ipſam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Iſta quidem cognitio lucis, electorum deſideria ſatiare non nouit, ſed excitare; illa verò & ſatiare & excitare. Nam tam iucunda res eſt, vt ineffabiliter concupiſcatur; & tam plena, vt qui iam ſemper hanc in magno deſi-*

*deſiderio viderunt, ſemper ineffabili dulcedine ſatientur.* Hæc Gregorius.

Qua verò ratione intellectus Deum hoc tempore intueatur, præclarè quidem aliquibus comparationibus explicat Dionyſius Carthuſianus lib. de Laude vitæ ſolitariæ, cap. 36. dicens: *Veluti ſi quis ſtans in littore totius Oceani, hoc eſt ei Oceanum ipſum videre, noſcere ſe non poſſe illud totum viſu attingere, metiri, finire. Et veluti ſi quis in ipſam Solis lucem in ipſo Sole formaliter exiſtentem ſuum defigat obtutum, hoc eſt ei lucem illam conſpicere, cernere ſe non poſſe eam in ſua virtute & puritate oculis irreuerberatis conſpicari. Sic igitur contemplamur Dominum Deum noſtrum, ſi interiorem mentis oculum figamus in ipſum cum omni humilitate, reuerentia & amore, abſque audaci & curioſo ſcrutinio, & intueamur quòd ipſe eſt eſſe purum, ſimpliciſſimum, incircumſcriptum, bonitas infinita, veritas increata, vnitas ſumma, ſuperbeatiſſima vita, ſapientia prorſus immenſa, virtus omnipotens, ſuperliberrima quoque voluntas, pulchritudo ſeparata & interminata, dulcedo illimitata; ſicque de ceteris perfectionibus eius. In horum contemplatione inflammetur cor noſtrum, & diuini amoris ardore totaliter ſuccendatur, ſicque Deo profundiùs vniatur, ac abditè, tamquam ignoto pariter & obſcuro feruentiſſimè infigatur.* Hæc Carthuſianus.

Neque exiſtimes, ſolam lucem (quantumuis ſublimis ſit) diuinam hanc Vnionem poſſe promereri, niſi illam æſtuantia amoris deſideria, & ardentiſſima alia eiuſdem amoris exercitia (de quibus ſuperiùs lib. 3. Viæ illuminatiuæ, c. 6. & 7. & inferiùs c. 23.) comitarentur. Nam dum anima ſub vmbra dilecti ac in illa caligine conſtituta, continuis ſuſpiriis, amoris violentia & languore fertur in Deum, non-

num-

numquam repentè immenſa Dei pietate apicem affectiuæ & verticem intellectiuæ potentiæ immediatè tangentem illuminatione & inflammatione ſimul ardentiſſimâ, ad fruitiuam vnionem rapitur, atque ibi feliciter in Deum, quem ſibi præſentiſſimum ſentit, diuinitus transformatur, vt egregiè ex D. Dionyſio docuit D. Bonauentura Itiner. 3. æternitat. diſt. 4. art. 4. ſequentibus verbis: *Verus contemplator eſt, ſi ſurſum tractus eſt ſuper omnia intelligibilia in caliginem ignorantiæ.* Et hic gradus contemplationis eſt, de quo loquitur Dionyſius cap. 1. Myſt. Theolog. dicens: *Adhuc reſtat principalior Dei cognitio, quæ figuratur in eo, quòd Moyſes ſeparatur ab his qui locum Dei ſecum viderant, & ſubtrahitur illis viſis, & intrat in caliginem ignorantiæ, & vnitur incomprehenſibilitati diuinæ, quam non penetrat intelligentia, quæ verè eſt omnium clariſſima, & in ſe claudit & ſecretiſſimè celat omnes cognitiones comprehenſiuas tamquam in cauſa prima omnium, & per eam omnis vnitus Deo (qui eſt ſupra omnia) conſtituitur in excellentia, quam neque ratio inueſtigat, nec intellectus ſpeculatur, & ab omnibus & quaſi à ſeipſo ſegregatur, & per vnionem dilectionis, quæ effectiua eſt veræ cognitionis, vnitur Deo intellectualiter ignoto cognitione multò meliori, quàm ſit cognitio intellectualis, in eo quòd intellectualem cognitionem dereliquit, & ſuper intellectum & mentem Deum cognoſcit.* Hæc Bonauentura. In quibus quidem D. Dionyſij verbis ab ipſo citatis illud planè conſiderandum eſt, contemplationem illam, quâ in caligine Deus agnoſcitur, non eſſe altiſſimam quæ de Deo in hac vita haberi poſſit, cùm præcedat ipſam vnionem, & Dei perceptionem experimentalem, quæ teſte D. Dionyſio eſt effectiua veræ cognitionis; ſed tantùm eſt præ-

uia lux,& contemplatio præcedẽs ipſam vnionem. Oportet igitur altiorem aliam quærere lucem & contemplationem. Hæc autem, ex mente D. Dionyſij, eſt illa quæ concomitatur ſiue conſequitur ipſam Dei fruitiuam perceptionem, vt ex illis verbis eiuſdem Dionyſij expreſsè coniicitur. *Et per vnionem* (inquit ille) *dilectionis, qua eſt effectiua vera cognitionis, vnitur anima Deo intellectualiter ignoto cognitione multò meliori.* Igitur cognitio illa, quæ Dei vnionem ſiue amplexum comitatur, & quæ ex illo oritur, quæ verè dicitur cognitio & contemplatio Dei altiſſima, illa inquam eſt, (non præcisè conſiderata, ſed vt connotat vnionem animæ cum Deo feliciſſimam & fruitiuam) quæ eſt diuiniſſima & ſapidiſſima Dei cognitio. Quare hæc, licet pręcipuè & eſſentialiter conſiſtat in hac cognitione, principium tamen habet & cauſam in amore vnitiuo & perceptione Dei experimentali. Ex qua veluti ex fonte, vbi diuina ſuauitas guſtatur & æterna prælibatur felicitas, ſapidiſſima illa ac diuiniſſima oritur Dei contemplatio, quę myſtica Theologia communiter appellatur; & hæc quidem ſpectat ad ſecundum lucis gradum, de quo §. ſequenti pleniùs diſſeremus.

## *Secundus lucis gradus, ſiue contemplationis, qui ipſam diuinam Vnionem comitatur.*

§. 2.

Hic igitur eſt ſecũdus & altiſſimus diuinæ cognitionis gradus, in quo Deus per guſtum & tactum intimum, ac ſuauiſſimam deoſculationem inter animam & ipſum diuiniſſimè cognoſcitur: iam enim in hoc gradu Deus non ſpeculatiuè vel per abſtractiuam notitiam diſcernitur, ſicut in ſuperiori

periori gradu; ſed practicè & experimentaliter per eius amplexum & guſtum cognoſcitur; aliter namque de mellis ſiue ſaccari dulcedine, qui eius ſuauitatem non guſtauit, aliter verò dulciſſimum expertus ſaporem diſſerit: hic enim cognitione experimentali, ille verò ſpeculatiuâ, eius dulcedinem perceperunt.

Primus igitur contemplationis ſiue lucis gradus, cùm ipſam diuinam Vnionem antecedat tam in luce quàm in aliis noſtrarum virium operationibus, inferior eſt omnino ſecundo gradu, in quo Deus per eius ineffabilem contactum & vnionem cognoſcitur. Iſta enim diuina Vnio (vt meritò inquit Dionyſius) effectiua eſt veræ cognitionis, id eſt, ab ipſa procedit diuiniſſima & ſapidiſſima Dei cognitio, quæ quidem altior eſt omnibus aliis cognitionibus, quæ de Deo in hac vita haberi poſſunt. In iſta enim Vnione voluntas intellectum guſtu & experientiâ pertranſit, vt latiùs cap. 10. Obſeruatione 5. annotauimus; & ſubtili ſapore maius quiddam percipit, quàm didicerit intellectus. Quare in illo gradu intenſionis, in quo voluntas præcellit intellectum, Deo vnitur, ac illum deguſtat in altiori gradu, ad quem intellectus non poteſt aſſurgere, ſed potiùs ad intellectum ex prægu ſtata vnione cum Deo voluntatis, perfectior, ac magis ſapida de Deo notitia deriuatur. Quod exemplo hoc explanari ſolet. Euenire quippe ſolet, vt conditi cibi nidore ſenſu percepto, quis iudicet ſapidum eſſe cibum, ac proinde acceptum auidiùs edat, vbi plerumq; maiorem quàm cogitauerat ſaporem & appetitus irritamentum offendit. Vnde ſaporis experimento conuictus intellectus, propriorem perfectioremque illius cibi notitiam parit. Ecce cognitionis ordo. Guſtus enim

præ-

præcedit cibi illius notitiam perfectiorem,licet imperfectam, quæ ante eius deguſtationem præceſſerat,ſubſequatur. In hunc ergo fermè modum intellectus in illa caligine exiſtens, diuino etiam lumine perfuſus, Dei incomprehenſibilitatē, maieſtatem, diuinitatemque cognoſcit, ac quodammodò eius ſuauitatem odoratur. Sed hæc cognitio fermè ſpeculatiua vocatur. At cùm voluntas Deo adhæret, ac myſtico contactu,guſtu percipit, attingit & amplexatur, tunc ex illa experimentali notitia voluntatis per amoris vnitiui amplexum habita, perfectior ac clarior affulget intellectui,qui inferiùs remanſerat, Dei cognitio multò certior ac nobilior, quàm per alias doctrinas vniuerſas.

Quòd ſi quis curioſè inquirat, Cùm anima tempore Vnionis ſit tota in Deum ita ſuſpenſa, vt eius potentiæ omnes ſint penitùs abſorptæ (vt omnes Patres fatentur, imò & ſapientiſſima Mater noſtra Tereſia à Ieſu impoſſibile cenſet, eo tempore animam poſſe aliquid intelligere) qua ratione intelligi poſſit, quòd eo tempore ea poſſit altiſſima intueri contemplatione.

Fateor ſanè, Vnionis tempore intellectum alioſque interiores ſenſus omnino abſorberi;nam ſi carnalis delectatio rationis vſum (teſte Ariſtotele) pro tunc abſorbet,quid erit ſentiendum de ineffabili illa dulcedine, quæ ex immediata cum Deo coniunctione & vnione percipitur? Quare ſicuti in hac vita Deus clarè videri non poteſt, niſi anima omnino ſit à ſenſibus alienata; ita neque Deus ſentiri aut percipi poteſt clarè in hac vita, niſi conſopitis omnibus animæ operationibus, ita vt anima pro illo breuiſſimo tempore nihil omnino ſentiat. Quapropter exiſtimo, tria tempora in hac Vnione ſiue



Digitized by Google

ue ſpirituali ſponſatione diſtingui debere. Primum, cùm iam anima percipit Dei præſentiæ ad ſe approximationem: ſecundum, cùm Deus diuino illo contactu animam deoſculatur, & ſponſæ labia diuinum illud ac ineffabile oſculum percipiunt: tertium, cùm plenè iſtam diuinam præſentiam ac eius ſuauitatem deguſtat. In illo priori, intellectus nondum abſorptus per infuſionem diuini luminis ab ipſius ſolis præſentia deriuati, clariſſimâ luce eleuatur, vt Deum ipſum voluntati omnino proximum altiſſimo modo contempletur; poſteà verò à ſeipſo deficiens, in illo inſtanti mutui cum Deo amplexus dulciter abſorbetur & obdormit, vt præclarè Dionyſius Carthuſianus in Commentariis in librum de Myſtica Theologia D. Dionyſij, cap. 9. declarat, dicens: *Verumtamen in hac contemplatione fertur apex mentis & intelligentiæ vertex Deo vniri, tamquam omnino ignoto, in omnimoda quoque caligine fieri, nihilque penitùs de illo cognoſcere; non quòd ab illius inſpectione omnifariè vacet, præſertim cùm iſta ſit altiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, cognitio, viſio huic vitæ poſſibilis, vt ipſemet Magnus Dionyſius & Expoſitores ipſius teſtantur; ſed quia in hac contemplatiua & ſapientialiſſima ac feruentiſſima vnione cum Deo mens acutiſſimè & limpidiſſimè conſpicit, quàm ſuperincomprehenſibilis & ſuperſplendidiſſimus, & ſuperluminoſiſſimus, & ſuperpulcherrimus, & ſuperamabiliſſimus, & ſupergaudioſiſſimus ſit ipſe Dominus Deus omnipotens & immenſus, atque quam infinitè & indicibiliter à plena illius cognitione, & beatifica eius fruitione, viſione faciali immediatè & clarè intuitiua diſtet, deficiat & occumbat. Ideò præ admiratione & amore deficit & deſinit à ſeipſa, gaudioſè quoque & dul-*

*dulciter abſorbetur, obdormit, & quieſcit in ſuperdilectiſſimo Deo creatore, ſaluatore, ac miſeratore, imò & ſupergratioſiſſimo ſuo ſponſo, totius beatitudinis ſuæ ſuperpiiſſimo fonte, omnipotentiſſima & liberaliſſima cauſa.*

Hæc de ſecundo illo inſtanti ſiue tempore, in quo Deus animæ per ſeipſum vnitur & manifeſtatur. Et quamuis hæc vnio realis cum Deo, breuiſſimo tempore abſoluatur, & tempore quo perficitur, ligatæ ſint & quaſi abſorptæ ab illa immenſa dulcedine omnes potentiæ; adhuc tamen neque in iſto tempore diuini contactus ſiue vnionis mutuæ animæ cum Deo, credendum eſt, omnino intellectum ſua carere operatione. Abſurdum enim eſſet cogitare, animam illo feliciſſimo vnionis tempore nobiliſſimis intellectus & voluntatis operationibus, non aliter ac ille qui deliquium animæ patitur, omnino priuari; imò potiùs ex magnitudine lucis, amoris, & delectationis, intellectus totus manet ſuſpenſus & abſorptus, præ nimia admiratione eorum quę tunc intelligit: tunc enim cùm tenaciſſimè actuetur circa ea quæ ſpeculatur, non datur ei locus reflexioni ſupra ſeipſum, ita vt poſſit ipſe intelligere aut diſcernere ſe aliquid tunc intelligere, quia ab illa ingēti admiratione totus tenetur ligatus & abſorptus.

Quem quidem modum intelligendi breui ſermone Taulerus cap. 12. Inſtit. expoſuit, dicens: *Hic ſpiritus à Deo in admirabilem lucem ſuam deducitur, rapiturque, ita vt natura in quamdam Deiformitatem eleuetur: ibi planè ſpiritus præ lumine abſque luce, præ cognitione abſque cognitione, præ amore abſque dilectione efficitur; non quòd abſque dilectione ſit, ſed quia omnis eius cognitio amorque ſuus nimis parua videntur ad ſuum Deum comprehendendum.* Hæc ille.

Non

Non aliter ac contingeret illi, qui ſolis orbem ac ſphæram ingrederetur: nam tunc veriùs clariuſque agnoſceret ſolem eſſe naturâ ſuâ lucidiorem, magiſque viſibilem, quamuis radiorum ipſius coruſcatione minùs videat, quò magis eum eſſe cognoſcit viſibilem: ſic planè anima ipſi Deo iuſtitiæ vero Soli ineffabiliter copulata, licet mentis oculos præ immenſa Dei claritate & incomprehenſibilitate, velut quibuſdam ſplendidiſſimis radiis reuerberata caliget, & incomprehenſibili ipſius obiecti luce ſuccumbat, experientiâ tamen ipſâ, apertiùs quàm anteà Dei claritatem & incomprehenſibilitatem agnoſcit.

Hanc intellectus operationem S. Mater Tereſia, à Deo diuina reuelatione edocta, in lib. ſuæ Vitæ, agens de hac Vnione, cap. 18. mirè explicauit. Cùm enim illa ſcire deſideraret quid in hac myſtica vnione intellectus operaretur, reſpondit ei Dominus, vt ipſa refert dicto cap. ſuæ Vitæ: *Como no puede comprehender lo que entiende, es no entender entendiendo.* Quaſi dicat: Cùm intellectus non poſſit immenſam illam Dei claritatem & incomprehenſibilem plenitudinem comprehendere, hoc ipſum eſt illam conſpicere, intelligere, ſe non poſſe intellectu cognoſcere. Et hoc quidem nihil aliud eſt, quàm Deum ſub ratione incomprehenſibilitatis videre ac cognoſcere. Eodem ferè modo piiſſimus Bloſius c. 12. Spiritual. Inſtit. explicauit, dicens: Hinc præ cognitione facta ſine cognitione, in ſolo amabili, nudo, ſimplici, & ignoto Deo quieſcit; lux quippe diuina propter nimiam ſui claritatem inacceſſibilis eſt, vnde & caligo appellatur. In hac quidem diuina caligine, in qua ſuauiſſima Dei vnio perficitur, Deus intellectum mira luce perfundit, vt eum ineffabili quodam modo

do

do videre poſſit: nam tunc altiorem anima de Deo aſſequitur cognitionem, quàm vmquam aliàs fuerat conſecuta; nam per ſapidiſſimam de Deo notitiam (dum ei ſupremus apex affectiuę potentiæ per amorem realiter vnitur) plura & altiora, quàm anteà per reuelationes ac viſiones cognoſcit: videtur enim ibi Deus ab intellectu ineffabili modo. Quare ſicut in dono Sapientiæ prius eſt guſtare Dei ſuauitatem, animamque media charitate vniri cum Deo, quàm experimentalis Dei cognitio ſiue contemplatio, quę eſt effectus doni Sapientiæ, guſtetur: ita quoque in hac myſticæ Theologiæ contemplatione prius eſt Deum animæ vniri, quàm Dei ipſius animæ illapſi & pręſentis iſtam ſapidiſſimam cognitionem infundi, iuxta illud: *Guſtate, & videte.* In hoc enim ſtatu illud annotare oportet, hàs duas potentias ſic diuinæ claritati vnitas miro modo affici, quemadmodum & ipſa anima, in qua reſident iſtę potentię, afficitur: quæ quidem in ſimilitudinem candentis ferri, propria forma non amiſſà, ſed ex inſpecta gloria incenſa, & diuinæ luci configurata, iam quaſi in aliam gloriam tranſiens, in eamdem imaginem transformatur, in quo Dei ſe eſſe genus & imaginem facilè demonſtrat; ſicut & ferrum (exemplum eſt Richardi Victorini de Gradibus violentæ charitatis) dum candet, ignem mirificè repræſentat, illiuſque proprietatibus pollet. Ita quidem, proportione ſeruatâ, in eum ferè modum intellectus & voluntas afficiuntur, quæ potentiæ in centrum vel fundum animæ, ſiue, vt Richardus docet vt ſuprà, in profundum animæ à Deo vocantur. Vbi ergo ſunt? (inquit & loquitur de potentiis in iſta ecſtaſi, & reſpondet ipſe Auctor.) In eo quod interius eſt ſui. profundum eſt cor hominis. Non ergo educuntur, ſed inducun-

ducuntur ſpiritus in illo interiori cœnaculo; quódque & illuc clauſis ſeorſum ſenſuũ oſtiis ſecuriùs ſecretiuſque caſtiſſimo complexu conueniunt cum dilecto,& ibi meliùs ſecum ſunt,& cùm ſic ibi ſunt, ſimul tutiùs ſe habent. Hæc ille.

Itaque tunc introducuntur iſtæ duæ nobiliſſimæ potentiæ, licet propiùs accedat voluntas in quamdam vaſtiſſimam quaſi Diuinitatis ſolitudinem, vbi voluntas Deum ipſum præſentem ineffabili ſenſu percipit: intellectus verò, amiſsâ omni rerum varietate ac diſtinctione, & vniuerſis (etiam imaginibus nobiliſſimis) ſuperatis, diuinæ lucis incomprehenſibilibus radiis percuſſus, Deum ſapientiſſimè ignorare (cùm tamen illum tunc cognoſcat perſpicaciùs) à D. Dionyſio Areopagita verè dicitur, eò quòd Deum ipſum in immenſa illa caligine & tenebra (quæ quidem omni alia luce in viatoribus ſplendidior eſt) agnoſcat. Intellectus quippe, neq; Deum videt in propria diuina natura, neque imaginibus (vt in aliis gradibus contemplationis non ita nobilibus) ſpeculatur, ſed in quamdam veluti caliginem demerſus, atque ipſo Deo circumfuſus, ſereniſſimâ planè & tranquilliſſimâ notitiâ, neſciens tamen quid ſit Deus, agnoſcit; tunc enim illum ſibi in nebula præſentiſſimum cernens, diuiniori quodam modo cognoſcit, qui reliquos modos & notitias, quæ de Deo aut ſcribuntur, aut concipiuntur, immenſo ſuperat & antecellit interuallo. In hac reuerâ caligine, vel nebula, vel tenebris (vt in montis apice contigit olim Moyſi) clariùs ac defæcatiori iam intellectus acie cognoſcitur, quàm aut ſermonibus exprimi, aut ſine experimento poſſit cogitari.

De hac mirabili cognitione (quâ Deus in illa tenebra & caligine ineffabili modo ſe manifeſtat) vt-



Digitized by Google

pote experta B. Angela Fulginenſis c. 25. ſeptimam conſolationem, quam à Deo acceperat, exponens, aliis apertiùs lucidiuſque tractauit. *Et poſt iſtud* (inquit) *vidi Deum in tenebra vna, & ideò in tenebra, quia eſt maius bonum, quod poſsit cogitari, nec intelligi, & omne quod poteſt cogitari vel intelligi, non attingit ad illud: & tunc data fuit animæ fides certiſsima, vna ſpes ſecura & firmiſsima, vna ſecuritas de Deo continua, ita quòd abſtulit omnem timorem: & in illo bono quod videtur ita in tenebra, recollegi me totam, & facta ſum ita ſecura de Deo, quòd non poſſum dubitare de eo quin Deum habeam certiſsimè, & in illo bono efficaciſsimo quod videtur in tenebra, eſt modò ſpes mea tota recollecta & ſecura. Frequẽter igitur video Deum illo modo, & illo bono quod narrari exteriùs non poteſt, nec etiam cogitari corde. In illo inquam bono certiſſimo & incluſo, quod intelligo cum tanta tenebra, habeo totam ſpem meam, & in videndo quidquid volo habere, totum habeo; quidquid volo ſcire, totum ſcio; & video ibi omne bonum. Nec anima in videndo poteſt cogitare de diſceſſu ab illo bono, nec quòd debeat de cetero diſcedere, ſed delectatur ineffabiliter in illo omni bono, & nihil videt omnino anima quod narrari poſsit ore, nec etiam concipi corde; & nihil videt, & videt omnino omnia. Et quia illud bonum eſt cum tenebra, ideò magis certiſsimum & magis ſuperans omnia, quantò magis videtur in tenebra, & eſt ſecretiſſimum. Et poſteà video cum tenebra, quod ſuperat omne bonum & omnia, & omne aliud eſt tenebra, & omne quod cogitari poteſt, eſt minus illo bono.* Et infrà: *Sed iſto modo quando videtur Deus in tenebra, non apportat riſum in ore, nec feruorem, nec deuotionem in corde, nec ferueutem amorem, quia corpus non tremit, nec mouetur, nec ſic alteratur ſicut conſueuit fieri in aliis; corpus enim nihil*

videt,

Digitized by Google

*videt, ſed anima videt, & corpus quieſcit & dormit; & truncatur lingua, quia tunc nihil poteſt loqui. Et omnes amicitias, quas Deus oſtendit mihi multas & inenarrabiles, & omnia verba dulcia ab eo mihi data, & omnia alia data factaque in tantum ſunt minùs illo bono quod video cum tenebra tanta, quòd non pono ſpem meam in illis; imò ſi poßibile eſſet quòd omnia eſſent non vera, nullo tamen modo minuerent ſpem meam, nec minueretur ſpes mea ſecuriſsima, quæ eſt certa omni illo bono quod video cum tenebra tanta. Ad iſtum autem prædictum modum altiſsimum & omnino ineffabilem videndi Deum cum tanta tenebra & ſupermirabili gratia viſionis, eſt mens mea tribus tantùm vicibus eleuata, quamuis multis & innumeris vicibus viderim iſtud omne bonum ſemper cùm tenebra, ſed non prædicto altiſsimo modo cum tanta tenebra.* Et infrà: *Video enim ſanctam Trinitatem in tenebra, & in ipſa Trinitate quam video in tanta tenebra, videtur mihi quòd ego ſtem & maneam in eius medio, & illud trahit me pluſquam res alia aliqua quam hactenus habuerim, vel aliquod bonum quod viderim, ita quòd iſtius non eſt comparatio ad illa.* Hactenus beata Angela.

Quæ certè Dei cognitio ſiue contemplatio, ab illo ſuauiſſimo Dei guſtu & perceptione promanans, Theologia Myſtica meritò appellatur, vtpote quæ ſit ſecreta Dei viſio ſiue contemplatio: nam Deum potiùs per caliginem quàm per aliquas ſimilitudines altiſſimo modo cognoſcit. Vnde manifeſtè conſtat, in præfata vnione non omnino ſilere potentias, quaſi ſilentium illud eſſet corporalis paroxyſmus, ita vt nec voluntas nec intellectus operentur; ſed dulciſſimam tantùm Dei ſuſtineant operationem (vt Myſtici quidam exiſtimarunt) imò potiùs

illæ potentiæ eo tempore diuiniſſimo afficiuntur modo: nam tunc intellectus (vt vidimus) tranquilliſſima & altiſſima contemplatione paſcitur, & voluntas ſuauiſſimo Dei amplexu ac fruitione recreatur, tota denique anima in Deo tamquam in ſuo centro dulciſſimè requieſcit. Et hæc de primo & ſecundo tempore huius feliciſſimæ Vnionis dicta ſufficiant.

*Rurſus huius ſecundi gradus infuſum intellectui à Deo lumen ampliùs exponitur.*

§. 3.

SOLET etiam clementiſſimus Deus tempore huius feliciſſimæ vnionis (vt ſapientiſſima Mater Tereſia libro ſuæ Vitæ cap. 18. docet) intellectum ſoluere, & inæſtimabiles diuitias ac dona ineffabilia, quibus tunc anima fruitur, clariùs dignoſcere poſſit, necnon alia quoque diuina myſteria in intellectuali viſione animæ manifeſtare; quod eſt veluti tertium tempus ſiue ſtatus animæ illa diuina vnione fruentis, per quam certè manifeſtationem naturę diuinæ attributorum ac diuinarum proprietatum in intellectualibus imaginibus clariſſimum lumen acquirit. Potiſſimùm verò miratur liberaliſſimam illam diuinitatis communicationem, ſeipſam tam ad intra quàm ad extra immenſa ſua bonitate mirabiliter effundentis. Vnde grandis in anima fiducia generatur, vt cum Deo familiariter agat. Ibi etiam lumine diuinitus infuſo gignitur inſignis perſpicacitas, ad penitiſſima ſacræ Scripturæ ſenſa, & diuinæ ſapientiæ arcana penetranda: quinimò non ſolùm anima, verùm etiam corpus & ſenſus mirificè perficiuntur, vt S. Mater noſtra Tereſia Manſ. 7. cap. 1. & 2. docet, *quia tunc* (vt ipſa ait) *potentias antea*

*teà quaſi ligatas & abſorptas ſoluens Deus, ineffabilia eis repræſentat myſteria. In illa,* inquit, *manſione, in viſione intellectuali quadam veritatis ipſius repræſentatione, animæ ſanctiſsima Trinitas manifeſtatur per quamdam inflammationem, quæ primitus in intellectum deſcendit ad inſtar nubis lucidiſsimæ, ac ſupra quàm dici queat claræ, & per admirabilem notitiam, quæ tunc animæ communicatur, cum ſumma veritate cognoſcit omnes tres ſanctiſsimæ Trinitatis perſonas eſſe vnam eamdemque ſubſtantiam, vnam potentiam, vnam ſapientiam, ac denique vnum Deum, taliter vt ea quæ hic per fidem credimus, tunc anima quaſi intuitiuè (vt ita dicam) videat, etſi non oculis corporeis, cùm hæc viſio non ſit imaginaria. Tunc omnes tres perſonæ ſeſe animæ communicant, cum illa loquuntur, & illuminant eius intellectum, vt intelligat illa Euangelij verba: Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Hactenus S. Virgo Tereſia.

Aduerte, quàm conſultò & cautè rerũ ſpiritalium Virgo peritiſſima dixerit, *quaſi intuitiuè*, denotans, hanc Viſionem ac rerum altiſſimarum intellectualem contemplationem non eſſe omnino intuitiuam, ſed quaſi intuitiuam; ſignificans eſſe mediam ſanctiſſimæ Trinitatis cognitionem inter abſtractiuam & intuitiuam: nam tunc anima nec omnino viatrix dicitur, quia Deum ipſum apprehendit & poſſidet, quamuis non omnino, ſed voluntatis actu tantùm: nec omnino dicitur eſſe in termino, quia adhuc oculus intellectus caligat, nec Deum ſicut eſt perſpectè poteſt intueri. Quod quidem genus viſionis aliis eminentiſſimum indicauit S. Thomas 1. 2. q. 98. artic. 3. ad 2. vbi exponens illam viſionem Exod. 23. qua dicitur Moyſes Deum facie ad faciem vidiſſe, *Per viſionem*, inquit, *faciei, intelligitur eminens quadam*

*dam contemplatio infra eſſentiæ diuinæ viſionem.* Hæc D. Thomas. Quibus non obſcurè ſignificat, dari contemplationem diuinæ & claræ Dei viſioni immediatam, altiorem quidem & nobiliorem illâ, quæ ab habituali dono Sapientiæ ſiue gratia dimanat, eſſeque quaſi cognitionem mediam inter beatam viſionem, & fidei cognitionem; quam ſanè mediam contemplationem docuit Dionyſius Carthuſianus in Act. Apoſtol. cap. 7. in illa verba, *Vidit gloriam Dei.* Hanc inquit cognitionem mediam fieri per ſplendidiſſimam quamdam irradiationem increatæ lucis in apice intellectus. Nec mirum videri debet, quòd qui medius in hac vnione inter comprehenſores & viatores, (vtpote qui ex parte voluntatis comprehendit intellectu remanente infra Dei claram notitiam, ac velut in ſpeculo Deum contemplante) media viſione inter claram & omnino obſcuram gaudere dicatur.

Qualis verò ſit iſta lux increata irradians apicem intellectus, non erit difficile explicare, quamuis multi multùm in ea re fuerint defatigati. Imprimis exiſtimo hoc lumen immediatè eſſe non à dono Sapientiæ, ſeu aliqua creata gratia, ſed ab ipſomet Deo immediatè procedere; imò, vt apertè docet Dionyſius Carthuſianus, eſſe ipſam increatam lucem, intellectus verticem tangentem. Nam cùm in hac vnione Deus illabatur voluntati, illique ſit omnino præſens, mutuo ſe amore vnitiuo Deus & anima complectentes (quæ quidem eſt altior & eminentior coniunctio, quæ in hac & futura vita poteſt ipſi voluntati contingere) ad diuinam quidem prouidentiam ſpectare videtur, vt intellectus Deum ipſum voluntati vnitum, licet non facie ad faciem, ſaltem eminentiori modo in hac vita poſſibili Deum ipſum

Digitized by Google

ipſum intueatur. Quare cōſequens omnino videbatur, vt intellectus, ad eminentiſſimum illum ſtatum eleuatus, increata luce & à creaturis omnino independenti illuſtraretur. Henricus Harphius lib. 2. Myſt. Theol. c. 65. hoc lumen exiſtimat eſſe quoddam clarificatum medium inter Deum & amantem ſpiritum, in quo Deus ſe oſtendit non ſicut eſt in ſua ineffabili gloria, ſed iuxta modum collati luminis, quod quidem lumen tribuere intellectui verā cognitionem quòd Deum videat, ſicut in hac vita videri poteſt, pro comperto habet. Prætereà docet iſtud lumen eſſe quamdam immenſam claritatem, per quam Deus immediatè cognoſcitur in hac vita, non tamen clarè ſicut in gloria. Iſtud verò lumen datur in via per modum actus, ſiue tranſeuntis. Nam, vt rectè D. Thomas de Verit. q. 12. art. 1. ad 7. inquit, *illud eſt plenius & perfectius lumen quod datur per modum actus ſiue paſsionis, quàm illud quod per modum habitus infunditur; quia ex altitudine huius luminis actualis contingit, vt humana mens illud poſsidere non poſsit per modum habitus.* Quare ipſe Doctor Angelicus 2. 2. q. 171. art. 2. docet, lumen propheticum non ab habituali aliquo principio, ſed ab ipſo Deo immediatè profluere.

Præter lumen iſtud quod ſe tenet ex parte Dei, infunduntur etiam à Deo ſpecies intelligibiles altioris ordinis, repræſentantes obiecta intelligibilia altiori modo quàm ex creaturis viſibilibus coniici poſſit. De his ſpeciebus Harphius l. 2. Myſt. Theol. in hoc planè propoſito ſcribens, *Inde*, inquit, *ſpiritus hominis iam factus eſt tamquam viuidum ſpirituale ſpeculum, in quo Deus format ſpiritum veritatis, in quo & ipſe per plenitudinem gratiæ ſuæ inhabitat. Oſtendit etiam ſe Deus in illo ſpeculo viuido, non*

*ſicut eſt in ſua eſſentia, ſed in eminentiſsimis & nobiliſsimis imaginibus ac ſimilitudinibus, adeò vt illuminatus ſubleuatuſque intellectus, ſine omni errore clarè cognoſcat in imaginibus intellectualibus omnia, quæcumque audire potuit de Deo, de fide, & de omni occulta veritate; videlicet quomodo Deus eſt ſumma maieſtas, veritas, bonitas, ſapientia, miſericordia, iuſtitia, & amor. Deinde, quomodo ſit differentia perſonarum, & quòd vnaquaque perſona eſt Deus omnipotens. Cognoſcit etiam vnitatem diuinæ naturæ in SS. Trinitate, & Trinitatem in naturæ vnitate, & vnamquamque perſonam eſſe Deum in vnitate eſſentiæ. Agnoſcit etiam, eſſe fecunditatem in diuina natura, & ſimplicem otioſitatem in eius eſſentia: quia intellectus ita ſubleuatus & clarificatus ſpiritu veritatis, Deum videt in proprio ſpeculo in tam multis modis, formis, & imaginibus, ſicut excogitare poteſt, aut videre deſiderat. Nihilominùs tamen intellectus eleuatus ſemper inclinatur ad videndum quid ſit Deus in ſeipſo. Quamquam verò imago Dei ſubleuato clarificatoque intellectui proponatur, tamen non poteſt eam comprehendere aut contemplari, propter immenſam claritatem, quâ intellectualis oculus reuerberatur & caligat.* Hactenus Harphius.

De hac etiam luce & ſublimi cognitione agens Carthuſianus de Fonte lucis, cap. 16. exponens illud Iob. 36. *In manibus Deus abſcondit lucem, & præcipit ei vt rurſus adueniat*, ita ſcribit: *Inſuper lucem contemplationis theoricè ac myſticè radium viſionis tenens Deus in manibus, eamdem lucem pulcherrimam radiantem ad libitum ſuum nunc pandit menti purgatæ & inſinuit, nunc retrahit & abſcondit.* Et infrà: *Cumque hanc lucem Omnipotens menti oſtenderit, mox mole magnitudinis ſuæ, actualitate & excellentia maieſtatis,*

per-

*perfectionis ac luciditatis ſuæ immenſæ mentem in momento, in ictu oculi, in puncto, ſic dulciter non violenter vincit & opprimit, vt ipſa defluat atque deficiat à ſeipſa, ac victa amore, ac ſtupens præ admiratione eius quam contemplatur maieſtatis ac claritatis immenſæ, præ Deitatis, quam cernit, delicioſiſſima ſerenitate, neſciat de ſeipſa. Sic quidem repentè tam validè illuſtratur ac inflammatur, vt prorſus ſuccumbens, vires & ſenſus corporales amittat. Tunc mens in increatæ lucis ſecretum inducta, in infinitæ lucis abyſſo demergitur, in æternæ felicitatis Oceano rapta deperditur, in amoris igne immenſi inuoluta comburitur, atque in ſuperuaſtiſſimæ ac ſuperplaniſſimæ ſolitudinis impertranſibili & immenſa amplitudine ſecuriſſimè errat, feliciter deuiat, perdens ſeipſam, neſciens vbi vel quando.* Hæc ille. Et hęc de ſecundo gradu contemplationis.

*Tertius lucis & contemplationis conſequens diuinam Vnionem gradus.*

§. 4.

TRANSACTA hac diuina vnione, animaque ad ſeipſam, ecſtaſi ceſſante, reuerſâ ex gratiæ & lucis plenitudine, quam ibi vberrimè in ſuo fonte, vnionis tempore degustauit, diuina quædam claritas in intellectu remanet, eumque habituali ſuo ſplẽdore ſuauiter illuſtrat, adeò vt in cunctis virtutibus veram præſtet ac indicet diſcretionem. Huiuſmodi deinceps hominibus nulla eſt reuelatio neceſſaria, neque ſupra ſenſus rapi opus habent, quandoquidem vita, conuerſatio, & habitatio eorum ſupra ſenſus & inferiorem animæ portionem in ſpiritu agitur, vbi quidquid ſibi, vel eis, vel aliis neceſſarium eſt, Deus manifeſtè ſolet inſpirare.

Prætereà, quotieſcumq; volunt, celſiſſimam Dei

naturam & incomprehenſibiles illius proprietates illuminatis oculis facillimè contemplantur, & non rarò, pandente lumen Deo, quod in manibus abſconditum portat, ad diuinam vnionem percipiendam dulciſſimè rapiuntur. Creſcit etiam in his quotidie diuinũ illud à Deo infuſum lumen, & ad eius incrementum, mirabiliter quoque augetur amor, hacque ratione ſuauis fit circulus, cum ingenti amoris & lucis augmento. Plura dicemus inferiùs de ſplendore intellectus ac luce relicta, tranſacta hac diuina vnione, illius mirabiles effectus ampliori diſcurſu recenſentes.

Neque alienum ab ipſa veritate exiſtimo, puriſſimis aliquando mentibus in huius mortalitatis regione adhuc peregrinantibus ſcientiam, quam *per ſe infuſam* Theologi vocant, ſaltem his, quæ ſpirituale connubium ſiue matrimonium cum Deo contraxere, ab ipſo Deo, quoad actũ ſaltem, aliquando infundi. Quid vero ſit hæc ſcientia per ſe infuſa, & quid lumen & ſpecies per ſe infuſæ, tranſeunter & per modum actus, pleniùs lib 6. de Contempl. c. 6. pertractauimus. Quod quidem lumen infuſę ſcientiæ non ſolùm primo parenti, ſed & aliis Eccleſiæ Proceribus à Deo fuiſſe communicatum, vt probabilius & certius indicauimus. Recolenda ſunt ea, quæ ibi latiori ſermone diſputauimus.

## CAPVT XVII.

### *Ardentiſsimi amoris & delectationis affectus, qui in hoc diuino animæ cum Deo connubio exercentur.*

IN hoc ſecreto animæ cum Deo connubio, inter ceteras animæ potentias, voluntas ardentiſſimo amore flagrat, & quaſi conſumitur. Cùm enim ipſa Deum

Deum complectatur, maiores ceteris ex illo vberrimo fonte aquarum viuentium riuulos, nempe amoris & delectationis exhaurit. Intellectus (vt anteà diximus) per lucem increatam altiori & ſublimiori modo, quàm vmquam aliàs, non tamen clarè & diſtinctè, Deum ipſum percipit: voluntas verò in ipſo amoris & delectationis fonte ſapidiſſima diuinæ ſuauitatis fluenta degũſtat. Operæ tamen pretium erit, maioris claritatis gratiâ, huius diuini amoris, diuinam hanc vnionem concomitantis (ſicut anteà de luce fecimus) in tres gradus diuidere.

## *Primus gradus amoris ipſam diuinam Vnionem præcedens.*

§. I.

Hvivs ergo diuini amoris primus gradus contingit, cùm anima æſtuanti illo & impatienti amore, præ nimio ſponſi deſiderio, languet omnino. De quo plura ſcripſimus lib. 2. cap. 7. Ad hunc quidem amoris languorem liquefactio conſequitur, quæ videtur eſſe immediata, imò neceſſaria diſpoſitio ad amorem vnitiuum, vt eruditè Richardus de Amor. inſeparabil. cap. 4. docet. *Vt autem*, ait, *hac vnitiua virtute concurrere poſſint affectus amantiũ, cor amantis à ſe liquefieri neceſſe eſt, vt transfundi poſſit, & transformari, & in illum quem amat mutari, & vniri alteri, quemadmodum aqua ſtilla infuſa vino deficere à ſe tota videtur, dum alterius ſaporem induit & colorem.* Et paulò inferiùs: *Factum eſt* (*ait ille*) *cor meum tamquam cera liqueſcens. Res liqueſcendo mollitur, dilatatur, purgatur; & nunc hunc triplicem effectum conſidera in amore, qui verè ignis diuinus eſt corda reſoluens, purgans, & conflans in maſſam vnitatis, quemadmodum varia metalla ſo-*

*luta*

Digitized by Google

*luta igne concurrunt in vnum.* Et infrà: *Et vide tune fortè Propheta ſenſerit idipſum, qui cùm cor ſuum ceræ liqueſcenti comparaſſet, protinus adiunxit, In medio ventris mei. Liquidum ergo fuit, ſed extra ſe non effluebat. Solus effluit, qui ſic intendit aliis, vt ſibi non attendat. Videte, ait Apoſtolus, ne fortè perfluatis. Neque etiam neceſſe eſt, vt in his exceßibus, quibus humani ſpiritus latoſis ſenſibus diuino munere auelluntur, extra ſe eſſe dicamus; cùm Paulus in ſuo raptu, an in corpore, ac extra corpus fuerit, ſe dicat prorſus ignorare. Vbi ergo ſunt? inquis. In eo quod interius eſt ſui. Profundum eſt cor hominis, & inſcrutabile: homo enim ita ſecretus ſibi eſt, quòd ſolus ſuiipſius noſcat quod interius. Non ergo educuntur, ſed inducuntur ſpiritus in illo interiori cœnaculo, quodq́; & illuc clauſis ſeorſum ſenſuum oſtiis ſecuriùs ſecretiuſq́ue caſtißimo complexu conueniant cum dilecto, & ibi meliùs ſecum ſunt; & cùm ſic ibi ſunt ſimul, tutiùs ſe habent. Porrò cor liquefactum purgari neceſſe eſt, & ad purum excoqui, ſi quam habet ſcoriam, ipſo amore, qui ignis conſumens eſt, paleas ignorantiæ & delicta iuuentutis purgans, & purgatiſsimā animam faciens, diuino dignam coniugio, non habentem maculam neque rugam.* Hæc Richardus, qui cordis liquefactionem, dilatationem, & purgationem eſſe omnino neceſſariam, vt cor amantis transfundi poſſit, & in illum quem amat mutari, & vniri alteri oſtendit, non aliter quàm aquę ſtilla infuſa vino deficere à ſe tota videtur dum vino vnitur, & in illud transformatur, illius ſaporem & colorem induens.

Nec otioſum eſſe putes amorem in iſto primo gradu: nam miris amoris exercitiis ibi ſub vmbra expectans ſponſi aduentū, præcipuè verò quinque, quæ ſunt intrinſecæ & ardentiſſimę charitatis ſigna,

ful-

fulcitur. Primum, ſunt intima & profunda ſuſpiria, quæ quaſi quoſdã amoris nuntios, donec eam præſentia Dilecti viſitet & viſu reficiat, emittit. Secundum; ſunt alta deſideria, quibus ſurſum mens effertur, nec quieſcere poteſt donec ad locum ſuum, id eſt ad amatum, perueniat. Tertium, ſunt cogitationes languidæ; præ magnitudine enim amoris omnia temporalia, imò & ſpiritualia animæ faſtidium inferunt: ſolâ enim Dilecti præſentiâ poteſt eſſe contenta. Ex quo ſequitur quartum exercitium, quod nihil aliud eſt, quàm expectatio tædioſa: nam concurſus amoris impeditur vel retardatur, qualitercumque tota mens turbatur, & expectatione attædiatur. Amanti enim omnis mora nimis longa videtur, & quælibet expectatio oneroſa. Quintum exercitium in hoc ſtatu, ſunt affectiones ecſtaticæ: nam tunc potiùs eſt vbi amat, quàm vbi animat: amor enim ibi eſt ita efficax, vt vehementem tendentiam in rem amatam efficiat. Hæc amoris perfecti exercitia latiùs proſequitur D. Bonauentura Itiner. 4. æternit. diſt. 4. art 4 & quia pleniùs de hoc amore diuinam Vnionem antecedente prædicto c. 7. & alibi ſæpè ſcripſimus, ad ſecundum amoris gradum properemus oportet.

*Secundus amoris gradus, in quo hæc feliciſſima vnio cum Deo conſiſtit.*

§. 2.

SECVNDVS verò amoris gradus ille dicitur, quando mens hominis tota liquefacta, in illam rapitur diuini luminis abyſſum, ac omnium penitùs & ſuiipſius oblita, tota in Deum ſuum tranſit. De hoc ſecundo amoris gradu, quem ſextum amoris actum vocat Dionyſius Carthuſianus de Fonte lucis, capi-

te

te 17. ait: Sextus actus & gradus eſt, à ſeipſo prorſus deficere atque defluere, ita vt taliter amans cum Apoſtolo fateatur: *Viuo iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Languorem namque mors conſequi ſolet. Itaque ſuperdulciſſimus ac ſuperpiiſſimus Deus ſe ab anima amoroſa cum tanto mœrore expectari, cum tanto deſiderio appeti cernens, cum ingenti dignatione ac mira liberalitate ad illam reuertitur, ad clariorem, quàm antè ſui contemplationem, ac calidiorem amorem erigens eam in tantum, vt ferre nequeat. Quemadmodum Ieremias Propheta cap. 20. teſtatur, *Factus eſt ſermo,* inquiens, *Domini in corde meo quaſi ignis æſtuans, & defeci ferre non ſuſtinens.* Et alius: *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.*

Raptus etenim & abſorptus, introductus & immerſus animus in diuitias gloriæ, in oceanum Deitatis immenſæ, præ admiratione incomprehenſibilis Maieſtatis & entis æterni prorſus independentis, nulliuſque indigentis, cuius nulla eſt cauſa, in cuius manu ſunt omnia, defluit prorſus ac deficit à ſeipſo, tranſitque totus in principium maieſtatis, in fontem luminis, & Deitatis abyſſum: conquieſcens atque obdormiens in dilecto, & aliud nihil aduertens, prædominante in ea intuitione caliginis, totúmque præoccupante ardore amoris. Quod vir ſanctus aduertens, *Inflammatum eſt cor meum,* inquit, *& renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui:* Pſal. 71. O quàm benè & optimè eſt tunc animæ amoroſę, quàm ſerena, quàm iucunda, quàm cæliformia ac tranquilla ſunt omnia tunc in ea! Vbi tunc nebulæ vitiorum, turbines paſſionum, inuolutiones phantaſmatum, varietates diſtractionum, inquietudo tentationum? nónne à præſentia Solis iu-

ſtitiæ,

ſtitiæ, à conſpectu & ardore atque fulgore Solis ſapientiæ fugiunt omnia illa? Hæc ille.

In hoc itaque gradu anima ſuo ſponſo feliciter vnitur, & fit in cælo ſilentium quaſi dimidia hora, & quidquid moleſtiæ anteà fuerat, abſorbetur à gloria. Hîc dum mens à ſe alienatur, dum in illam diuinam & arcanam vnionem rapitur, dum ab illo diuini amoris pelago vndique circumdatur, ac intimè penetratur, ſeipſam penitùs exuit, diuinum quemdam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in illam gloriam in Deum transformata tranſit. Sub hoc itaque ſtatu mens ſugit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, & ſub illo Diuinitatis montes (id eſt Deus ipſe animæ vnitus) ſtillant dulcedinem, & Deitatis colles fluunt lac & mel, ipſaque Domini gloria fœderis implet tabernaculum: ſic autem ſuam præſentiam infinitè amabilem exhibet, vt faciem ſuam minimè oſtendat; amorem & dulcorem infundit, ſed faciem ſuam & decorem ſuum non oſtendit: nondum enim in hac vita apparet in lumine, quamuis in amoris igne ſe manifeſtet: vnde in hoc gradu anima dilectum ſuum ipſam deoſculantem ſentire omnino poteſt, videre tamen non poteſt. Cogita igitur, quanta erit amoris magnitudo, qua Beati ex vnione ſuæ voluntatis cum ſummo bono fruuntur in gloria, quia ea quam iuſti in hac vita percipiunt, non multùm diſtat ab illa: licet enim anima Deum non videat, dicitur tamen viuere cum Deo, viuere de Deo, eſſe in Deo, & Deus in ipſa, qui eſt omnia in omnibus: dicitur etiam habere & poſſidere Deum, qui eſt ſummum bonum; & vbi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma felicitas, ibi vera lætitia, licet non omnino plenè, dum peregrinamur à Domino.

Et

Digitized by Google

Et huic quidem inchoatę beatitudini iure congruere poſſunt carmina illa, quæ Hugo Victorinus libro 1. de Anima cap. 4. in laudem æternæ vitæ compoſuit:

*Eſt ibi pax, pietas, bonitas, virtus, & honeſtas,*
*Gaudia, lætitia, dulcedo, vita perennis,*
*Gloria, lux, requies, amor, & concordia dulcis.*

Hæc omnia reperiuntur in iſto ſpirituali Dei & animæ matrimonio: cuius quidem thalami nuptialis conditiones, in quo nobiliſſimum iſtud animæ cum Deo connubium celebratur, aptiſſimè præſcripſit Laurentius Iuſtinianus in lib. de Caſto connubio, cap. 25. dicens: *Thalamus quidem nuptialis eſt, in quo caſta Verbi & animæ connubia conſummantur, & tamquam in ſede propria ſuauiter reſidet ſapientia. In eum non audent irrumpere aduerſarij propter Angelorum cuſtodiam vigilem, à ſponſi inhabitantis velut à facie gladij fugiunt aſpectu. Ibi iuge celebratur conuiuium, & vitulus comeditur ſæpiſſimè ſaginatus. Pax in illo guſtatur interna, ſecura tranquillitas, tranquilla felicitas, iucunditas magna, fides ſerena, amabilis ſocietas, oſcula vnitatis, contemplationis delectatio, ſuauitas in Spiritu ſancto; ibi cœli ianua eſt, & paradiſi porta. Sponſa frequenter de thalamo adſcendit in cœlum, & de cœlo iugiter ſponſus deſcendit in thalamum. Non pauida, non de ſalute incerta ingreditur ſponſa in ſupernorum manſiones, ſed tamquam in dilecti domum & in propriam poſſeſſionem. Vt enim emeret illam, vendidit ſua, & tradidit egenis. Vt illam lucraretur, pugnauit cum tentationibus, pugnauit cum ſpiritibus nequam, quotidieq́ue pugnat contra ſe. Non temerariè, ſed confidenter intrat in atria ſponſi. Nam etſi aliàs aduena fuerit ſanctæ illius ciuitatis, nunc verò ciuis facta eſt*

San-

*Sanctorum, & ſponſa Verbi, cui ex amoris priuilegio, omnia quæ ſunt ſponſi debentur. Amor quippe verus nihil priuatum habet, nihil proprium, ſua ſeque gratanter impertitur; ea quoque lege, ea charitate qua largitur propria, vtitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia, tanta eſt inter Verbum & animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconſideratio. Numquam præſumeret anima, quamuis munda, quamuis ſancta, accedere ad Verbum, loqui illi, importuniſque petitionibus inuincibilem vincere, ſi non interueniret amor.* Et infrà: *Poſtquam fidelis anima connubij vinculo Verbo ſociata eſt, innouata ſunt ſigna, prodigia immutata, & antiqua reſtaurata miracula. Dum Sapientia ex Altiſsimi ore prodiens, in montibus ſaliens, colleſque tranſiliens, humanæ illabitur menti non receſſura; ſed ibidem perpetuò moratura. Meritò igitur pro tanti laude connubij obſeruanda eſt dies & hora, quando Verbum ingreditur in mentis thalamum, & vnà cum ſponſa grata captat ſecreta ſilentij. Clanculò quidem diffundi ſunt vernantes flores, conuallium lilia, & roſarum odoramenta, vt thalamus omnis ſuauiter redoleat. Tunc Prophetarum cuneus ſancto feruentium Spiritu aduocandus eſt, vnà cum Patribus omnibus Teſtamenti veteris: vniuerſi quoque nouæ Legis Sancti, & præcipuè Virginum ſacratus numerus inuitandus eſt, vt conſona modulatione epithalamij huius efferant præconia: ipſa etiam Angelorum & Archangelorum, ceterorumque beatorum ſpirituum agmina, necnon & cantores omnes atque cantatrices cæleſtis Ieruſalem & curiæ paradiſi exhortandi ſunt, ita vt ipſorum nullus remaneat, qui venerandi connubij non ſeruet excubias. Reſonent ibi organa, & vox ſambucæ ac pſalterij beneſonantis, ſonus exultationis, iubilationis ac laudis per*

*vniuerſum audiatur orbem. Aſcendat nubium altitudinem, tranſcendat alta cælorum, & ad aures vſque perueniat Domini exercituum, illique immenſas referat gratiarum actiones pro tanti dignatione myſterij, tamque exuberantiſſima Vnigeniti ſui charitate: omnis quippe laus, omnis honor & gloria exigua eſt tanti reſpectu connubij.* Hæc ille.

In hoc etiam gradu aliquando præ amoris & voluptatis magnitudine cor ipſum dilatatur, & apertis poris ac patentibus quaſi rumpitur. Vnde, licet amor boni non ſit paſſio quæ læſionem inferat, ex vehementiori tamen intenſione ſua corpus etiam lædit, ipſumque ſauciat; vnde cor in illa expanſione læditur quidem, ſed abſque mœrore: hæc enim eſt dulciſſima quædam paſſio, qua cor ipſum affici mirabiliter concupiſcit. Solet tamen adeò ſuauiſſima hæc læſio ingraueſcere, vt mortem quoque feliciſſimã inferre conſueuerit: inualeſcit enim amoris impetus, & cor ex ardenti illo deſiderio Dei tantum angitur, vt paſſioni ſuccumbat. Quod quidem fauſtæ mortis genus beatiſſima Virgo Maria tuliſſe videtur: quin & ipſa quoque S. Virgo Tereſia (vt Epiſcopus Tarraconenſis in eius Vita refert) illud idem nacta fuiſſe videtur, quemadmodum ipſa poſt ſuum è vita diſceſſum apertè manifeſtauit. Similis certè fuit obitus, quo quidam miles interiit, qui pluribus Terræ ſanctæ locis deuotè perluſtratis, in locum denique ſuaui Ieſu Chriſti memoria maximè celebrem aſcendens, tanto amoris igne medullitus flagrauit, adeoque ſubtili cordis læſione ſauciatus fuit, vt ex ipſa amoris intenſiſſimi violentia animam feliciter efflauerit.

*Ter-*

Digitized by Google

## *Tertius amoris & lucis tranſacta Vnione gradus.*

§. 3.

TRANSACTO hoc ineffabili & iucundiſſimo animæ cum Deo connubio, quod quidem breuiſſimo tempore, & forſan vix ad horam perdurat (vt Patres communiter fatentur, & S. Virgo Tereſia lib. ſuæ Vitæ cap. 18. ſcribit) mirabiles amoris & lucis, aliarumque virtutum affectus in animam deriuantur. Iam anima, quæ in cella vinaria anteà fuerat ebria, ſobria egreditur, cæleſtibus tamen diuitiis, ac gemmis pretioſiſſimis tam lucis quàm amoris condecorata. Licet enim amor ille fruitiuus, illa actualis vnio, & diuinus cum Deo nexus ceſſauerint; manet tamen adhuc in voluntate, illa elapſa ebria vnione, alia quædam vnio (non minùs nobilis ebriâ illâ) quæ ſobria dicitur.

Cùm igitur anima in ſuperiori amoris gradu diuino amore ſuccenſa, in Deum fuerit transformata, ex illo igne diuino (de quo loquens Ieremias cap. 1. Thren. *Immiſit*, inquit, *ignem in oſſibus meis, & erudiuit me*) maximus planè charitatis ardor in voluntatem, ac intelligentiæ lumen in intellectum dimanant, qui quidem ardor charitatis eam tranquillo quodam & quieto amore delectabiliter afficit, nec erumpit vt antè impatiens & æſtuans amor efficiebat, ſed potiùs eſt omnino ſilens, purus & perfectè defæcatus vel excoctus ad inſtar olei, quod ampliùs non ſupereffluit, cùm fuerit ſufficienter ebullitum. Hic amor nobilior eſt alio, ſicut aurum terrâ; & ſubtilior, ſicut aër aquâ, qui continuò trahit animam ad iugem & ſupereminentem cum Deo vnionem. Calor autem huius amoris tam efficax eſt & penetrans,



Digitized by Google

vt oſſium medullas ac totum hominem conſumere, & quaſi ignitum carbonem in immenſum illum diuini amoris ignem trahere & transformare videatur.

Iſte verò ardentiſſimus amor, tranſacta illa fruitiua vnione, quaſi per modum habitus voluntati à Deo conceditur; manet enim in anima omnino radicatus: neque ſicut ille prior, citò pertranſit, ſed continuò potiùs ac perenniter à voluntate diuini amoris incendio ignita profluit, qui animam in hoc ſtatu ad diuinæ voluntatis nutum facilè applicat & accommodat. in qua quidem plena conformitate Chriſtianæ perfectionis ſumma conſiſtit. De huius verò gradus ardenti charitate, ceteriſque virtutibus, præclarè Richardus de Gradibus violentæ charit. ſcripſit, dicens:

Cùm igitur anima in hunc modum diuino igne fuerit decocta, medullitus emollita, penituſque liquefacta, quid iam ſupererit, niſi vt proponatur ei, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, atque perfecta, quaſi quædam ad quam informetur conſummatæ virtutis formula? Sicut enim excluſores liquefactis metallis, propoſitiſque formulis, quamlibet imaginem pro voluntatis arbitrio excludunt, & vaſa quælibet iuxta modum congruum formamque deſtinatam producunt; ſic anima in hoc eſſe ad omnem voluntatis diuinæ nutũ facilè ſe applicat, imò ſpontaneo quodam deſiderio ad omne eius arbitrium ſeipſam accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modũ, omnem voluntatem ſuam informat. Et ſicut metallum liquefactum quocumque ei via aperitur, facilè ad inferiora currendo delabitur: ſic anima in hoc eſſe ad omnem obedientiam ſe humiliat, & ad omnem humilitatem iuxta diuinæ volun-

tatis

tatis ordinem inclinat. In hoc itaque ſtatu animæ eiuſmodi præponitur forma voluntati Chriſti: vnde & dicitur ei ad Philip. 2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit autem ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc eſt forma humilitatis Chriſti, ad quam conformare ſe debet, quiſquis ſupernum conſummatæ charitatis gradum attingere volet.

Et infrà: Qui igitur in hoc gradu eſt, veraciter dicere poteſt: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Incipit ergo in nouitate vitæ ambulare, qui eiuſmodi eſt, quia de reliquo ſibi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Coarctatur ſanè è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto: multò enim meliùs permanere in carne neceſſarium ducit propter nos; charitas enim Chriſti vrget eum. Fit igitur noua creatura, qui huiuſmodi eſt; vetera tranſierunt, & ecce noua facta ſunt omnia, in tertio enim gradu mortificatus, in quarto quaſi reſurgēs è mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur; quod enim viuit, viuit Deo. Secundùm aliquem igitur modum anima in hoc gradu efficitur immortalis & impaſſibilis: quomodo enim mortalis eſt, ſi mori non poteſt? ſcimus ſatis cuius ſit iſta ſentētia, *Ego ſum via, veritas, & vita:* Ioan. 14. Quomodo ergo mori poteſt, qui ab illis ſeparari non poteſt? *Certus ſum,* inquit Apoſtolus Rom. 8. *quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque*

*altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Nónne ille ſecundùm aliquem modum impaſſibilis videri poſſit, qui illata damna non ſentit, qui ſemper ad omnem iniuriam hilareſcit, & quidquid infertur ad pœnam, totum præſumit ad gloriam, iuxta illam Apoſtoli ſententiam 2. Corinth. 12. *Libenter gloriabor*, inquit, *in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* quaſi enim impaſſibilis manet, cui in paſſionibus & contumeliis pro Chriſto complacet. *Propter quod complaceo mihi*, inquit, *in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Qui in hoc gradu eſt, dicere fidenter poteſt: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, eò quòd ſciat ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati. In hoc gradu *charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* In hoc gradu *charitas benigna eſt, patiens eſt, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt.*

Et paucis interiectis, poſtquã de amore & transformatione in Chriſtum & patiendi deſiderio dixerat, de ardentiſſimo quo feruntur erga proximum amore, addit, dicens: Qui ad hunc charitatis gradum aſcendit, abſque dubio in hoc gradu amoris eſt, qui veraciter dicere poteſt: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Denique cupit anathema fieri à Chriſto pro fratribus ſuis, qui eiuſmodi eſt. Quid ergo dicemus: nónne hic amoris gradus videtur animum hominis quaſi in amentiam vertere, dum non ſinit eum in ſua æmulatione modum menſurámve tenere? Nónne ſummę amentiæ videtur eſſe, veram vitam repellere, ſummam ſapientiam arguere, omni ſapientiæ reſiſtere? nónne vitam repellit, qui pro fratribus à Chriſto ſeparari cupit,

cupit, ſicut & ille qui dixit Exod. 32. *Aut ignoſce illis hanc noxam, aut dele me de libro quem ſcripſiſti?* Nónne ſapientiam arguere, ſeu docere velle videtur, qui ad Dominum loquitur Gen. 18. *Abſit a te, vt hanc rem facias, & occidas cum impio iuſtum, fiatque iuſtus ſicut impius: non eſt tuum hoc, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium.* Nónne omnipotentiæ reſiſtere tentauit, Omnipotentiſque iram mitigare homo præſumpſit atque præualuit, quando iam egreſſa ſententia à Domino, quando iam ſæuiente incendio, igni furenti homo ſe obiecit, & timentes ac morientes medius inter ſtetit, neceſſitatique finem impoſuit? Ecce in quantam præſumptiònis audaciam conſummatio charitatis ſolet méntem hominis erigere! Ecce quomodo facit hominem vltrà hominem præſumere! Sic enim totum plus eſt quàm humanum quod de Domino præſumit, quod pro Domino agit, quod in Domino agit, quod pro Domino viuit: totum mirum, totum ſtupendum. Quantum præſumit de Domino, tantum ſe deiicit pro Domino: quantum aſcendit per præſumptionem, tantum deſcendit per humiliationem; ſicut ſupra hominem eſt quò aſcendit per fiduciam, ſic vltra hominem eſt quò deſcendit per patientiam. Hactenus Richardus.

Præterea, teſte Carthuſiano de Fonte lucis, capite 15. ex iſto procedit amore gloriatio in aduerſis, caſtigatio carnis, cuſtodia cordis, humiliatio mentis, deſpectio terrenorum, deſiderium æternorum, & omnis actus virtutum. Cumque amor priuatus omnium ſit radix vitiorum, conſtat quòd eo euulſo, cuncta eradicentur peccata. Quo facto, inſunt cordi interna munditia, & charitas Dei pura, fortis, fixa ac feruida, ſicque ad omne bonum & illuminatio-

nes altiſſimas ac frequentes & quaſi continuas, ad inflammationes æſtuantiſſimas, ad transformationem Deificam, ad raptum, ad ecſtaſim, ad exercitationem ſecretiſſimam, tranquillationẽ dulciſſimam, imò ad vitam Angelis proximam eſt anima tum diſpoſita, ſtatque velut in contactu continuo Solis æterni, Solis iuſtitiæ, Solis ſapientiæ infinitæ, vt exuberantiſſimè ac indeſinenter illuſtretur, caleſiat, penetretur, impleatur, ac inundetur ab illo, & inſtar ſpeculi terſi, peruij & politi, luminoſi atque clariſſimi obiecta, ſubſtrata, ac applicata eſt ſuperlucidiſſimo Soli immenſo. Idcircò non ceſſat Sol ille liberaliſſimus ſtillicidia gratiæ, fluenta ſapientiæ, charitatis ſcintillas in illam diffundere. Hæc ille.

Huiuſmodi quidem animæ (quæ verè rariſſimæ ſunt) Eccleſiæ ſunt baſes & firmiſſimæ columnæ; hæ ſuis ardentiſſimis precibus & clamoribus Dei iuſtiſſimæ in peccatores iræ orationis & fidei ſcuto reſiſtunt: hæ prætereà ſunt, quæ à Deo ſæpiſſimè ad heroica pro communi Eccleſię bono præſtanda opera eliguntur. Sic S. Auguſtinus, S. Benedictus, S. Franciſcus, ſancta Mater noſtra Tereſia, ac ſanctus Ignatius mirabili diſcretione & ſanctitate conſpicuus, aliique Eccleſiæ Proceres, qui & vitæ ſanctitate & doctrina vniuerſam Eccleſiam illuſtrarunt.

De hoc autem tertio amoris ſeu vnionis gradu quamplurima ſcitu digniſſima apud ſanctam Tereſiam Matrem noſtram in libro Manſionum capit. 1. 2. & 3. reperies.



Digitized by Google

## CAPVT XVIII.

### *Proponuntur ac ſoluuntur dubitationes aliquæ, circa prædictas intellectus & voluntatis operationes in hac diuina Vnione interuenientes.*

PRIMO quæri poteſt, Quid ſibi velit modus ille communis loquendi Myſticorum (quo etiam ſancta Tereſia in lib. ſuæ Vitæ c. 15. 16. & 18. agens de operatione potentiarum, quæ ad iſtam concurrunt vnionem, ſæpè vtitur) aſſerentes, aliquando in iſta Vnione omnes animæ potentias eſſe Deo vnitas, aliquando verò tantùm voluntatem, aliquando demum intellectum & voluntatem imaginatione remanente iterùm libera.

Secundò dubitari poteſt, Qua ratione voluntas vltra intellectus operationem, illam ingrediatur caliginem, manente foris (vt Myſtici loquuntur) operatione intellectus; cùm voluntas eius ſit naturæ, vt non poſſit quidquam amare, niſi illud priùs ſit cognitum ab intellectu.

Tertiò adhuc reſtat inquirendum, Qua ratione iſta intellectus operatio vnionem ipſam conſequens dicatur Myſtica Theologia ſiue contemplatio diuinæ caliginis.

Quartò, Videtur valdè difficile, concedere illapſum diuinum in voluntatem, ſine hoc, quòd iſte illapſus priùs fiat in intellectu, ſicut de facto contingit in gloria.

Quintò, An intellectus in hac Vnione obiectiuè, & quoad eſſentialia ſeu propria Dei, ipſum ſaltem obſcurè cognoſcat.

Sextò, An in illa contemplatione altiſſima intellectus, qua Deum tempore fruitiuæ vnionis per in-



Digitized by Google

comprehenſibilitatis ſpeciem lumine à Deo infuſo intuetur, vel quando Dei prouidentia ſoluitur, vt ſuperiùs annotauimus, vt diuina aliqua myſteria ſibi reuelata per ſpecies intelligibiles à Deo ſibi infuſas cognoſcat: an, inquam, hoc totum contingat ſine vlla intellectus ad phantaſmata conuerſione.

Septimò, An iſta Vnio fruitiua poſſit aliquando ſine ecſtaſi contingere.

Octauò, Quibus circumſtantiis anima, quæ diuinam hanc Vnionem in ecſtaſi paſſa eſt, poſſit diſcernere ſe verè Deo immediatè fuiſſe vnitam, maximè cùm ſit alia Vnio amoris etiam ecſtatica, vt cap. 5. & 12. huius libri annotauimus, in qua anima tota extra ſenſus poſita, etiam in Deum transformatur.

Nonò, An in iſta vnione anima certior fiat de ſua gratia, & an reddatur ſecura de ſua acceptatione ad gloriam.

Decimò & vltimò, An vnionis fruitiuæ tempore mens ſit omnino libera, ita vt tunc temporis poſſit aliquid mereri.

Ad PRIMAM OBIECTIONEM reſpondetur, duplicem eſſe hanc actualem & fruitiuam vnionem. Alteram, in qua omnes potentiæ animæ ſimul cum voluntate abſorbentur, & vniuntur & quaſi ligantur cum ipſo Deo voluntati illapſo: & tunc omnes animæ ſuperiores potentiæ dicuntur eſſe vnitæ, quia ita ſunt actuatæ circa propria obiecta, vt nulla ratione poſſint tunc actum ſuſpendere, vel in aliud obiectum tendere, nec vllo modo ſe reflectere ſupra propriam operationem. Præ nimia enim amoris & ſuauitatis vehementia, quam voluntas ex Dei illapſu & deoſculatione percipit, tanta amoris vi & impetu Deo ipſi vnitur & coniungitur,

vt

vt tota extra ſe in Deum rapta, vnita & abſorpta maneat. Idem etiam præ magnitudine diuinæ lucis ſplendoris intellectus, & memoria tota Deo ſtabilita, ſerena & tranquilla, nullis phantaſmatum nubibus obſcurata, ſuſpenduntur, & à nobilitate obiecti præſentis abſorbentur. Imaginatio verò tunc temporis non ſolùm ſuſpenditur, ſed omnino cum ceteris ſenſibus externis conſopita manet, aliter quidem quàm potentiæ ſuperiores; nam illæ tunc temporis proprias exercent, imò nobiliſſimas operationes amoris, fruitionis, & diuiniſſimæ cognitionis: imaginatio verò ceterique externi ſenſus, propriis actibus deſtituuntur: nec enim animalis iſta portio capax videtur, vt ad montis verticem cum Moyſe conſcendat, ſed potiùs ad radicem montis conſtituta, ibi expectet aliquas phantaſmatum micas ex illo conuiuio decidentes, vt ſaltem obſcurè aliquid ex eo percipiat. Quando autem potentiæ ſuperiores ita ſunt actuatæ (vt nuper diximus) circa ſua obiecta, tunc verè Myſtici dicere ſolent potentias omnes eſſe vnitas, ſiue deperditas, ſiue abſorptas: quia licet nobiliſſimo modo ſua obiecta percipiant, ita tamen ſunt circa ea actuatæ, & earum operationes intenſæ, vt nulla ratione liberæ remaneant, neque quoad exercitium actus, neque quoad ſpecificationem obiecti, non aliter ac in gloria contingere communis tenet Theologorum ſententia. Et hæc dicitur perfecta vnio, vbi potentiæ omnes prædicto modo Deo vniuntur.

Alter vnionis modus contingit, cùm præcedente iſta vnione totali, Deo permittente, ſoluitur aliqua potentia: nam licet intellectus immobiliter ſimul cum voluntate Deo adhæreat, memoria verò, vt S. Mater Tereſia teſtatur cap. 17. ſuæ Vitæ, aliquando

do ſoluitur, & ſimul cum imaginatione ſatagit intellectum & voluntatem turbare, & ab illo feliciſſimo ſomno eas potentias excitare, ſed interim à diuino ſponſo à ſuis conatibus deterrentur ipſis præcipiente, *Nolite ſuſcitare dilectam, neque euigilare illam faciatis*, Cant. 8. Breui autem tempore iterùm memoria cum aliis vnitur ac abſorbetur, & vi aliarum potentiarum, quæ Deo tenaciſſimè adhærent, ad earum trahitur conſortium.

Solent etiam aliquando ſolui potentiæ ſuperiores, intellectus ſcilicet & memoria, Deo ſic agente, vt illam ineffabilem vnionis gratiam ſibi à Deo tunc conceſſam percipere poſſint, ac alia diuina myſteria ſibi à Deo reuelata cognoſcere, vt latiùs capite 13. §. 2. diximus: & tunc ſola voluntas dicitur Deo vnita.

Ad SECVNDAM OBIECTIONEM facilis eſt ſolutio: nam vt ſæpè, maximè cap. 10. Obſeruat. 5. in ſuperioribus capitibus ex mente D. Thomæ docuimus, plus amat voluntas, hoc eſt intenſiùs ac feruentiùs, quàm intellectus cognoſcat: ſpeciatim verò in hac myſtica vnione, quod quidem ingenuè fatentur grauiſſimi Theologi. D. Bonauentura ſecutus D. Bernardum, Abbatem Vercellenſem, Lincolnienſem, & Hugonem, vt ibi Obſeruat. 5. prænotauimus. Cõtingit enim voluntatem vltra intellectus cognitionem progredi, licet præeat actus intellectus, vt pleniùs prædicto cap. 10. huius libri obſeruauimus.

Ad TERTIAM OBIECTIONEM vt reſpondeamus, meminiſſe opus eſt (quod ſæpè etiam in ſuperioribus prædiximus) duplicem intellectus operationem in hac diuina vnione interuenire: alteram, quæ ipſam antecedit, de qua plura in cap.

De

De intellectus operationibus,§.1.diſputauimus:alteram, quæ ipſam vnionem concomitatur, ſiue (vt veriùs dicam) ſubſequitur;& tunc,vt ibi §.2. dicebamus, intellectus ab illa abſorptione diuinâ gratiâ abſolutus, in eo ſtatu anima altiorem de Deo aſſequitur cognitionem, quàm vnquam aliàs habuerit: nam tunc intellectus ex guſtu & vnione voluntatis cum Deo factus perſpicacior,notitiam Dei cõcipit multò quàm antè clariorem & nobiliorem. Ibi enim intellectus à voluntate iuuatur, vt perfectiorem, quam priùs neſciebat, Dei cognitionem acquirat: nam in eo ſtatu ſapidam notitiam de Deo aſſecutus,eruditior effectus,& plura & altiora cognoſcit, quàm anteà per reuelationes aut viſiones didicerat. Videtur enim ibi Deus ab intellectu ineffabili modo, effulgetque in intellectu (qui quaſi inferiùs remanſerat) clariſſima & veriſſima Dei cognitio, vt pleniùs in ſecundo gradu lucis ſuperiùs explicauimus; quæ quidem cognitio Myſtica Theologia nuncupatur, ob rationem quam ibi attulimus.

Ad QVARTAM OBIECTIONEM ſolutio eſt facilis ex his quæ diximus ſuperiùs, vbi explicauimus qua ratione poſſit contingere illapſus Dei in voluntatem, abſque eo quòd ſimilis illapſus contingat intellectui.

Ad QVINTAM OBIECTIONEM reſpondeo, intellectum in hac ſupereminenti contemplatione obiectiuè, & quoad eſſentialia, non quantum ad quid eſt, ſed quoad quia eſt,non diſtinctè & clarè, ſed obſcurè & imperfectè poſſe Deum in hac vita cognoſcere, præcipuè in hac Myſticæ Theologiæ contemplatione, hoc eſt illa altiſſima contemplatione, quæ diuinam vnionem conſequitur, vt præ-

præclarè docet Dionyſius Carthuſianus in Commentariis Myſtic. Theolog. c. 9. vbi ſecutus D. Bonauenturam & Gerſonem, multis hinc inde allatis argumentis docet, in hac contemplatione Deum obiectiuè cognoſci, non tamen quid eſt, ſed quia eſt, & per appropinquationem grandem ad notitiam quidditatis: vbi inter alia duo potiſſimùm docet. Primum, Deum in hac contemplatione cognoſci ab intellectu obiectiuè & immediatè, ita quòd non eſt medium per quod in ratione obiecti, eſt tamen medium per quod in ratione ſpeciei intelligibilis; quia per formas ſimilitudineſque creatas, & non clarè in ſeipſo cognoſcitur. Hæc ille. Nec enim vlla eſt implicatio, quòd Deus immediatè & obiectiuè per aliquam ſpeciem creatam repræſentetur noſtro intellectui, vt eum cognoſcat cognitione obſcura, & quantum ad quia eſt. In qua cognitione, vt D. Thomas ſcripſit in Boëtium de Trinitate, ſunt gradus. Supremus autem gradus erit, quando cognoſcitur res non ſolùm quia eſt, ſed etiam quid eſt, aut perfectè, aut confusè ſiue in genere. Quare cognitio quia eſt eò erit perfectior, quò magis fuerit coniuncta cum cognitione quid eſt. Rurſum cognitio quid eſt, eſt duplex. Prima, quando cognoſcimus rem ſecundùm prædicata generalia; vt cùm de homine cognoſcimus eſſe animal: Secunda, quando cognoſcimus per prædicata ſpecialia; vt cùm hominem cognoſcimus per ſuam definitionem. Deum igitur in hac contemplatione Myſticæ Theologiæ cognoſcimus, non ſolùm quantum ad quia eſt, ſed etiam quantum ad quid eſt, ſi loquamur de cognitione quidditatiua vniuerſali ac confuſa, ac proinde per magnam appropinquationem ad cognitionem quidditatiuam perfectam: eſt enim iſta cognitio altiſſima,

tiſſima, clariſſima, perfectiſſima, ac profundiſſima Deitatis contemplatio, notitia & viſio huic vitæ poſſibilis, vt magnus Dionyſius & eius Expoſitores teſtantur.

Secundum, quod docet Dionyſius Carthuſianus loco vt ſuprà, illud erat, hanc contemplationem propriè non eſſe cognitionem intuitiuam, ſi per intuitiuam intelligatur ea cognitio, qua res in ſeipſa, & quoad ſuam quidditatem perfectè cognoſcitur. Si autem intuitiua cognitio latiùs accipiatur pro ea cognitione, qua obiectiuè res cognoſcitur, & quoad eſſentialia ſeu propria ſibi, quamuis non clarè ac diſtinctè ſecundùm quod in ſe ipſa eſt, tunc etiam in hac contemplatione Deus intuitiuè & quoad quia eſt cognoſcitur, non verò quoad quid eſt, niſi valdè obſcurè & imperfectè.

Ad SEXTAM OBIECTIONEM, omiſſis his quæ lib. 5. de Contempl. cap. 1. & 2. diſputauimus, breuiter reſpondemus, Quòd (ſi ſecundùm communem naturæ ordinem loquamur) intellectus noſter ſine imaginationis cooperatione nihil omnino intelligere valet, eò quòd pro hoc ſtatu intellectus noſter in ſua cognitione naturaliter pendeat à phantaſia ſeu imaginatione, tamquam ab excitante, vel tamquam à potentia neceſſariò concomitante operationem intellectus pro hoc ſtatu (& in hoc ſenſu locuti ſunt Ariſtoteles, D. Thomas, ceterique Philoſophi:) tamen ſi ſermo ſit de animabus illis perfectiſſimis, quæ aliquando diuina dignatione ad ſupernaturalem & plenè Angelicam contemplationem à Deo ſubleuantur, tunc non eſt dubium eas ita abſtrahi ab omni corporea ſimilitudine, vt ſine vlla phantaſmatum adumbratione, vel ſaltem imperceptibili purè & nudè ſuperna ac diuina con-

tem-

templari poſſint, vt ex Patribus ibi citatis non obſcurè colligitur. Plura diximus de hac re lib. 5. de Contemplatione, vt ſuprà.

Ad SEPTIMAM OBIECTIONEM ſolutio ſit, nulla ratione hanc fruitiuam vnionem poſſe ſine ecſtaſi contingere. Quare ex communi omnium Myſticorum conſenſu vocatur Vnio ecſtatica fruitiua. Prætereà Richardum Victorinum de Gradib. viol. charit. omnes ferè Doctores & Myſticæ Theologiæ magiſtri ſecuti, apertè docent, vnionem iſtam diuinam ad amorem, quem deficientem vocant, id eſt, in quo anima tota extra ſeipſam rapitur, alienatur, ac, vt ita dicam, emoritur, conſequi, quando mens hominis (vt Richardus loquitur) in illam rapitur diuini luminis abyſſum, ita vt humanus animus in hoc ſtatu omnium oblitus, penitùs neſciat ſeipſum, totuſque tranſeat in Deum ſuum. Et infrà: In hoc ſtatu, inquit, ſit in cælo ſilentium quaſi hora dimidia, & dum mens à ſeipſa alienatur, dum in illud diuini arcani ſecretum rapitur, ſeipſam penitùs exuit, diuinum quemdam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata, tota in aliam gloriam tranſit. Hæc Richardus, qui cap. 4. de Gradib. charit. huius rei eam affert rationem, vt in hac vnione clauſis ſeorſum ſenſuum oſtiis ſecuriùs ſecretiuſq; caſtiſſimo complexu anima conueniat cum dilecto. Nos verò præcipuam huius aſſertionis rationem exiſtimamus, quia non videtur poſſibile, quòd humana mens Deum diuino contactu ac ſuauiſſimo complexu percipiat, quin præ amoris & dulcedinis magnitudine ac intenſione inferiores potentias à ſuis obiectis auulſas omnino ſuſpendat, ac ad ſe trahat: nam cùm animæ vis ſit finita, nimia vnius potentiæ intenſione, ceteras in ſuis actionibus remitti neceſſe

neceſſe eſt. Vnde ad ingentem ac vehementem voluntatis ac intellectus actuationem omnino ſequitur ſenſuum externorum à propriis obiectis abſtractio, ac omnimoda alienatio, quæ propriè ecſtaſis ſiue raptus dicitur.

Ad OCTAVAM OBIECTIONEM exiſtimo, humanam mentem, hanc diuinam vnionem fruitiuam, in qua Deus ipſe immediatè percipitur & poſſidetur, etiam ſemel expertam, nulla ratione de perceptione iſtius vnionis poſſe dubitare. Nam cùm in hoc Deus ipſe interno tactu & amplexu percipiatur, ſentiatur, ac veluti palpetur; præterea cùm ex hoc diuino contactu innumerabiles diuitiæ & theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei in omnes animæ vires deriuentur; impoſſibile ferè videtur, aliquod dubitationis veſtigium in ea anima poſſe manere, maximè cùm Deus ipſe, qui tunc animam ſuam ſponſam amplecti & oſculari dignatus eſt, ei ineffabilem infundat certitudinem ſuæ realis præſentia & vnionis. Quare, qui tranſacta vnione omnimoda hac certitudine præditus non fuerit, (teſte S. Matre Tereſia in Manſione 5. cap. 1. & in lib. Vitæ c. 18.) certiſſimè ſibi perſuadeat diuinam hanc & fruitiuam vnionem neque ſummis labiis attigiſſe, quamuis forſan ardentiſſimum Dei amorem ſuauiſſimamque dulcedinem in ecſtaſi poſitus deguſtaſſe ſibi videatur. Nam tunc, etiamſi Deo per amorem & fruitionem vnitus videatur, iſta tamen vnio tantùm eſt in affectu, & non in effectu, ac reali cum Deo coniunctione, quam nos in hoc tractatu verè fruitiuam Vnionem nuncupamus.

Ad NONAM OBIECTIONEM, non video qua ratione poſſibile ſit, animam altiſſimo amoris vinculo Deo coniungi, & ipſam præterea certam



Digitized by Google

eſſe de hac vnione, ſiue mutuo amore & complexu cum ipſo Deo, & ex alio capite dubiam eſſe de ſua gratia & acceptatione: nam ſponſus cæleſtis, qui eam reddit certam de ſua præſentia & vnione illa altiſſima & feliciſſima, reddit etiam ſecuram de ſua gratia, ſiue hoc fiat per ſpecialem reuelationem, ſiue hoc contingat ex vi illius diuini contactus, in quo Deus animam tamquam dilectiſſimam ſponſam deoſculatur. Quæ quidem deoſculatio tantæ virtutis & efficaciæ exiſtit, vt nulla ratione poſſit anima dubitare, videns ſe ad tantam gloriam ſublimatam, ac ſpirituali connubio ipſi Deo coniunctam eſſe, ſuo dulciſſimo ſponſo acceptam ac omnino gratam: turpe enim eſſet cogitare, Deum aliqua peccati labe maculatam animam in ſponſam ſibi eligere. Quare optimè Richardus de Gradib. charit. cap. 4. vbi agens de ſponſi cæleſtis cum anima connubio, ita ait: *Et purgatiſſimam animam faciens diuino dignam coniugio, non habentem maculam neque rugam.* Hoc etiam expreſsè docuit ſanctus Laurentius Iuſtinianus Tract. de Caſto connubio Verbi & animæ, cap. 14. dicens: *Propriæ efficitur certus ſalutis, lumine gaudet veritatis, præſentia exultat ſponſi, guſtu pingueſcit charitatis, experientiâ nutritur amoris.* Hæc ille. Et cap. 25. eiuſdem libri, *Sponſa*, inquit, *de thalamo aſcendit in cælum, & de cælo iugiter deſcendit in thalamum. Non pauida, non de ſalute incerta ingreditur ſponſa in ſupernorum manſionem, ſed tamquam in dilecti domum, & in propriam poſſeſſionem.*

An verò anima reddatur ſecura de ſua acceptatione ad gloriam, non ita certum exiſtimo, quin poſſit meritò de ea re dubitari; quamuis S. Laurentius Iuſtinianus cap. 25. vt ſuprà id habeat pro comperto, dum ait: *Amoris igitur mutui exuberantiâ, tanta eſt*

*inter*

*inter Verbum & animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo*, &c. Et infrà: *Sapientia ex Altiſſimi ore prodiens, in montibus ſaliens, colleſque tranſiliens, humanæ illabitur menti non receſſura, ſed ibidem perpetuò moratura.* Quam quidem ſententiam, vt probabiliorem, & magis diuinæ dignationi conformem, libenter amplectimur; alienum enim omnino à ratione videtur, animam ipſi Deo altiſſimo matrimonio copulatam ab ipſo ita relinqui, vt adulterij ſcelere iterùm coinquinetur. Illud tamen probabiliſſimum mihi videtur, animam, quæ hac ſponſationis gratia meruit à Deo honorari, eo ipſo ad gloriam ac finalem perſeuerantiam à Deo acceptari; licet forſan ea de hac acceptatione non ſit certa & ſecura, vt cum timore & tremore ſalutem ſuam operetur.

Ad DECIMAM & vltimam OBIECTIONEM reſpondetur, Anima, cùm vnione totali, de qua locuti ſumus in Solutione ad primam Obiectionem, Deo eſt vnita, ac in ipſum ſecundùm omnes potentias ſuas transformata, tunc cùm non ſit ſui compos, neque omnino libera, ſed potiùs amoris & lucis tenaciſſimo vinculo Deo alligata & coniuncta, nulla ratione eo tempore, quod breuiſſimum quidem eſt, poteſt mereri, vt pleniùs ex Patribus lib. 6. cap. 5. de Contemplatione probauimus, & ſpeciatim docet Carthuſianus de Laude vitæ ſolitariæ, art. 36. vbi ita ſcribit: *Mens*, inquit, *nonnumquam abſque ſuo conatu improuiſè, repentè ad contemplationem hanc ac myſticæ Theologiæ intuitum, raptum, & ecſtaſim eleuatur pietate Dei immensâ, per præuenientem perſtringentemque gratiam miſericordiſſimè eam præueniente, ipſumque apicem affectiuæ & verticem intellectiuæ potentiæ immediatè tangente, illuminante & inflammante*

*te tam validè, vt imbecillis creatura confeſtim & quaſi inſtantaneè defluat & deficiat à ſeipſa, & ſuper ſe mirabiliter & gratioſè transferatur in tantum, vt non queat (quamuis velit) reniti, vtputa libertate arbitrij iam quaſi ad horam ſuſpenſa atque ſopita.* Quando verò intellectus ſoluitur, vt in Solutione etiam ad primam Obiectionem attulimus, vt in illa vnione percipiat ſtatum illum feliciſſimum, quo fruitur, ac diuina illuſtratione perfuſus, diuina alia myſteria altiſſimo modo cognoſcat; tunc compos factus ſui intellectus, omnia quæ ſibi reuelantur, plena libertate diſcernit ac percipit, ſe ea omnino percipere & cognoſcere: quod eſt quidem ſufficiens fundamentum libertatis & meriti.

## CAPVT XIX.

### *Purgatio in via Vnitiua contingens.*

Animæ in refrigeriũ à Deo deducendæ, priùs per ignem & aquam tranſire debent: eſt enim duplex purgationis genus. Primum quidem per aquam, per ignem verò alterum. Illa quidem purgatio, quæ per aquam fit, naturâ ſuâ prolixior & diuturnior eſt illâ quæ per ignem, & durior, & difficilior ſanè: nõn enim aqua illam habet efficaciam, illamque in ſordium ablutione & conſumptione actiuitatem, quam ignis: hic namque vi & actiuitate præſtat mirabili, vt ſordes omnes faciliùs expurget, & penitùs deleat.

Primum quidem purgationis genus ad Incipientes & Proficientes non raró ſolet extendi; hi ſiquidem per laborum, deſolationum, ac tentationum aquas ſolent tranſire; licet aliquando æſtuanti amoris igne, non ſine nimio animæ languore & anguſtia,

ſtia, purgentur: Perfecti verò, ſuauiſſimo amoris igne & efficaciſſimo ex Dei vnione & perceptione promanente purgantur, & quaſi decoquuntur: nam cùm cor ibi ſit totum amoris igne liquefactum, (vt Richardus de Amoris inſeparabilit. cap.4. docet;) purgari neceſſe eſt, & ad purum excoqui, ſi quam habet ſcoriam, ipſo amore, qui ignis conſumens eſt, paleas ignorantiæ & delicta iuuentutis purgans, & purgatiſſimam animam faciens diuino dignam coniugio, non habentem maculam neque rugam. Hæc ille. Suauiſſima autem eſt ſimul & ardentiſſima in hoc vnionis ſtatu ab amore procedens purgatio: quare pro tunc anima puriſsima ex illo arcano amoris amplexu egreditur.

Sed quia nemo tam ſanctus, tam in amore præcipuus, tantaque ignitus dilectione, quin amoris viciſsitudini, & carnis ſubiaceat fragilitati; (donec enim quis carnis corruptibilis indumento veſtitur, quamdiu neceſſitati peccandi ſubeſt, hanc legem patitur:) itaque quoniam nullus eſt qui non (ſaltem in multis venialibus) offendat, nemo quidem inueniri poterit, etiam ſanctiſſimus, qui purgatione aliqua non indigeat, donec intret in ſanctuarium Dei, ibi tunc erit Dei læta, perfecta, ac ſine intermiſſione æterna fruitio. Interim tamen ſponſi abſentia, aliiſque laboribus & tribulationibus tranſeuntes per aquas multas tribulationum frequentiùs purgantur.

Quam verò ob cauſam clementiſſimus animarum ſponſus à dilectiſſimę ſponſæ oculis ſuam pręſentiam ſubtrahat, ac ſeipſum non rarò abſcondat, ſponſamque omnino deſolatam relinquat, elegantiſſimè docuit S. Laurentius Iuſtinianus lib. de Caſto connub. Verbi & animæ, c.15. vbi ita ſcribit: Ratiocinando itaque perſcrutemur humiliter cauſas



Digitized by Google

propter quas ſponſus tam frequenter, etiam à perfectis, & in charitate ardentibus, ſe abſentare conſueuit; hoc namque humano iudicio plurimùm aduerſatur amantibus: fas quoque non eſt, Verbum in aliquo errare, neque enim poteſt, quia veritas, quia ſapientia eſt. Ad reprimendam igitur hominis audaciam, ſapientiſſimè interdũ ſe ſubtrahit Sapientia, non odiendo, non contemnendo, ſed amando. Quis autem, niſi quandoque relictus, ſibi propriam noſceret fragilitatem? Continuus ſucceſſus occaſionem parat elationis. Vix quippe flagellis eruditus animus, & tentationibus attritus, ſuam valet intelligere infirmitatem. Nemo Apoſtolo ſanctior, & tamen de ſeipſo ait ſic 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſatanæ qui me colaphiZet*. Quis vmquam arbitraretur, hominem vſque ad tertium raptum cælum, imò in paradiſum, ibique arcana Diuinitatis audiſſe verba, quæ homini loqui non licet, cuius conuerſatio propter amoris vehementiam, mentiſque munditiam in cælis erat, qui non ab homine, quod prædicabat, accepit Euangelium, ſed per Ieſu Chriſti reuelationem, qui fiducialiter dicebat: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futurum, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu*; Rom. 8. Ne eleuaretur inaniter ſupra ſe, neceſſariò doceri habuit per ſe, de ſe. Non autem dubitandum eſt de tanto credere viro, quod ipſe de ſe teſtatur. Nemo tanti ſe æſtimet, vt quamuis chariſmatibus multis ornatus ſit, abſque diſciplinæ documento poſſit euadere. *Prona quidem ad malum hominis eſt*

*natu-*

*natura ab adoleſcentia ſua,* Gen. 8. ſecum ſibi aduerſantem portat. Priuatus etenim amor ignotum illum reddit ſibi, facilè & rectè iudicat aliena cùm aperiuntur ei, ſua verò non poteſt: medicamine igitur eget alieno, cùm ſuo nequeat liberari: quamobrem Sapientia quandoque ſe ſubtrahit, vt quem diligit, humiliando cuſtodiat. Nam maximum humiliationis genus eſt, vehementer pureque amantem, dilecti ſui priuari præſentiâ. Opponit preſumptioni obſtacula antequam veniat, ſuique dilectoris, quamuis dolentis, quamuis nolentis & renitentis, ſalutis operatur remedia. Nullum iſto probabilius ſuæ precipuæ charitatis poteſt ſentiri argumentũ. Sic enim in Apocalypſi loquitur: *Ego, quos amo, arguo & caſtigo*: Apoc. 3. Patienter itaq; & humiliter hanc ſuſtineat amoris viciſſitudinem etiam ſponſa, gaudeat erudiri, ne præſumat; diſcat ſe agnoſcere, ne cadat: ſciat ſcriptum eſſe, *Ante ruinam exaltatur cor*, Prouerb. 16. Præſtantius verò eſt innocenter humiliari, quàm iuſtè: nam innocentia meritum cumulat, iuſtitia autem perſoluti debitum. Iuſtè quippe Propheta ſanctus humiliatum ſe agnouit, qui poſt violatum proximi torum, poſt contra Dei voluntatem populi numerationem, poſt perpetratum homicidium aiebat: *Priuſquam humiliarer ego deliqui*, Pſal. 118. Iuſtè quoque Propheta alius ſe & populum Dei humiliatos confitebatur, quàm lacrymoſa prece diceret Domino, Daniel. 9. *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè geſſimus, & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, atque iudiciis: neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Propter peccata quidem noſtra & iniquitates patrum noſtrorum, Ieruſalem & populus tuus in*

*opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum.*

Innocenter verò humiliatus fuerat Iob, *vir* vtique *ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, qui poſt amiſſam ſubſtantiam, poſt natorum interitum, poſt vulnerum cicatrices & vermium roſionem in ſua perſeuerans innocentia, dicebat confidenter, Iob 17. *Non peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus.* Præ omnibus denique innocenter & ſine cauſa humiliatus eſt Dominus Ieſus, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius*, & tamen *ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & tamquam agnus coram tondente ſe non aperuit os ſuũ*, Iſa. 53. Non triſtetur quæuis anima, etiamſi ſponſæ gratiam promeruit, cùm ſe ad tempus Verbum ſubtrahit, & humiliando cuſtodit: nam ſi iuſtè, ſuſtineat æquanimiter; ſi verò innocenter, cum exultatione. In nullo Dei valet errare Sapientia. Non quidem mediocris eſt commodi huius diſpenſatio viciſſitudinis; toties recaleſcit ſpiritus, renouatur animus, & amor augetur, quoties poſt latebras ſui præbet copiam ſponſus. Commota ſunt (ſicut ſacra narrat Hiſtoria) viſcera Ioſeph ſuper Beniamin fratre ſuo, cùm poſt longa temporis ſpatia illum videre promeruit. Sed & ſpiritus Iacob reuixit, quaſi de ſomno graui euigilans, cùm Ioſeph viuere, atque vniuerſæ terræ Ægypti dominari audiſſet. Deinde videns illum, irruit ſuper collum eius, & inter amplexus fleuit, dixitque ad Ioſeph: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Si ſic exarſit ſpiritus per præſentiam carnis, quid aget amantis ſpiritus cùm reuiſit Verbum? nemo explicet Verbi huius gaudia reditus. Quis valet dicere, quanta hinc inde reſonent dilectionis eloquia? pro præſentia, exultationes; gemitus pro dilatione, compunctiones pro culpa, pro venia emen-

Digitized by Google

emendationes, amplexus pro fiducia, ardores pro amplexibus, pro ardoribus humiles liquefactiones, paciſque ſuauiſſimam abundantiam poſt animæ liquefactionem. Hæ nempe ſpirituales viciſſitudinum deliciæ ſunt ſponſi & ſponſæ. Iſta ſunt ſancti tripudia amoris. Nullus experiretur talia, niſi qui ardenter diligit: ignitus verò amor ex priuatione agnoſcitur.

Qui parum amat, nec dilecti receſſus cauſas inquirit, nec exurgit vt quærat, non gemit pro dilecto, neque dolet pro delicto. Non ita autem qui diligit multùm: numquam enim ſine dolore amittitur, quod cum maximo amore poſſidetur. Amoris vehementia ex inquiſitione colligitur. Legitimus namque amator, mox vt abeſt ſponſus, redit ad ſe, cordis ſui latebras perluſtrat, diligenter intentiones, cogitationes, affectioneſque examinat, ſi quid in verbis, ſi in factis deliquerit, ſubtiliter diiudicat. Vtrùm erga fratrem peccauerit, aut proximo ſuo aliquod ſcandali poſuerit offendiculum, rememorat. Quòd ſi erraſſe deprehenderit, tamdiu dolore affligitur, donec pacatam in ſe videat conſcientiam.

Et paulò infrà: Nemo enim, niſi poſt paupertatis ærumnas, & neceſſitatis anguſtias, diuitiarum nouit commoda; nullus ſanitatis bonum ſoſpitatiſq; dulcedinem, niſi ex crebris languoribus, & ex diuerſorum comparatione dolorum ſufficienter valeat agnoſcere. Ex tenebris lux, ex bello pax, ex iucunditate triſtitia, ex abundantia egeſtas, ex bono malum, ex ſpei claritate deſperationis caligo, & ex ſuauiſſimo Verbi contubernio, abſentiæ illius cruciatus intelligitur. Ille igitur veraciter penes ſe totis ſponſum conſeruat conatibus, qui præ amoris vehementia paſſus eſt viciſſitudinis damnum. Proximis com-

patitur amantibus, præcauet pericula, cauſaſque diſceſſus prudenter deuitat, ſuis ſapiens efficitur pœnis, ſuiſque tentationibus eruditus. Planè laudabilis paupertas, quamuis non in ſe, ſed propter fructum, quæ amorem acuit diuitiarum. Commendabilis caſus, & non reſpuenda tentationum moleſtia, per quam mens ad virtutum exercitia robuſtior aſſurgit. Non enim minùs honore dignus eſt miles Chriſti, qui poſteaquam proſtratus eſt, viriliter pugnam reſumens, glorioſum triumphum obtinet, quàm qui ſine vllo belli diſcrimine perſeuerauit in certamine. Hactenus S. Laurentius Iuſtinianus.

# TERTIA PARS.

*Diſpoſitiones diuinæ Unionem fruitiuam præcedentes, ac mirabiles effectus eam conſequentes.*

## CAPVT XX.

*De diſpoſitionibus hanc diuinam Vnionem præcedentibus.*

Non eſt vna ad fruitiuam Vnionem, quam Deus ſolet infundere, diſpoſitio: nam cùm ſit multiplex Spiritus diuini gratia, variaque eiuſdem chariſmata, ſic diuerſimodè ad diuinæ ſuæ voluntatis nutum animam ad fruitiuam vnionem pertrahit. Omnes tamen ferè diſpoſitiones ad duplex genus reduci iure poſſunt. Alterum, quod in noſtra ſitum eſt voluntate, non tamen ſine diuini auxilij infuſo lumine. Quod quidẽ diſpoſitionis genus, actiuum meritò nuncupari poteſt, quia numquam ſine noſtro

Digitized by Google

ſtro conatu cooperationéve ſolet contingere. Alterum diſpoſitionum genus, paſſiuum in eo ſenſu dicitur, quia anima diuinitus à Deo præuenta, ad hanc arcanam cum ipſo coniunctionem, non tam duci, quàm trahi rapiq́ue videtur.

De vtroque diſpoſitionum genere mentio fit tam apud Patres, quàm apud alios non infimæ notæ Auctores. D. Dionyſius Areopagita pluribus in locis modum tradidit, quo ad hanc vnionem peruenitur: præſertim in Myſtica Theologia, & in Epiſtolis, potiſſimùm in his quas Timotheo diſcipulo exarauit, vbi omni intellectus diſcurſu prætermiſſo, omni inordinata affectione penitùs mortificata, voluntatem ad diuinam hanc vnionem erigere apertè docet ſequentibus verbis: *Et ſi ſit poſſibile, ignotè conſurge ad eius vnitionem, quæ eſt ſuper omnem ſubſtantiam & cognitionem, etenim exceſſus tuiipſius ab omni irretentibili & abſoluto, mundè ad ſuperſubſtantialem diuinarum tenebrarum radium ſurſum ageris.* Et de Diuinis nominib. cap. 7. *Eſt iterùm diuiniſſima*, ait, *cognitio Dei, in qua ipſe cognoſcitur per ignorantiam, quando ſcilicet mens ab omnibus intellectualibus & intelligibilibus recedens, & tandem ſeipſam excedens, vnitur radiis æternæ ſapientiæ inſcrutabilis profunditatis.*

Ex hac diuini Dionyſij doctrina duo colligit D. Bonauentura pluribus in locis, præcipuè in lib. de Myſtica Theologia, quorum alterũ eſt, medium magis idoneum ad eleuationem animæ ad hanc vnionem, eſſe conſurrectionem per viam affectiuam, quæ præcipuè anagogicis actibus ſiue aſpirationibus ad Deum continuò exercetur; qua de re pluribus in locis egit D. Bonauentura, in Tract. Myſticæ Theologiæ, præſertim in cap. 3. De via Vnitiua. & ho:

hoc ipſum quod inſinuat D. Dionyſius in verbis illis: *Conſurge ignotè.* Et in his quæ præmiſerat, *Forti concertatione ſenſus derelinque, & intellectuales operationes, & ſenſibilia, & intellectualia omnia.* Quaſi diceret, in hac via non vtendum eſſe notitiis & cognitionibus particularibus intellectus, prout pleniùs D. Bonauentura dicto cap. 3. p. 4. docet; ſed potiùs eleuatione ſiue conſurrectione per viam affectiuam. Ecce diſpoſitionem actiuam, quam primo loco D. Dionyſius omnibus ad hanc Vnionem properantibus exponit.

Alterum eſt, cùm anima ingenti Dei deſiderio afficitur & creſcit, & in abnegatione ſeu mortificatione rerum omnium proficit, (quod ad alterũ diſpoſitionum genus à Deo infuſarum, quod paſſiuum appellamus, ſpectat;) tunc enim diuinitus rapitur, abſorbetur, & vnitur radio tenebrarum, nimirum Deo, qui ob lucis ſuæ incomprehenſibilitatem à D. Dionyſio nominatur obſcuritas, & radius tenebrarum, quod ſignificauit cap. 7. de Diuin. nominib. illis verbis. *Quando ſcilicet mens ab omnibus intellectualibus & intelligibilibus recedens, & tandem ſeipſam excedens, vnitur radiis æternæ Sapientiæ.* Et vt oſtendat iſtam vnionem non eſſe in poteſtate noſtra, addit in Epiſtol. ad Timotheum, *Ad ſuperſubſtantialem diuinarum tenebrarum radium ſurſum ageris.*

At hìc ſummopere conſiderandum eſt, id, quod à nonnullis Theologis Myſticis traditur, non tam eſſe verum, quantum ipſi exiſtimant, cùm aiunt, his motibus anagogicis vel aſpirationibus ſecundùm diui Dionyſij mentem, omni intellectus actu prætermiſſo, voluntatem ad diuinam vnionem erigi debere, ac in ſua actione mirificè intellectum præcurrere; quæ quidem valdè aliena ſunt à mente D. Dionyſij,

Digitized by Google

nyſij, qui ſi attentè legatur, ( vt in ſuperioribus annotauimus ) non omnem intellectus actionem videtur excludere, ſed forſan vel meditationem diſcurſúſve alios, quibus in via Dei proficientibus, ac mediocriter in contemplatione exercitatis opus non eſt: quia ij qui in via Purgatrice ac Illuminatrice profecerunt, affectum ita excitare perquam ſedulò didicerunt, vt ad tantam interdum voluntatis agilitatem pertingere ſoleant, vt ſimplici dumtaxat rerum diuinarum conceptione pręmiſsâ, ſtatim (quod ſæpè ipſi non aduertunt) ſine alio intellectus actu ferantur in Deum.

D. Bernardus Serm. 2. de Aſcenſ. duplicem hanc viam, tam actiuam quàm paſſiuam, tendendi ad diuinam vnionem expoſuit, dicens: *Quidam trahuntur, qui dicere poſſunt: Trahe me poſt te. Nonnulli ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Alij rapiuntur, ſicut Apoſtolus raptus eſt ad tertium cælum. Et primi quidem felices, qui in patientia ſua poßident animas ſuas. Secundi feliciores, qui ex voluntate ſua confitentur Domino. Tertij feliciſsimi, qui in profundißima Dei miſericordia, quaſi ſepultâ arbitrij libertate, in diuitias gloriæ, in ſpiritu ardoris rapiuntur, qui ſpreto ac ſuppreſſo adminiculo rerum ac ſenſuum, non aſcenſoriis gradibus, ſed inopinatis inſtantaneiſque exceßibus feruntur in Patrem.* Priores duo à Deo tracti, diſpoſitioni actiuæ; tertij verò rapti, paſſiuæ deputantur.

Clariùs adhuc duplicem hunc diſpoſitionum modum diſtinxit Dionyſius Carthuſianus in Commentariis Myſticæ Theologiæ diui Dionyſij Areopagitæ, verbis ſequentibus: *Porrò viri fideles heroici & perfecti longè ſublimius myſticam Theologiam ſortiuntur, experiuntur, venantur per ſupernaturalia*

*che-*

*chariſmata Spiritus ſancti; quod & dupliciter accidere ſolet. Primò, per eorum præparationem, cooperationem, & conatum, ad hoc dando ſeipſos, ad abſtractionem à cunctis creatis, & ad feruidam vnionem cum Deo per recollectionem mentis ſuæ ad intra, & per affectuoſiſſimam diuini inuocationem auxilij, & conſiderando inflammatiua diuini amoris. Secundò fit iſtud modo mirabili & eminentiori, quamuis forſan non magis meritorio ſemper; videlicet dum feruens amor abſque conamine proprio, præparationeque præuia repentè præuenitur, præſtringitur, inflammatur, & ſuper ſe tollitur, contemplationiſque luce exuberanter perfunditur, præoccupatur, ac vincitur in tantum, vt, etiamſi velit, reſiſtere nequeat, neque euadere poſſit ſupergratioſiſſimi ſpirituum amplexum ſponſi, à quo in regione luminis infiniti transfertur, in quo verè idem ſunt, regio, & habitator.*

Duplex igitur hoc diſpoſitionis genus ex Patrum doctrina pleniùs explicemus. De prima diſpoſitione, quam actiuam appellamus, egregiè Bernardus Serm. 9. in Cantic. ita ſcribit: *Si quis in nobis eſt ita deſiderij vir, vt cupiat diſſolui, & cum Chriſto eſſe, cupiat autem vehementer, ardenter ſitiat, aſſiduè meditetur; hic profectò non ſecùs quàm in forma ſponſi ſuſcipiet Verbum in tempore viſitationis, hora ſcilicet, qua ſe adſtringi intus quibuſdam brachiis ſapientiæ, atque inde ſibi infundi ſenſerit ſancti ſuauitatem amoris; ſiquidem deſiderium cordis eius tribuetur ei, etſi adhuc peregrinanti in corpore, ex parte tamen, idque ad tempus, & tempus modicum. Et hoc tamdiu neceſſe eſt pati dilectam, nempe abſentiam ſponſi, donec ſemel poſitâ corporeæ ſarcinâ molis auolet, & ipſa leuata pennis deſideriorum ſuorum, liberè iter carpens per campos contemplationis, & mente ſequens expedita dile-*

*ſtum quocumque ierit. Nec tamen vel in tranſitu præſtò erit omni animæ, niſi illi dumtaxat, quam ingens deuotio, & deſiderium vehemens, & prædulcis affectus ſponſam probat, & dignam ad quam gratia viſitandi acceſſurum Verbum decorem induat, formam ſponſi accipiens.*

D. Bernardi ſententiæ conſentit Dionyſius Carthuſianus lib. de Fonte lucis, art. 16. vbi ſic inquit: *Deus ſublimis cùm viderit mentem hominis ſpiritalis Zelo iuſtitiæ penetratam, claritate flammigeram, puritate ac omni virtute fulcitam, ad diuina fortiter aſpirantem, mox dignantiſsimè, exuberantiſsimè, amorosè ac frequentiſsimè ei occurrit, ſuccurrit, cooperatur, ſeque ei communicat, manifeſtat, infundit, eam ad ſe eleuat, intra ſe rapit, deoſculatur, amplectitur, atque ſe ei intuendum, guſtandum, fruendum offert ac exhibet, habetque complacentiam magnam in ea, & tamquam amicam ac ſponſam apprehendit, fecundat, & ſibi adſtringit: eamdem lucem quoque, quam in manibus abſconſam tenet, etiam propalat ad horam, aut horulam, prout ſibi omnium ſapientiſsimo moderatori placuerit.*

Si horum Patrum aliorumque Myſticorum, qui hanc Viam experti ſunt, ſententiæ credendum eſt, (quam quidem veriſſimam exiſtimo) nullam compendioſiorem viam, nullúmve alium in Deum aſſurgendi modũ faciliorem ac nobiliorem eo (quem Sapientiam vnitiuam, ſiue Amorem vnitiuum Myſtici appellant) inuenies; qui quidem in motibus anagogicis ſiue aſpirationibus, quibus cor enititur ad Deum aſſurgere, ac illi auidiſſimè adhærere, conſiſtit: quibus in motibus ſiue aſpirationibus, intellectus ab opere quaſi deſiſtens, omnis ferè conatus in vnam voluntatem incumbit, quæ in Deum ſeipſam erigit, ac ad eius fores iteratis ictibus pulſat. Quã qui-

quidem exercitatione inardeſcit miro modo voluntas, & breui tempore maiora lucra conquirit, melioríque modo ad Dei ſublimem vnionem ſe pręparat, quàm ſi modis aliis ſe prolixiùs exerceret.

Hoc autem nobiliſſimum aſpirationum exercitium, non omnibus ad perfectionem tendentibus debet eſſe commune, ſed illis tantùm, quibus viæ Purgatiuæ & Illuminatiuæ ſuperatis exercitiis, ad Vnitiuam patet ingreſſus. Hi intellectum ſatis aliàs meditationibus ſiue contemplationibus piis inſtructum requieſcere ſinentes, voluntatem ſurſum debent impellere, vt ea frequentiſſimis deſideriis inflammata, ſolùm cum Deo arctiſſimam hanc coniunctionem appetat ardentiſſimè.

## CAPVT XXI.

### *Formulæ aſpirationum, & modus, quo ſimul cum introuerſione exerceri debent.*

SED vt ad felicem huiuſmodi exercitij agilitatem voluntas attollatur, exempli gratiâ hîc aliquas aſpirationes inſeremus, vt ſic detur methodus præſtandi quod in nobis eſt, vt clementiſſimus Deus noſtros adiuuet perficiatque conatus.

Hæ autem aſpirationes non quidem cum immoderato impulſu aut capitis violentia exerceri debēt, ne ſpiritus grauatus ſuccumbat; ſed potiùs ſuauiter & placidè, vt ſic diutiùs in hoc ſancto exercitio perdurare poſſit. Aliquot igitur formulas prædictarum aſpirationum hîc adſcribemus, quibus, vel aliis ſimilibus, ſpiritualis athleta ad diuinam vnionem conſcendere poſſit.

O Domine Deus, ego viliſſimus peccator indignus ſum quem terra ſuſtineat. Heu! procul à te, qui

qui es ſummum bonum, receſſi, & habito in regione longinqua, in regione diſſimilitudinis. Miſer & cæcus ſum, nihil poſſum ſine te. Eia, pie & dulcis Ieſu, miſerere mei. Abſolue me pretioſo Sanguine tuo, & ab omni peccato emunda, perfectéque ſana, vt tibi placeam.

O quando mihi plenè moriar, & ab omnibus creaturis liber ero? O vtinam verè mitis & humilis corde, verè pauper & nudus ſpiritu eſſem! Præſta Domine, vt per perfectam mei abnegationem, per perfectam vitiorum omniũ mortificationem, perueniam ad perfectum tui amorem. Tu iuſſiſti vt diligam te, da quod iubes, & iube quod vis. Da vt diligam te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis, atque ex tota mente mea. Ipſas vires animæ meæ confractas & corruptas digneris redintegrare atque reformare per vires ſanctiſſimæ animæ tuæ. Expedi mentem meam ab omni multiplicitate, denuda eam imaginibus & formulis rerum caducarum. Concede mihi liberam ad introuerſionem; concede vt ſtabili cogitatione, clara cognitione, & feruenti amore ſemper in te fluere poſſim.

O bone Ieſu? ô ſpes mea & refugium meum! ô dilecte, dilecte, dilecte! ô charorum omnium chariſſime! ô amor meus vnice! ô ſponſe floride, ſponſe melliflue! ô dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ! ô eſſentia eſſentiæ meæ, & iucunda requies ſpiritus mei! ô optata conſolatio mea, & ſincerum gaudium meum! ô ſpecioſa dies æternitatis, & ſerena lux intimorum meorum! ô refulgens conclaue meum, & vernantiſſima hereditas mea! ô amabile principium meum, & ſufficientia mea, Deus meus! Quid volo præter te? Tu es verum & æternum bo-

num meum. Eia,trahe me poſt te,vt alacriter, purè & perſeueranter curram in odorem viuificantium vnguentorum tuorum.

Præpara, dilecte mi,præpara tibi gratam & amœnam habitationem in me,vt ad me venias, & manſionem apud me facias. Mortifica in me, & repelle à me quidquid tibi diſplicet. Auelle ac ſepara me ab omnibus quæ ſunt infra te. Effice me hominem ſecundùm cor tuum, effice me conformem ſacræ humanitati tuæ Vulnera cor meum medullitus iaculo amoris tui. Inebria ſpiritum meum vino perfectæ charitatis,vni me tibi intimè,& totum tranſmuta in te, vt delicias tuas in me habere poſſis.

O quando tibi per omnia placebo? quando in me perempta erit omnis proprietas? quando tuus totus ero? quando nihil præter gratiſſimam voluntatem tuam, nihil præter te viuet in me? quando ardentiſſimè diligam te? quando me totum concremabis flammâ tui viui incendij? quando me totum liquefacies penetratum efficaci ſuauitate tua? quando mihi pulſanti aperies, & manifeſtabis pulcherrimum regnum tuum,quod intra me eſt, & quod ipſe es cum vniuerſis diuitiis tuis? quando me totú in te rapies, abſorbebis,& abſcondes? quando ſublatis omnibus impedimentis ac mediis, me totum vnum ſpiritum efficies, & tibi inſeparabiliter agglutinabis? Eia vnice cordis mei, digneris hoc citiùs perficere, quia te deſidero, ad te anhelo, tui amore langueo.

CA-

# CAPVT XXII.

## *Cautelæ in diuinarum aſpirationum exercitatione adhibendæ.*

INNVMERÆ ſunt aliæ aſpirationes (hoc enim nomine vocamus iſtas Oratiunculas iaculatorias) quæ formari vel ex ſacra Scriptura, vel ex propriis affectibus, quos vnicuique Spiritus ſancti gratia ſuggerit, peti poterunt: hi enim ſapidiores ſunt illis, quos ſenſus affectuſque alienus ſubminiſtrat.

Aſſidua igitur aſpirationum ſiue Orationum iaculatoriarum, feruentiorumque deſideriorum ad Deum emiſſio, veræ mortificationi atque abnegationi coniuncta, certiſſimum & breuiſſimum eſt medium quo citò facileque peruenitur ad iſtam ſapientiam vnitiuam. Aſpirationes verò exerceri debent, non vtcumque, ſed ſimul cum introuerſione, ita vt in Deum non vt in cælo, ſed intra nos, hoc eſt in ipſo fundo & eſſentia animæ habitantem iaculentur. Eſt autem Deus vbique: in mente verò humana, & animæ fundo, ſiue eſſentia animæ, ſingulariter tamquam in ſua imagine habitans: in iuſtis verò non ſolùm per eſſentiam, ſicut in ceteris rebus creatis; ſed etiam per gratiam feliciſſimè adeſt, dicente Domino Luc. 17. *Regnũ Dei intra vos eſt.* Regnum verò Dei eſt ipſe Deus cum vniuerſis diuitiis ſuis. Ergo his Orationibus iaculatoriis introuertat ſe, id eſt conuertat ſe ad Deum habitantem intra ſe: ibi enim ſi perſeueret Deum quæritando, tandem eum feliciter inueniet.

In hac verò introuerſione, ſeu ad Deum conuerſione, caueat ne nimis extendat intellectum ſuum; ne, ſi altiùs quàm oporteat volare tentauerit, à ſim-



Digitized by Google

plicitate aberrans, internis tenebris inuoluatur, ex quibus intolerabiles miſeriæ & anxietates oriri ſolent. Introuertat ſe igitur ſimpliciter, oculum intellectus diligenter (cum ſuauitate tamen) deprimens atque excæcans. Nec tam tunc alias Dei perfectiones ſcrutetur, quàm ipſum ſummum eſſe bonum ſapidiſſimum, ſuauiſſimum, infinitè amabiliſſimum ſibi proponat, in eiuſque vnionem ardentiſſimo feratur deſiderio. Caueat prætereà violentum etiam voluntatis impulſum, ne nimis natura prægrauata ac debilitata ſuccumbat.

Nonnulli in feruidis ad Deum aſpirationibus ſe exercentes, grandem ſæpè in initio cruciatum ſentire ſolent, donec dono Dei, & perſeueranti conſuetudine eò tandem pertingant, vt ſeſe ſimpliciter ac facilè exercere norint. Si tamen non potuerit ſemper ſimilem afflictionẽ effugere, nequaquam ob id turbetur, neque deſpondeat animum, ſed humiliter patienterque hæc omnia de manu Domini ſuſcipiens, ea æquanimiter toleret. Quod quidem ſi fecerit, & exercitium hoc ſanctæ introuerſionis prudenter conſtanterque retinuerit, cæleſti manna tandem abundè reficietur, atque aliquando ſatiabitur.

Prætereà, neque propter nimiam inſtabilitatem ſuã, qua tam citò defluit diſtrahiturque, ſpem abiiciat, ſed animo inuicto in ſancto labore perſiſtens, inceſſanter recolligat ſui cordis diſperſiones, ſeque in Deum ſummum bonum reflectat. Nam vbi hæc laudabilis conſuetudo in eo firmata fuerit, incipiet iam ſentire rem non eſſe ita difficilem, imò verò ipſa conſuetudine tandem quaſi in naturam tranſeunte, tam facilè Deo rebúſque diuinis intentus erit, quàm facilè ſpirat ac viuit.

Hoc demum introuerſionis exercitium, quo anima

ma in Deum ipſum in propria eſſentia, ſeu in animæ fundo commorantem intimis deſideriis aſpirationibuſque feruentiſſimis ſe extendit, omnia alia longè ſuperat exercitia. De hoc animæ fundo, ac exercitio introuerſionis, piiſſimus huius temporis Auctor ita ſcripſit: *O nobilem fundum, diuinumque templum, à quo Deus numquam recedit. O fundum præclariſſimum, in quo S. Trinitas habitat, & in quo ipſa æternitas guſtatur, vel vna perfecta in hunc fundum, ad Deum ipſum, conuerſio multis aliis exercitiis atque operibus præſtantior eſt, & vel decem pluriúmve annorum amiſſa tempora reuocare poteſt. Nimirum fons aquæ ſalientis in vitam æternam, in hoc fundo ſcaturit, quæ quidem aqua tantæ efficaciæ ac ſuauitatis eſt, vt omnem vitiorum amaritudinem facilè depellat, facilè omnem naturæ rebellionem euincat ac ſuperet: mox enim vt bibita eſt, per totam animæ & corporis regionem diffluit, & miram puritatem miramque fecunditatem vtrique præſtat. Non debemus ceſſare ab oratione, donec ex eo fonte bibere mereamur: nam vbi vel vnicam eius guttulam perceperimus, iam res vanas labenteſque creaturas ſitire non poterimus, ſed ſolum Deũ, ſolum Dei amorem ſitiemus; in quo amore quantò ampliùs creuerimus, tantò magis in vnione diuina proficiemus, & quo perfectiùs Deo vniti, profundiúſque in eum immerſi fuerimus, hoc clariùs eum in ipſo & per ipſum cognoſcemus. Rurſum quantò lucidiùs eum cognouerimus, tantò ardentiùs diligemus. Aliqui ſeriùs, aliqui citiùs ad venam illam aquæ viuæ peruenientes, ſupernaturali lumine excellenter illuſtrantur. Sed & nonnullos Deus celerrimè ad perfectionem perducit, quos etiam repentè plerumque præueniens, tam validè in ſe rapit, vt reſiſtere nequeant. Beatus eſt, qui vel poſt plurimos annos in continuo labore atque cona-*

*tu fodiendi tranſactos, tandem ipſam aquarum viuentium venam in fundo animæ ſuæ inuenire meretur. Non eſt mirum, ſi oporteat hominem ante cubiculum Regis æterni diu excubare, diuque pulſare & expectare priuſquam intrò admittatur.*

Ad hanc verò feliciſſimam cum Deo vnionem non poteſt anima pertingere, niſi vitia omnemque fugiat humanam conſolationem, & tota munda & ſimplex effecta, ſimilitudinem Dei in ſeipſa habeat. Quare non ſolùm ab omni peccato atque ab omni delectatione liberam, quantum fieri poteſt, ſeipſam ſeruet; ſed & affectum & intellectum ab omni creatura expediat. Oret Deum, vt ſe tam puram nudamque faciat, quàm pura nudaque erat, quando in fonte ſacri Baptiſmatis renata eſt. Modicus enim amor tenuiſſimi affectus, quo quis mortali creaturæ adhæret, atque aliæ huiuſmodi leuiores offenſæ & inordinationes, non permittunt vt Deus, qui ſumma puritas eſt, intimè vniatur animæ, niſi priùs expientur. Imò & tempore, quo anima ſentit ſe amore Dei vehementer inflammari, ac ſurſum ad iſtam diuinam vnionem trahi, relinquendæ ſunt omnes cogitationes quantumuis piæ, properandumque eſt ipſo affectu ad Sancta ſanctorum, & ad internum illud ſilentium, vbi amantis animæ viribus ſilentibus atque ab omni imagine liberis Deus loquitur, ac nobiliſſimum opus in anima peragit. Vnde myſtica Theologia, vt benè notauit Gerſon Tom. 3. de Myſtica Theologia, Conſid. 30. potiùs acquiritur per ſcholam affectus, quàm intellectus. *Quare*, (vt inquit ille) *ad comparandam huius myſticæ Theologiæ doctrinam, non eſt magna ſcientia opus: nam cognitio ex fide, quod Deus eſt totus deſiderabilis, totus amabilis, ſi affectiua portio ſit purgata, ſi illuminata, ſi diſpoſita,*

*ta, ſi exercitata ſit, cur non in illum totaliter deſiderabilem & totum amabilem, ſine plurimorum librorum ſtudio tota feretur, totaque rapietur?*

Qua verò ratione poſſit affectus in Deum ferri per anagogicos exceſſus, oculo intellectus ferè clauſo, ac eius ſopitis diſcurſibus, explicat idem Gerſon Tractat. de Myſtica Theologia practica, Induſtria 12. *Spiritum,* inquit, *à phantaſmatibus auertere oportet. Poſuimus itaque myſticam Theologiam eſſe amorem ecſtaticum, qui conſequitur ad intelligentiam puram ipſius ſpiritus; quæ intelligentia caret vtique nubibus phantaſmatum: propterea neceſſe eſt eum, qui vult myſticæ Theologiæ ſe tradere, conari ad hanc puram intelligentiam.* Et infrà: *Dicamus, ſi poſſumus, quo pacto poterit ſpiritus à phantaſmatibus ſe auertere, dum anagogicos quærit exceſſus. Et fortaſſis hoc poterit fieri, ſi in omni cognitione & meditatione ſua de Deo, nequaquam ſiſtit homo in cognitione, ſed aſpiret vim affectiuam, quaſi cordis ore inhiante, in ſuam potentiam, & in ſuam ſapientiam, in ſuam bonitatem ſaporandam & guſtandam, tamquam eius qui totus eſt terribilis in conſiliis, ſuper filios hominum per maieſtatem potentiæ dominantis iudicantiſque, totus magnus eſt & mirabilis in ſapientia, cuius non eſt numerus, totus denique ſuauis, totus deſiderabilis, totus amabilis valdè in bonitate & torrente voluptatis ſuæ Occurret tibi ſic nitenti, ſic intēto, plurima turba phantaſmatum. Credo equidem irruent importunè phantaſmata, & irrumpent in vtroſque oculos tuos interiores. Tu verò fortiter abiice ſeorſum ea, quantum potes, manu meditationis, & velut excuſſo capite ſpiritus, liber euadere labora; aut tu, quaſi diſſimulatis eis ſpretiſve, perge quò pergis, & per medium agmen illud alacer erumpe. Sitis te ſpiritualis exſtimulet, vt quemadmo-*

 *dum*

*dum deſiderat ceruus, vndique canum morſibus patens, & ſupercaleſcens, ad gelidos tutoſq; fontes aquarum; ſic tu labora contra impedientia phantaſmata, vt poſſis & tu dicere rore ſancti Spiritus calefactus: Deſiderat anima mea ad te Deus meus: ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.*

## CAPVT XXIII.

### *Omnes ferè, Dei tamen gratia fretos, debere ad diuinam hanc Vnionem aſpirare & contendere.*

HÆ ſunt igitur diſpoſitiones à nobis iam ſuperiùs relatæ, quas diuinâ adiùtus gratiâ nullus eſt qui non poſſit præſtare, atque mediis iis ad diuinam vnionem totis viribus conari, maximè illi, qui in via Purgatiua & Illuminatiua mediocriter verſati, ad Vnitiuæ exercitia conſcendunt: ijs enim non ſolùm deſiderare, ſed & toto conatu hanc intimam animæ cum Deo adhæſionem procurare licebit. Nos enim, qui ad hoc conditi ſumus vt fruamur Deo, & immenſam eius bonitatem agnoſcamus, atque ei in hoc exilio arctiſſimè tamquam ſupremæ huius vitæ felicitati vniamur, ac futuram beatitudinem aliquo modò in hac peregrinatione inchoatam prægustemus, vt latiùs cap. 2. pertractauimus. Ad hoc enim donata nobis memoria eſt, vt Dei reminiſcamur; ad hoc conceſſus intellectus, vt per fidem & contemplationem ad altiſſimam Dei cognitionem aſſurgamus; ad hoc pręſtita voluntas, vt Deum ſummo amore proſequamur, eique intimè vniamur: ita vt tota anima cum omnibus potentiis & viribus ſuis in Deum collecta, vnus ſpiritus fiat cum eo,

eo, vt nihil meminerit niſi Dei, nihil ſentiat intelligátve niſi Deum, & omnes affectus in amoris gaudio vniti, in ſola Conditoris fruitione ſuauiter quieſcant. Quare ergo has excellentiſſimas animæ vires in nobis marceſcere ſinemus, illaſque ad ſolas res infimas cogitandas & amandas deiiciemus? Vocat nos Deus, qui eſt ſummum & incommutabile bonum, & planè inuitat ad ſuiipſius intimam vnionem, ac feliciſſimam, quantum fieri poteſt in hac vita, fruitionem, ſæpè in Scripturis clamitans: *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, & emite vinum & lac abſque vlla commutatione: quare appenditis argentum, & non in panibus; laborem, & non in ſaturitate?* & alibi: *Bibite amici, & inebriamini chariſsimi.* & nos, ſpretis bonis non perituris, labimur ad terrena. Vocamur ad magna, & volumus minimis eſſe contenti. Deus paratiſſimus eſt dona ampliſſima nobis elargiri, imò ſeipſum excellentiſſimo modo animæ communicare & vnire, ſatiare ſeipſo omnes animæ rationalis ſinus cupit: nos verò argentum & laborem noſtrum non in inquirendis cęleſtibus panibus, id eſt in Deo, qui ſolus poteſt ſatiatam ac felicem reddere animam; ſed potiùs in rebus caducis & tranſitoriis vitam & laborem inſumimus.

Naturalis quidem locus animæ à vitiis purgatæ Deus ipſe eſt, quia appetitu naturali tendit in originem ſuam, ſicut ignis ſurſum, & lapis deorſum naturali impetu fertur; quare in ſolo Deo quieſcere poteſt, inquietumque eſt cor noſtrum, donec ad illum finem pertingat, ad cuius quidem adeptionem conditum fuit à Deo. *Feciſti nos Domine* (inquit D. Auguſtinus) *ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec perueniat ad te.* id eſt, arctiſſimo amoris vinculo te-

cum coniungatur. Solo Deo Conditore poterit rationalis animus ſatiari, ſine quiete vagus, ſine refectione famelicus homo aberrat, quamdiu brachiis charitatis Deum perfectè non conſtringit. Quibuſlibet diuitiis ſpiritualibus, quibuſlibet conſolationibus affluat, quibuſlibet virtutibus abundet, ſatiari nequit, niſi per amoris contactum & vnionem Deum conſequatur, eique feliciter copuletur, qui eſt torrens & pelagus inæſtimabilium voluptatum, exuberanſque plenitudo omnium bonorum.

*Vnde multùm planè lugendi ſunt* (vt in eodem fermè propoſito pius quidam Auctor proſequitur) *qui ſenſibus dediti, ac ſolis externis exercitus per omnem vitam contenti, interiorem animæ fundum, beatamque illam cum Deo vnionem negligunt: ipſi enim, dum veram ſui mortificationem parui faciunt, & ætatem vireſque in his, quæ præcipuè neceſſaria non ſunt, abſumunt, nimirum parum aut nihil in ſpiritu proficiunt, ſemper in eodem luto hærentes. Hæc autem verba ſi non ore, ſaltem corde & opere dicunt: Vniat ſe Deo qui volet, nos quidem id non curamus, cùm ad eam rem apti non ſimus. Atqui etiam ſimplices & idiotæ poſſunt ad ipſam Theologiæ myſticæ ſapientiam & vnionem pertingere: neque enim hîc ingenij ſingulare acumen, ſed puritas ac humilitas cordis, & libertas nuditaſque mentis, ac feruens amor requiritur. Planè humilis ardenſque affectus, magis quàm ſubtilis & inueſtigans intellectus hominem eò perducit.* Et infrà: *Bona quidem & Domino grata ſunt externa exercitia, laudes diuinas piè decantare, multas preces ore proferre, genua flectere, deuotione ſenſibili Deum colere, ieiunare, vigilare, ac ſimilia peragere; ſed incomparabiliter melius eſt exercitium internum, quo homo deſideranter ardenterque ſe ad Deum non per ſenſus & ima-*

Digitized by Google

*& imagines, ſed modo quodam ſupernaturali ſe extendit, vt ei vniatur.*

Ea verò quæ hactenus diximus, eo quidem ſenſu accipienda ſunt (vt iam ſæpè prænotauimus) vt liceat expediatque mediocriter ſaltem exercitatis ad Vnionem diuinam aſpirare: nam inexercitatis, & qui non ita dudum Ægyptum reliquerunt, & quos vitiorum ſqualor ſiue habitus nondum ab anima eradicati adhuc eam deformant, non debent ita eſſe impudentes, vt relicto oſculo pedum ac manuum, ad oris oſculum ac ſacratiſſimos cæleſtis ſponſi amplexus temerè aſpirent. Priùs igitur ad pedes Domini reſidens, ſordes abluat, formam excolat, habitum componat, abnegationi mortificationiq́ue ſui ipſius ſtrenuè ſtudeat, virtutum exercitiis inſiſtat, Chriſti Domini imitationi det operam. Et tunc demum liberiùs (ſeruata tamen filiali verecundia) ad Deum per iaculatorias Orationes, ac ſanctam introuerſionem aſpiret, erigatq́ue ſeipſum cum fiducia magna, & ad ſublimiora Regis æterni oſcula humiliter aſſurgat, quouſque ab ipſo gloriæ Rege ſurſum actus, ac proximioribus diſpoſitionibus præparatus, ad cellam vinariam introducatur. *Tunc enim* (vt rectè Caſſianus fermè in hoc propoſito Collat. 10. cap. 6. ſcilicet cùm fuerint hæ diſpoſitiones perfectæ) *conſummatur in nobis illa Saluatoris noſtri oratio, qua pro ſuis Diſcipulis orauit ad Patrem, dicens: Dilectio, qua me dilexiſti, in eis ſit, & ipſi in nobis. Et iterùm: Vt omnes idem ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, quando illa Dei perfecta dilectio, qua prior nos ille dilexit, in noſtri quoque tranſierit cordis affectum, hac Dominica oratione completa, quam credimus nullo modo poſſe caſſari. Quod ita fiet, cùm omnis amor, omne deſiderium,*

*omne*

*omne ſtudium, omnis conatus, omnis cogitatio noſtra, omne quod videmus, quod loquimur, quod ſperamus, Deus erit: illaque vnitas, quæ nunc eſt Patris cum Filio, & Filij cum Patre, in noſtrum fuerit ſenſum mentemque transfuſa: id eſt, vt quemadmodum nos ille ſincera, & pura atque indiſſolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua & inſeparabili dilectione iungamur, ita eidem ſcilicet copulati, vt quidquid ſperamus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus ſit. In illum, inquam, peruenientes quem prædiximus ſinem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri, Vt omnes ſint vnum, ſicut nos vnum ſumus, ego in eis, & tu in me, vt ſint & ipſi conſummati in vnum. & iterùm: Pater, quos didiſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.* Hactenus Caſſianus.

Illud verò aduertas oportet, quòd poſtquam hæc omnia exactè præſtiteris, ne putes te ſublimem hãc vnionis gratiam ex iuſtitia meruiſſe, tibique infallibiliter concedendam; quæ quidem cùm donum ſit Dei ad ſalutem æternam non neceſſarium, non ex iuſtitia obtineri, ſed ex miſericordia & liberalitate diuina, laboribus & gemitibus impetratur. Gratia quidem Dei eſt, & vt accipias, deſidera, & pete; humilibus ſeruata eſt, vt magni in oculis Dei fiant. In terrena republica, prima loca & dignitates ambire, ſuperbia eſt: in domo Dei ad altiorem ſedem & ſanctitatem contendere, magnanimitas eſt.

## CAPVT XXIV.

### *De diſpoſitionibus aliis, quæ à ſolo Deo infunduntur.*

NOBILIVS quidem eſt hoc ad arcanam cum Deo vnionem diſpoſitionis genus, vtpote à ſolo Deo

Deo infuſum; quod ſanè neque induſtria neque cooperatio noſtra, etiam diuinitus ordinario gratiæ influxu adiutæ, pertingere valent: ſuccedit verò aliquando priori diſpoſitionum generi, ſi perfectè exerceatur, hoc ſecundum, quod diuiniſſimum quidem eſt, & proximior ad illam Vnionem, de qua diſſerimus, diſpoſitio.

S. Bonauentura Opuſculo de Septem gradibus contemplationis, priuſquã attingat vnionem illam feliciſſimam, de qua ſermo noſter inſtituitur, præmittit duas in anima diſpoſitiones, veluti inter alias huic vnioni propinquiores, magiſque immediatas, his verbis: *Secundus gradus eſt, Vnctio, id eſt roſeus quidam liquor, qui per totam animam diffuſus eam erudit, corroborat, confortat, diſponens ipſam ſuauiter, ad veritatis certitudines ſuſcipiendas pariter & contemplandas.* Et infrà: *Vnctio mulcet, pinguedinem ſuam infundens vt anima ad ſuſcipiendos diuinos radios in ſe aptior maneat. Tertius eſt, Voluptuoſa interioris hominis eleuatio ſupra ſeipſum; id eſt, deſerto exteriori homine, vt propiùs ad fontem diuini amoris accedat: nam oblito exteriori homine, anima pro viribus ſe ad externa & altiſſima ſurſum extollit, mediantibus actiuis virtutibus, puritate ſcilicet & humilitate: humilitate deſeritur homo exterior, puritate ſurſum agitur interior, vt diuinos radios ſuſcipere poſſit.* Hæc eſt diſpoſitio, iuxta viri ſancti ſententiam, quæ in anima ſolet præcedere, cùm à Deo hac delicioſiſſima vnione reficitur. Eſt autem bipartita. Prima eſt, Liquor quidam cæleſtis, per totam animam diffuſus, eamdem confortans, corroborans, inſtruens, inteneresſcens, ac diſponens ad receptionem & ad contemplationem radiorum veritatis. Secunda eſt Volatus ſiue eleuatio quędam animæ ſupra ſeipſam,

quo

quo oblita hominis exterioris, propiùs accedit ad fontem diuini amoris, ſeſeque erigit, quantum fieri poteſt, ad æterna.

Præcipua verò diſpoſitio ad hanc feliciſſimam animæ cum Deo deſponſationem, eſt ardentiſſimi diuini amoris violentia, quâ Deus animam amoris iaculo vulneratam ad ipſius vnionem & amplexum perducit: quæ diſpoſitio propria eſt viæ Vnitiuæ ſupernaturalis & infuſæ, de qua in hac tractatione diſſerimus. Huius amoris violenti gradus, quibus anima mirificè ad hanc vnionem à Deo effertur & ſublimatur, accuratiùs aliis Richardus à S. Victore in Gradibus amoris violenti perſtrinxit, vbi quatuor huius amoris violenti gradus eruditè deſignat; quorum tres priores ſunt inſtar diſpoſitionum ad quartum, quem non immeritò appellat deficientem, in quo iſta diuina vnio perficitur & conſummatur. Interim Auctoris verba, quanta potero breuitate, Lectoribus proponam: digna ſunt enim vt ab omnibus huic diuinæ vnioni ſtudentibus ſæpiſſimè euoluantur.

*Vis magna*, inquit, *dilectionis, magna virtus charitatis, multi gradus in ea, & in eis magna differentia; & eos quis diſtinguere, vel ſaltem dinumerare ſufficit?* Et dinumeratis aliquibus gradibus, infrà addit: *Supra tamen omnes gradus dilectionis eſt amor iſte ardens & feruens, qui cor neceſſitat, & medullitus transfigit, vt veraciter dicat: Vulnerata charitate ego ſum.* Et ſequitur: *Cogitemus ergo quæ ſit ſupereminentia charitatis Chriſti, quæ dilectionem parentum vincit, amorem prolis ſuperat, affectum carnis tranſcendit vel extinguit, inſuper & animam ſuam in odium vertit. O violentia dilectionis! ô violentia charitatis Chriſti! hoc eſt de quo loqui volumus, de vehementia charitatis, de ſuper-*

*ſupereminentia perfecta æmulationis, aſcendendo ad opera violentæ charitatis, & inuenio quòd charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum induit. Quid horum non violentum? quid horum non validum?* Hæc omnia Richardus. Et poſt pauca proſequitur, dicens: *Primus igitur gradus violenti amoris eſt, quando mens deſiderio ſuo reſiſtere nō poteſt quin vulneretur. Nónne tibi cor paruulum videtur, quando ille igneus amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumq́ue transuerberat in tantum, vt deſiderium ſiue æſtum concipere animo non valeat, deſiderium ardet, affectus æſtuat, anhelat profundè ingemiſcens, & longa ſuſpiria trahens vt dicat: Vulnerata charitate ego ſum?*

De ſignis huius amoris Richardus inferiùs addit, dicens: *Hæc tibi anima vulneratæ certa ſunt ſigna, gemitus & ſuſpiria, vultus pallens atq; tabeſcens, quæ omnia operatur amor vehemens.* Sed pòſt ſubiungit vtilitatem iſtius gradus, dicens: *In primo iſto gradu, Spiritus iſte intrat ſuper mel dulcis ad animam, & inebriat eam in tantum, vt habere dicat mel & lac ſub lingua ſua.* Et parum pòſt: *Hic eſt ille cibus cæleſtis, qui egredientē de Ægypto ſolet reficere, & per ſolitudinem ducere, & paſcere. Hoc eſt illud manna abſconditum, quod nemo ſcit niſi qui accipit, non per doctrinam, ſed per experientiam. Et hic eſt ille dulcor ſuauitatis ſpiritalis, hæc tenera ſuauitas, quæ ſolet lactare & alere, & ad maturitatem paulatim perducere.* Et infrà: *Hoc ergo æſtimo per dilectionis gradum agitur, vt dum mens ſæpè viſitatur, ſæpè reficitur, ſæpè inebriatur, quandoque ad maiora audenda prouocatur, & ad ſecundum gradum charitatis diſponitur* Hæc ille.

*Secundum gradum amoris violenti,* inquit Richardus, *diximus illum qui ligat, ſicut primum diximus qui*

*qui vulnerat. Nónne*, inquit, *ſine omni contradictione animus ligatus eſt, quando omnium obliuiſcitur, vt aliud meditari non poſſit: quia quidquid agat, quidquid dicat, ſemper hoc mente euoluit, perenniq́ue memoria retinet, hoc dormiens ſomniat, hoc vigilans omni hora tractat. Vnde facile eſt perpendere (vt arbitror) quando hic gradus priorem gradum tranſcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam eſſe permittit.* Sequitur: *Rectè igitur dictum eſt, quòd prior gradus ſit qui vulnerat, ſecundus ſit iſte qui ligat. Licet ergo ligare minus ſit quandoque quàm vulnerari, tamen maior violentia videtur eſſe, ſi poſtquam aliquis percuſſus deiicitur, deiectus deprehenditur, deprehenſus abducitur, abductus incarceratur, incarceratus catenatur atque ligatur, & iam omnino captiuus tenetur. Quid horum, quæſo, maius & violentius? Ille liber eſt, iſte autem à loco in quo detinetur recedere non poteſt. Sic vtique qui à ſecundo gradu violentæ charitatis abſorptus eſt, quidquid agat, quocumque ſe vertat, ab illa vna & intima ſolicitudinis ſuæ cura auelli non poteſt, quia ligatus eſt.* Hæc ille.

Prætereà, vt hunc ſecundum amoris gradum perficiat, ita inferiùs ſcribit: *Sicut in priore gradu deguſtata ſuauitas ſatiat animum, transfigitq́ue affectum; ſic in hoc ſecundo gradu inſpecta charitas cogitationem ligat, vt illius obliuiſci, vel aliud cogitare non poßit. Vincula illius Alligatura ſalutis dicuntur in Eccleſiaſtico.*

Ad tertium itaque gradum violenti amoris aſcendit, quàndo omnem alium amorem excludit, quando nihil præter vnum, vel niſi propter vnum diligit, in quo ſponſa languere diuino amore dicitur. *In hoc igitur tertio*, ait, *gradu violentæ charitatis, nihil omnino ſatisfacere poteſt præter vnum, ſicut & nihil ſapere*

*re poteſt niſi & vnum, vnum amat, vnum diligit, vnum ſitit, vnum concupiſcit, ad vnum anhelat, in vnum ſuſpirat, & in vno inardeſcit, in vno requieſcit, vnum ſolum eſt in quo reficitur, vnum ſolum ex quo ſatiatur; nihil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc vno ſolo condiatur.* Sequitur: *Quidquid vltrà ſe offerat, quidquid ſponte occurrat, citò reiicitur, citò conculcatur quod ſuo affectui non militat, vel eius deſiderio non deſeruiat. Sed quis huius affectus tyrannidem dignè deſcribat? quoniam omne deſiderium expellit, omne ſtudium excludit, omne exercitium violenter opprimit quod ſuæ concupiſcentiæ deſeruire non cōſpicit. Quidquid agat, quidquid dicat, quidquid cogitet, inutile, imò intolerabile videtur, niſi in vnum ſui deſiderij finem concurrat. Cùm autem frui poteſt eo quem diligit, omnia pariter ſe habere credit, ſine illo autem horret omnia, corpore deficit, corde tabeſcit & langueſcit, conſilium non accipit, rationi non acquieſcit, nullam conſolationem admittit, ſed clamat cum ſponſa: Nuntiate dilecto, quia amore langueo. Vbi ait Gloſſa: Præ amoris magnitudine omnia temporalia ſunt mihi faſtidio.* Et infrà: *Tertius itaque gradus amoris eſt, quando mens rapitur in Deum luminis abyſſum, ita vt humanus animus in hoc ſtatu omnium exteriorum oblitus, penitùs neſciat ſeipſum, totumque tranſeat in Deum ſuum. In hoc itaque gradu compeſcitur plenè carnalium deſideriorum turba, & fit in cælo ſilentium quaſi dimidia hora. In hoc namque gradu, dum mens à ſeipſa alienatur, dum in illud diuinum ſecretarium rapitur, dum ab illo diuini amoris incendio circumdatur, intimè penetratur & inflammatur, ſeipſam penitùs exurit, & diuinum quemdam affectum induit, & inſpectæ pulchritudini configurata tota in aliam gloriam tranſit. In hoc ſtatu, anima in illum quem diligit liqueſcit, & in ſeip-*

*ſa tota langueſcit, vt dicat: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Vnde idem Auctor infert, quòd *ſicut primus gradus affectum ſauciat, ſic ſecundus ſauciatum ligat, & tertius actionem implicat vt animus circa aliqua occupari non poſſit, niſi quò eam voluntatis diuinæ motus transfert vel impellit: & ſic qui ad hunc tertium gradum amoris profecerunt, nihil iam propria voluntate agunt, nihil omnino ſuo arbitrio relinquunt, ſed diuinæ diſpenſationi omnia committunt.* Hactenus ille. Quod cautè legas, vt non operationem totaliter excludas creaturæ: vnde idem Richardus addit, dicens: *Sicut artifex liquefactis metallis formam quamcumque voluerit imprimit, ſic anima in illo ſtatu ad omnem diuinæ voluntatis nutum ſe facilè applicat, imò ſpontaneo quodam deſiderio ad omne eius arbitrium ſeipſum accommodat, & iuxta diuini beneplaciti modum omnem voluntatem ſuam informat, vt obediat cum Chriſto vſque ad mortem. Huic exemplari quilibet ſe debet conformare, qui vult ſummæ charitatis gradum attingere.*

Hæ ſunt præuiæ & proximæ diſpoſitiones ad ecſtaticam & fruitiuam illam Vnionem, de qua agimus, vt expreſsè ex ſequentibus verbis Richardi colligitur, dum inquit: *Quartus gradus violentæ charitatis eſt, quando æſtuantis animi deſiderio iam omnino nihil ſatisfacere poteſt, & ideò ad defectum ducit.* Sequitur: *Quis huius ſupremi gradus violentiam dignè penſare ſufficiat? quid quæſo cor hominis profundiùs penetrat, vehementiùs exagitat, quā quòd ſitim ſuam nec reſiſtendo temperare, nec inebriando exſtinguere poßit? In hoc prætereà gradu eſt amor inſuperabilis, quia alij affectui etiam maiori non cedit; inſeparabilis eſt, quia à memoria numquam recedit; ſin-*

*gularis*

*gularis eſt, quia ſocium non recipit; inſatiabilis eſt, quia ei ſatisfieri non poterit.*

Ex his intelligi poterit, qua ratione proxima ad hanc fruitiuam & ebriam vnionem diſpoſitio procedat ab hoc amore violento ſiue vulnerante, qui ſauciat, ligat, & languere facit animam; ad quem languorem ſequitur defectus ſiue mors illa, quâ anima extra omnes ſenſus ponitur, & in Deum mediâ vnione transformatur.

Hæ ſunt diſpoſitiones, quæ à Deo liberaliſſimè donari ſolent iis, qui ad ineffabilem iſtius Vnionis gratiam diuinitus excitantur; quæ quidem omnes in amore violento fundantur: neque enim alia via ad amoroſam vnionem eſſe poteſt niſi per amorem. Huiuſmodi autem ſupernaturales & infuſæ diſpoſitiones prioribus diſpoſitionibus, de quibus capitibus præcedentibus tractauimus, ſuccedere ſolent. Quòd ſi illas cum Dei gratia præſtiteris, haſque, quæ proximiores ſunt, non acceperis; dices humiliter in corde tuo: Seruus inutilis ſum, quod debui facere feci. Quòd ſi meis laboribus & conatibus, quam cupio & poſtulo, vnionem hanc fruitiuam non fuerim conſecutus, ſufficiet mihi ad illam vnionem & conformitatem cum diuina voluntate, quæ totius perfectionis finis eſt, ſi poſſim peruenire: in hac enim ſita eſt Chriſtianæ vitæ perfectio. Ad hanc vnio illa fruitiua & myſtica, tamquam in potiſſimum ſcopum deſtinatur: ſine hac nullus vnquam Sanctorum vixit, multi forſan ſine huius fruitiuæ vnionis deguſtatione feliciter obierunt.



Digitized by Google

## CAPVT XXV.

### *Effectus diuinæ & fruitiuæ Vnionis.*

§. 1.

ARCANA hæc & myſtica Vnio (vt in ſuperioribus oſtendimus) Sapientia diuiniſſima tam à S. Dionyſio Theologorum Principe, quàm ab aliis Myſticis nuncupatur. Huic autem Sapientiæ dono multiplex in Scriptura fructus adſcribitur. Et vt interim alios prætermittã, de quibus paſſim frequens mentio in Scripturis ſacris inuenitur, illud planè ceteros excedit, quòd ſublime hoc Sapientiæ donum, omnium bonorum theſaurum ſecum proferat, de quo præclarè Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*: quia cùm hæc diuina Sapientia (de qua ſermonem inſtituimus) ſit amplexus & deguſtatio ſummi boni, nempe ipſius Dei; non mirum ſi deguſtanti Deum, vberrimum omnium bonorum fontem, ab ipſo omnia bona veluti riuuli à fonte in animam deriuentur.

Oportet autem iſtum bonorum omnium cumulum ſpeciatim recenſere, vt huius vnionis multiplex effectus clariùs cognoſcatur. Non deſunt in Scriptura ſacra quamplurima teſtimonia, ex quibus perſpicuè hos liceat diuinæ Sapientiæ colligere fructus. S. Paulus Apoſtolus ad Galat. 5. Spiritus ſancti fructus (Spiritus inquam ſancti animæ vniti, eámque delicioſiſſimè deoſculantis) enumerat, dicens: *Fructus autem Spiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, manſuetudo, modeſtia, continentia & caſtitas*. Hi autem fructus dicunt, (vt optimè aduertit D. Bonauentura 3. p. Centiloquij cap. 46.) affectuales delectationes circa bonitatem ſponſi deguſtandam. Ex

mente verò D. Thomæ 1.2. q.70. art.3. important optimam mentis ordinationem & diſpoſitionem circa fruitionem bonorum, & fugam ſiue ceſſationem malorum. Primo autem loco ponitur charitas, in qua ſpecialiter Spiritus ſanctus datur, ſicut in propria ſimilitudine, nempe in charitate ipſa, quæ denotat amorem; vel in ſeipſo, cùm Spiritus ſanctus puriſſimis iuſtorum mentibus per vnitiuum amoris amplexum ſe manifeſtat.

In vtroque ſenſu locutus eſt Paulus ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ad amorem autem charitatis ardentiſſimũ ex neceſſitate ſequitur gaudium: omnis enim amans gaudet ex coniunctione amati, & quò maior coniunctio, maius parit gaudium; vnde realis & arctiſſima ſponſæ cum ſponſo coniunctio ſiue vnio, ſummum gaudium efficiet. Amorem verò gaudiique ingentem cumulum conſequitur pax & quies in amato, longanimitas, aliique fructus, qui omnes iuſtorũ mentes, qui hac diuina fruuntur vnione, mirificè ornant & perficiunt.

Præterea Iſaias vberrimam tempore aduentus Chriſti futuram diuinorum chariſmatum affluentiam à longè proſpiciens, multis in locis huius ineffabilis cum Deo vnionis varios exponit effectus. Cap. 35. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron: ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Et infrà: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum; quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci; & erit ibi ſemita*

 *& via,*

*& via, & via ſancta vocabitur,* &c. Et poſt pauca: *Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam. Et venient in Sion in laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt.* Idem Iſaias cap. 58. *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Et paucis interiectis: *Et ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Demum idem cap. 65. *Ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* Et c. 60. *Et ponam,* inquit, *viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam. Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis, & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendū per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam,* &c. Hactenus Iſaias.

Reuerà, ſi ſublimi mentis intuitu prædicta Iſaiæ verba conſiderentur, in his præſentis vitę ſtatus floridiſſimus ac iucundiſſimus non multùm diſſimilis æternæ felicitati apertè deſcribitur. Quid enim tam proprium eſt veræ beatitudini, quàm tranquillitas iugis, gaudium ſempiternum, inextinguibile lumen, omnis mali carentia, ac bonorum omnium affluentia & cumulus. Hoc igitur ipſum puriſſimis iuſtorum animabus, quandò etiam in hac vita ad ſublimem hanc peruenerint cum Deo vnionem, ferè promittit. Deſcendamus igitur in hos irriguos hortos, & ſpeciatim hos fructus ſiue effectus ſuauiſſimos colligamus.

Omnes

Digitized by Google

Omnes verò congruè reduci poſſunt ad decem ſequentes. Primus eſt, Immenſa ferè animæ Deo vnitæ gratia & pulchritudo. Secundus, Lucis, ſiue veritatis ſplendor. Tertius, Charitatis ardor. Quartus, Ineffabilis ſuauitas. Quintus, Pax exuperans omnem ſenſum. Sextus, Virtutum omnium ornatus. Septimus, Vera Chriſti imitatio. Octauus, Rerum humanarum contemptus. Nonus, Perfecta mandatorum Dei & Eccleſię adimpletio. Decimus, Mirabilis corporis tranſmutatio.

## *Primus Vnionis effectus, Immenſa animæ Deo vnitæ pulchritudo.*

§. 2.

Hoc igitur inter alia præcipuum eſt, quod hæc Vnio in iuſtis efficit, quòd eorũ animas ſummo gratiæ decore & pulchritudine afficit, ita vt deinceps non ſolùm pulchræ, ſed & pulcherrimæ ſponſi ore nuncupentur. Cant. 1. *O pulcherrima mulierum* ab eodem ſponſo vocatur; quod non obſcurè illis Iſaiæ verbis cap. 35. *Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli*, denotatur; in quibus ſpeciem & decorem animæ, montibus Libani & Carmeli ideò comparat, quia illi montes ſpecioſiſſimi, pulcherrimi ac delicioſiſſimi erant inter alios. Hoc quidem alia veluti dicendi phraſi cap. 58. Iſaias expreſſit, dicens: *Et eris quaſi hortus irriguus.* Magna ſanè eſt hortorum amœnitas & iucunditas; quare Deus animam ad tantam felicitatem euectam, non immeritò cum irriguo horto comparat, cui iugis aqua ſiue ros cæleſtis deeſſe non ſolent.

Præterea, quanta ſit animæ ad tantam gloriam ſublimatæ gratia & pulchritudo, ex eo facilè coniici poteſt, quòd Deus eam ſpirituali ſibi connubio iun-

xerit, ſponſamque dicauerit. Hanc ſæpè Deus ita alloquitur: Tu es filia mea dilecta. Tu ſponſa mea, n qua mihi benè complacui. Aliquando verò (non amen ſine diuina reuelatione) anima ad hunc peringens ſtatum, non ſolùm de ſua acceptatione ſiue gratia redditur certa, ita vt aliquando ſimilia verba audire mereatur: Sufficit tibi gratia mea; ſed etiam de ſpeciali Dei protectione, ſiue in gratia confirmatione, (vt Apoſtolis contigit,) reddatur ſecura.

Hanc deinde miram gratiæ plenitudinem ſolent alia dona ſiue Spiritus ſancti chariſmata comitari, qualia ſunt ea quæ Apoſtolus 1. Cor. 12. enumerat, dicens: *Alij per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eumdem Spiritum; alij gratia ſanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.* Nam cùm gratiæ gratis datæ præcipuè in eum finem à Deo infundantur, vt homo aliis cooperetur, eoſque ad Deum deducat; huiuſmodi autem puriſſimæ mentes non ſolùm in propriam, ſed etiam in communem Eccleſię vtilitatem eligantur à Deo; conueniens quidē videtur eas ſimilibus donis ac gratiis à Deo condecorari.

Præthereà, duplici de cauſa (vt auctor eſt D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 5.) ſolet Deus aliquibus certitudinem ſuæ gratię reuelare. Prima, vt ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat. Secunda, vt confidentiùs & fortiùs magnifica opera proſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant. Quare cùm puriſſimæ iſtorum animæ ſæpè à Deo ad magnorum operum proſecutionem deſtinentur, ne tantorum operum difficultate ſuccumbere contingat, non ſine diuino conſilio de ſua acceptatione & perſeuerantia in bono redduntur ſecuræ.

Hanc

Hanc gratiarum abundantiam & plenitudinem illis etiam verbis cap. 35. expreſſit Iſaias: *Sciſſæ*, inquit, *ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.* Quaſi dicat, cataractæ cæli, id eſt diuinarum influentiarum, apertæ ſunt, & pluit illud diuinum manna ſuper eas, quæ hanc cum Deo arcanam coniunctionem deguſtarunt.

Denotatur prætereà non obſcurè ab eodem Iſaia cap. 58. iſta etiam in bono confirmatio, quam ſolet ſanctiſſimis, rariſſimis tamen, viris Deus elargiri. *Eris*, inquit, *ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ* (aquæ inquam gratiæ, ſanantis & ſalientis in vitam æternam.) Et illis etiam verbis cap. 60. *Et non occidet vltra Sol tuus, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.*

### *Secundus effectus, Splendor lucis.*

§. 3.

PRÆCIPVVM inter alios huius Vnionis effectus locum ſibi vendicat ſublimis & perfecta diuinorum ſiue myſteriorum fidei cognitio, ac ipſius Dei perſpicax claruſque (quantum in hac vita permittitur) intuitus. *Videbunt*, inquit Iſaias c. 55. *gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* Quæ quidem viſio, licet non ſit omnino intuitiua, eſt tamen proxima valdeque vicina Beatorum viſioni; manifeſtat enim ſeipſum Deus in hac vnione homini mortali, quantum fas eſt in hac vita; qui quamuis Deum ſicuti eſt non videat, videt tamen id quod eſt, vt ex D. Bernardo ſuperiùs tradidimus.

Hanc prætereà lucis diuinę vbertatem & affluentiam apertis verbis idem Iſaias cap. 58. ſignificauit, dicens: *Et implebit ſplendoribus animam tuam.* De hac diuinitus infuſa luce optimè Macarius Homi-



Digitized by Google

lia 8. *Interdum lumen ipſum cor illuſtrans, aperuit interius & profundius ac latens lumen, ita vt totus homo abſorptus ab illa ſuauitate & contemplatione, non ſit vltrà ſui compos, ſed ſit tamquam ſtultus & barbarus huic mundo, propter immenſam dilectionem ac ſuauitatem, atque recondita myſteria, ita vt tunc temporis homo liber perueniat ad perfectum gradum, ſitque purus & immunis à peccato.*

Hanc etiam lucis plenitudinem commendat Iſaias c. 60. dum inquit: *Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Quaſi denotet, animas ad tantam cum Deo vnionem euectas, ab ipſo immediatè fore deinceps edocendas, ita vt ampliùs exteriori magiſtrorum doctrina non egeant; ipſe enim Spiritus diuinus ſua vnctione docebit illas omnem veritatem, quod idem Propheta anteà prædixerat cap. 54. *Et erunt homines docibiles Dei.* Ipſe enim Deus eſt qui docet de omnibus, & ſpirituales myſticoſque ſenſus animæ ſibi vnitæ aperit, creberrimè, vel etiam indeſinenter eam viſitat, adſtringit, oſculatur, illuſtrat, accendit, penetrat, & implet. Nam cùm talis anima ſit ſpeculum iam clarum ſine macula diuino Soli conuenienter obiectum ſubſtratumque, ipſe Sol iuſtitiæ non ceſſat aſſiduè ſtillicidia gratiæ, radios ſapientiæ, & charitatis ſcintillas in eam diffundere. Valdè quidem ſublimiter atque mirabiliter Deus ſe nonnumquam animæ perfectæ reuelat atque manifeſtat; nondum tamen ſe oſtendit ſicuti eſt in ſua ineffabili gloria, ſed ſicut in hac vita videri poteſt.

Magna prætereà myſteriorum fidei penetratione ac certitudine huiuſmodi animæ præditæ ſunt, quia lumine æternæ veritatis deſuper illuſtrantur; quare ſi om-

Digitized by Google

ſi omnes mundi ſapientes homini myſticam vnionem experto dicerent, Falleris miſer, fides tua non eſt vera. ipſe indubitanter reſponderet: Imò verò vos omnes fallimini, nam fides mea veriſſima certiſſimaque eſt. Hoc firmiter reſponderet, habens in corde ſuo, non tam per inueſtigationem rationis, quàm per vnionem amoris, infallibile fundamentum. Meliùs ſanè talis diuinitatem cognoſcit, quàm cognoſcant plerique eruditi Magiſtri, qui in Sancta ſanctorum & in ſecretum Regis æterni cubiculum nondum admiſſi, nondum lumine gratiæ excellenter illuſtrati ſunt. Dei virtute diuinarum Scripturarum ſenſus aperit, guſtumque Euangeliorum donat. Ipſe ergo veram ſapientiam ex influentia Spiritus ſancti magis quàm ex multorum librorum lectione acquirens, clarè videt & intelligit quid ſibi vel aliis agendum, quidque dimittendum ſit.

Quamuis verò ipſi nobiliſſimi ſpiritus diuino lumine copiosè illuſtrentur, in quo clarè cognoſcũt quid agere & quid dimittere debeant; libenter tamen propter Deum aliis ſe ſubmittunt, vt ab eis aliquid addiſcant; libenter omnibus ſecundùm Deum obtemperant, libenter infimum locum vbique tenent, neque propter dona nobiliſſima quæ accipiunt, extolluntur; quia in nihilum ſuum ſe profundiſſimè demergunt.

Prætereà, hac veritate, quæ Deus ipſe eſt, anima illuſtrata, vt præclarè quidam deuotus Auctor philoſophatur, omnium cernit creaturarum labentium vilitatem & nihilum, agnoſcitque vilia vt vilia, & pretioſa vt pretioſa. Videt inquam in hoc lumine, quàm viles & nihil ſint omnes res terrenæ, quantumque illarum amor ſibi adferat detrimenti. Vnde iam ab illis ſibi vlteriùs imponi non ſuſtinet, tametſi

plures

plures alios eas inſequi videat: perinde ac ſi quis veneno cibum infectum nollet, licet multi ex illo ederent, dicerentque ei, Comede, quia cibus bonus eſt; ille nihilominùs abſtineret ſe, & diceret: Venenum eſt in cibo, ideoque non poſſum inde ſumere; vos autem planè ſtolidi eſtis, dum inde editis, quandoquidem certa vos mors manet. Similiter, ſi quis turrim cerneret iam iamque ruituram, quantumlibet inuitaretur ab aliis ad ingreſſum, dicentibus vt ſecurus in ea moraretur, quando & ipſi idem facerent; ſi quis illi ſenſus eſſet, non [illegible]que intraret, ſed illos potiùs irrideret. Hoc igitur lumine quiſquis perfuſus eſt & regitur, non modò terrena non diligit, ſed etiam odio ea & contemptui habebit, tamquam mortem inferentia. Enimuerò animam veneno inficiunt; cumque certo certiùs ruitura ſint, animam ſecum trahunt in præcipitium mortis æternæ. Quòd etſi aliquo in caſu terrena hæc vtilia ipſi fore, aut commodum temporale allatura videantur, iſto tamen lumine illis renuntiare docetur, eò quòd lucra potiora ſectetur. Quomodo ſi quis Imperatori prædiolum, licet non contemnendum, ſexaginta libris venale offerat, quod alioqui ſeptuaginta vendi poſſit, contemneretur vtique ab Imperatore, recuſaretque hic audire tam friuola offerentem, quandoquidem integra is oppida caſtraque mercari potiùs ſtudet, eſtque rebus & negotiis potioribus intentus. Sic anima cæleſtibus lucris inhians & occupata, terrenis & temporalibus emolumentis dedignatur animum apponere.

In hoc præterea lumine cunctarum animæ virtutum perfectio confertur à Deo. Quid eſt enim aliud humilitas, niſi quoddam lumen veritatis? Quid charitas, quid patientia, quid obedientia, quid virtutes

tutes ceteræ, niſi quædam ſunt lumina veritatis? Dirigitur ergo anima iſto lumine ad ipſarum virtutum vim & efficaciam diſcernendam, earumque exercitia amplectenda, atque per hoc ad ipſas virtutes perfectè apprehendendas poſſidendaſque. Vnde ſi cuipiam hoc illuſtrato lumine vel centum totius orbis elegantiſſimæ feminæ proponerentur, mox eas faſtidiret, nec vel breuiſſimo temporis puncto ad luxuriam moueretur. Idemque gulam non ſolùm reſpuit, ſed & cum tædio ingenti magnoque cruciatu mollia ac delicata cibaria, ſi ſibi apponerentur, perciperet. Eodem modo ex huius operatione luminis alia omnia abhorret vitia, eorum malitiâ conſideratâ. Et in ſumma, dirigitur per hoc lumen in ſingulis quibuſque rebus & operibus particularibus, quandoquidem illuſtratur ab ipſo, quo repletus eſt, ad conſiderandum in cunctis ſibi occurrentibus honorem & voluntatem Dei. Cùm enim hunc ſolum diligat, eius honorem & voluntatem quærit, ſpectat & intendit in omnibus, exemplo Ieſu Chriſti, qui tempore paſſionis hæc duo ſtudioſiſſimè obſeruauit, nobiſque imitanda reliquit. Inclinando etenim ſeſe in oratione, inſtar pauperis cuiuſdam homuncionis, honorauit Patrem: dicendoque, *Non mea, ſed tua voluntas fiat*, eiuſdem quæſiuit voluntatem. Sic igitur anima per hoc lumen, exemplum ſequitur Chriſti Domini ſui, vt ſi id quod occurrit, cum honore & voluntate Dei conſentiat, prompto illud animo exequatur: ſin verò alteri horum ſeu vtrique ſentiat eſſe aduerſum, reſpuat ac deteſtetur, nec pro re qualibet aut pro cuiuſquam gratia illud admittat, faciátve. Hac de cauſa à verbis otioſis, prauis cogitationibus, & vitiis atque peccatis omnibus cauet ſibi pro viribus, cùm ſciat illa omnia diuino honori



Digitized by Google

ac voluntati eſſe contraria, vti per hoc lumen perfectiùs edocetur.

Deinde, vbi in hac Via anima benè aſſuefacta & roborata eſt, non intercipitur nec impeditur illi hoc lumen propter occupationes alias bonas interdum occurrentes, vt eſt cura regiminis animarũ, ſollicitudo concionandi, aut proximis quippiam vel obſequij vel beneficij impendendi. Vt enim aliquis cernens murum aliquanto ſpatio à ſe diſtantem, vno oculorum adſpectu tam murum ipſum, quàm quæque interpoſita media contemplatur: ſic anima hoc illuſtrata lumine, & Deum ſimul, & omnia propter Deum agenda videt. Neque tamen propterea recedit à via iam cœpta, tametſi contemplatio interdum Dei cauſis intermittatur. In hoc etiam lumine cognoſcit anima vilitatis ſuæ veritatem; quantoque viciniùs Deo coniungitur, tantò ſe viliorem cenſet, quia ſeſe clariùs conſpicit quid ſit, quidque habeat à ſeipſa. Et quia nihil ſibi reſeruat neque appropriat de omnibus receptis à Deo, vel de bonis quę ex eius munere facit, ſed omnia illi fert accepta à quo habet, cunctaque, quæ accipit ab eius benignitate, ſine ſuis meritis ſibi collata nouit; ideò non extollitur, nec propter ingratitudinem donis Dei priuatur. Imò Dominus ipſe nihil eum furari vel vſurpare ſibi temerè animaduertens, ſed omnia in ſe refundere, vbertim in ea collocat theſauros ſuos: multoque ei plura largitur quàm vel petat ipſa, vel deſideret. Hęc verò omnia conſequitur anima ex hac expropriatione & abnegatione ſui. Enimuerò peſtiferis excluſis ac profligatis cupiditatibus, ambitionibus, inordinatis affectibus, propriis voluntatibus, atque vniuerſis demum creatis amoris mediis, quæ animam obſcuram reddunt & obcæcant, mox diuina

lux

lux ingreditur, illuſtrans, replens & docens eam de omnibus. Neque tamen ex hac ſui expropriatione dictam dumtaxat luminis veritatis gratiam anima conſequitur, ſed etiam gratiam ſtabilitatis & pacis; & tunc reuerà eam Deus inhabitat, qui nuſquam habitare dignatur, niſi in tabernaculo pacis.

Vnde iam talis anima, in afflictionibus, damnis, iniuriis & preſſuris quibuſcumque tranquillam ſeruat patientiam, manetque ſtabilis & fortis in Deo, in quem ſeſe ex toto proiecit, & in quo manet, ſicut & ipſe in ea; cui etiam ſe totum commiſit, ipſiuſque ſe voluntati cóformat in omnibus. Ideoque animaduertens grauamina quęque ex mera Dei voluntate accidere, conſentit eidem, & non patienter modò, verùm etiam libenter ſuſtinet vniuerſa. Vnde fit, vt verba iniurioſa, damnáve temporalia, imò nec totus eam contingat mundus, cùm non poſſint iſta pertingere vſque ad Deum, in quo anima ſuam conſtituit hereditatem, nec eſt colligata ampliùs terrenis rebus & cupiditatibus, ideoque iam non illic eam reperiunt, vbi eſſe conſueuerat: haud ſecùs, quàm ſi me quiſpiam inquirens, loca ſcrutaretur omnia, in quibus antè eſſe ſolitus fui, adeoque vel mundum vniuerſum, eo dumtaxat in quo nunc eſſem loco excepto; me vtique minimè reperiret: & ſicut domus, dum abſente & ignorante domino ignibus conflagratur, dolorem non infert domino: ſic qui temporalia per amorem non adſpicit, damna iacturamque illorum ducit pro nihilo. Vigorem nihilominùs roburque accipit per exemplum Chriſti in ea commorantis, qui tot tantaque pro ipſa perpeſſus eſt, vt hæc mente reuoluens diſſimulare non poſſit, quin fortiter amore inardeſcat reciproco, cupiatque ipſi conformari, gaudeatque in cruce & af-

flictio-

flictionibus, ita vt de nullo euentu ampliùs vel lætetur vel turbetur inordinatè. Hinc etiam conſequitur anima ſtabilitatem ſenſuum ſui corporis. Poſtquam enim propter amorem Creatoris, omnium à ſe rerum creatarum abiecit amorem, non vagatur neque diſcurrit ampliùs ſenſibus ſuis per eaſdem, ſed eis frænum iniicit, & Deo commendat, ſtabili fide & amore fixa in eo, dicens cùm ab oratione recedit: Domine teneas me ligatum tecum, regéque ſenſus meos, nec permittas me vagari extra te.

Et vt ſummatim dicam, adipiſcitur anima ex hac abnegatione & expropriatione ſui tam liberum ſui corporis dominium, tantamq; inter carnem & ſpiritum pacem & concordiam, vt deinceps non à ſeſe inuicem diſſentiant, ſed caro promptè ſe ſubiicit ſpiritui, ſequens illum in omnibus quæcumq; exercere velit, tam in rigore abſtinentiæ & vigiliis, quàm laboribus & moleſtiis quibuſcumque. Cùm enim recordatur corpus ſiue ſenſualis homo, anima docente, ſub quantis preſſuris & anguſtiis ſudare conſueuit propter cupiditatem, auaritiam, ambitionem, & propriam voluntatem ſiue impatientiam ſuam, iamque in magna ſe pace cernit conſtitutum; libens amplectitur quoſcumque labores pœnitentiæ, tantùm vt liberetur à priſtinis laboribus ſuis infructuoſis, imò & damnoſis, magiſque cruciantibus: ſicut ſi quis certus eſſet pro centum denariis mille ſe recepturum auri pondera, non vtique graue illi foret centum dare denarios, imò libenter exponeret ducentos: ita corpus pro ingenti ducit lucro labores omnes ſpiritui neceſſarios, adeò vt hilariter ſæpè etiam ſpiritum anteuertere & præcurrere conetur.

Ter-

Digitized by Google

## *Tertius effectus, Ardor amoris.*

§. 4.

IMMENSÆ (vt ita dicam) claritati, qua intellectiua potentia Deum ſibi præſentem ac vnitum contemplatur, ſuccedit ardentiſſimus ac incomprehenſibilis amor, totum animæ regnum, nempe potentiarum ſuperiorum & inferiorum, vigorosè perfluens, ſecundùm capacitatem & exigentiam vniuſcuiuſcumque: facit enim animam ardore ſuo liqueſcere, ac in amorem diuinum, qui ſine menſura eſt, transformari; ſolus amor eſt medium, quo anima diuino complexu Deo ſociatur, coniungitur, adhæret, ac veluti diuino copulatur matrimonio. Magna quidem eſt vis & violentia amoris, qua ad tantam dignitatem & celſitudinem anima paſſionum mole grauata attollitur, vt vnus ſpiritus cum Deo fiat, ac tota defæcata, in Deumque transformata, Dei proprietates ſimilitudinemque participet. Non quidem obſcurè mirabilem hanc in Deum per amorem transformationem expreſſit Iſaias illis verbis: *Et implebit eam ſplendoribus.* Denotat autem *ſplendor* non ſolùm lucem, ſed & fulgorem ardorémve, quo anima veluti ſplendidiſſimo ac ardentiſſimo diuini ignis radio penetrata, tota in Deum, non aliter ac lignum in ignem, conuertitur ac transformatur.

Ex hoc vberrimo amoris fonte oritur in anima immenſum quaſi deſiderium videndi mellifluam ſponſi faciem: vnde quaſi turtur ſolitaria à ſeipſa deficiens, pænè liquefacta & exanimata ſuper immenſitate deliciarum & diuitiarum gloriæ Dei ſui, deficit & anxiatur præ tædio præſentis vitæ, vt egregiè S. Baſilius ſequentibus verbis docet in Regulis

Nn fuſiùs

fuſiùs diſputatis, Interrogatione 2. *Ea*, inquit, *Domini pulchritudo, ſi quando Sanctorum virorũ quempiam circumfulſit, intolerabilem eorum in animis deſiderij aculeum reliquit, quippe qui, cùm vehementer eos vita huius tæderet, in voces illas erumpere ſoliti eſſent: Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt. &, Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. &, Diſſolui & eſſe cum Chriſto longè melius eſt. &, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. &, Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. Vehementer enim vitam hanc, veluti tetrum quemdam carcerem abhorrebant, vſque adeò difficiles ad cohibendum animos erant ij, quorum mentes Dei amor perſtrinxerat. Cùm enim inexplebili intuendæ diuinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, vt æquata infinito ſempiternæ vitæ curriculo ſibi iucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur.*

Beatus Macarius præclarè Homil. 10. animæ ſitientis Dei faciem ac alios ardentiſſimi amoris effectus expreſſit, dicens: *Huiuſmodi animæ, quæ tam ardenti & inſatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ ſunt vita æterna, accipiuntque perfectam illuminationem, & participationem ſancti & arcani Spiritus, ac myſticæ ſocietatis in plenitudine gratiæ.* Et paulò infrà: *Porrò anima, quæ Deum veréque Chriſtum colit, etiamſi infinita iuſtitiæ opera ediderit, ita ſe habet, perinde ac ſi nihil egiſſet, propter inexplebile deſiderium quod habet erga Dominum; quæ licet ieiuniis aut vigiliis corpus conſumpſerit, ita affecta eſt, ac ſi nondum quidquam agere cœpiſſet, quod ad virtutes pertineat. Etſi varia Spiritus chariſmata, aut reuelationes ac myſteria cæleſtia conſequi meruerit, propter immenſam & inſatiabilem dilectionem erga Dominum ita ſe gerit apud ſe, ac ſi nihil adhuc obtineret,*

*ſed*

*ſed quotidie eſuriens & ſitiens, per fidem & charitatem perſeuerans in oratione, immodicè ad myſteria gratiæ, & ad omnium virtutum gradum aſpirat, cæleſti Spiritus amore vulnerata, ardenti deſiderio erga ſponſum cæleſtem (per gratiam, qua prædita eſt, agitata) deſiderans habere perfectè myſticam & arcanam cum eo ſocietatem in ſanctificatione ſpiritus, reuelata animæ facie, fixis ſemper oculis intuens ſponſum cæleſtem facie ad faciem, beneficio ſpiritalis & ineffabilis luminis in eo per dulcedinem fidei plenè demerſa, configurata morti ipſius præ ſummo deſiderio, quo perpetuò ſperat pro Chriſto mortem oppetere; confidens ſine dubio, per gratiam Spiritus ſe plenè liberatam iri à peccato & tenebris affectionum; vt purificata per Spiritum, & anima & corpore ſanctificata, vas purum euadere mereatur ad ſuſcipiendam cæleſtem vnitionem, in qua manere dignetur cæleſtis ac verus Rex Chriſtus.*

Demum ipſe quoque Macarius Homil. 4. in eodem propoſito loquens, ita ſcribit: *Si ergo carnalis dilectio ſic hominem ſoluit ab omni alio amore, quantò magis ſoluentur ab omni dilectione mundi, quicumque digni habiti ſunt vt ſancti, cæleſtis & ſemper amandi illius Spiritus verè participes fierent, & cuncta videbuntur eis inutilia, propterea quia victi ſunt à deſiderio cæleſti, & in ipſo caſu Spiritui illi vniti. Nam quæ illic ſunt, deſiderant & cogitant, illic viuunt, illic cogitationes inambulant, ibi mens aſſiduè verſatur, diuino & cæleſti amore atque deſiderio ſpiritali ſuperata.*

Iſte verò diuinus amor, quo anima omnino videtur accenſa, non eſt impetuoſus, violentus, aut valdè feruidus, ſicut in initio eſſe ſolebat; ſed potiùs eſt omnino ſerenus, quietus & purus, adinſtar ollæ, in qua antequam perfectè decoquatur cibus,

ita feruet, vt exteriùs effundatur; factâ verò cibi decoctione, interior calor quieſcit. Præterea, quò flumen eſt profundius, eò aquæ exteriùs apparent magis ſerenæ & tranquillæ: ita quidem quantò diuinus amor maiores & profundiores immiſit in anima radices, eò exteriùs magis tranquillus apparet.

*Quartus effectus, Ineffabilis ſuauitas.*

§. 5.

LVCEM & claritatem illam immenſam, amorem animæ incomprehenſibilem, de quibus ſuperiùs aliqua prænotauimus, quædam quaſi beatifica fruitio (qui eſt quartus huius diuinæ Vnionis fructus) conſequitur. Hæc autem fruitio tam immenſa eſt, quòd per eam feliciter anima abſorbetur in quamdam inſcientiam & ingentem ſui abſorptionem, in qua experitur æternæ dulcedinis ſaporem, ac ibi ſummo bono intimè coniuncta, experimento ipſo agnoſcit quoniam ſuauis eſt Dominus. Ad ſummam enim cùm hîc pertigerit anima cum Deo coniunctionem, ac amantis cum amato deoſculationem, neceſſe eſt vt ſummum etiam gaudium experiatur. Hæc enim ſummæ dulcedinis perceptio, effectus eſt coniunctionis rei amatæ cum amato; & quò intimior ac immediatior fuerit connexio ac vnio, eò magis gaudium accreſcit. Gaudent in cælis animæ iuſtorum, quia iſta cum Deo ſummo bono coniunctione fruuntur: gaudeant etiam in terris animæ perfectorum, quibus iſta feliciſſima cum Deo vnio ac transformatio contingere ſolet.

Hanc animæ Deo vnitæ iucunditatem & exultationem multis verbis exponit Iſaias cap. 35. *Sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine:* id eſt, torrente voluptatis diuinæ potabit eos Dominus.

Et

Et infrà: *Et lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, & gaudium, & lætitiam obtinebunt.* Idem cap. 58 *Et cibabo te hereditate Iacob patris tui*; id eſt, peruenies ad terram promiſſionis fluentem lac & mel, quod verè denotat ingentem lætitiæ & conſolationis abundantiam. Demum cap 75. *Ego creo cælos nouos, & terram nouam*, id eſt, pro his qui ardentiſſimo amore mihi fuerint coniuncti, nouum cælum, id eſt, nouum viuendi modum adinſtar cæleſtis gloriæ, eis liberaliſſima manu concedam; ita vt, ſicut beatiſſimi illi ſpiritus Deum videntes immenſa luce, ardentiſſimo amore ac ineffabili gaudio fruuntur; ita & hi, licet non ita plenè, perpetua lætitia, inextinguibili veritatis ſplendore ac Seraphico amore etiam in hac peregrinatione afficientur.

Et quidem anima in Deum per hanc arcanam vnionem immerſa atque abſorpta, vltrò citroque in Diuinitate enatare videtur, abundátque ineffabili gaudio, quod etiam copiosè redundat in corpus; iamque illa in hoc exilio conſtituta vitam æternam incipit deguſtare, ac ſuo modo Beatorum dotibus indui, vt præclarè Caſſianus Coll. 1. c. 13. proſequitur, vbi ſtatum perfectorum in hac vita, quantum ad gaudium & lætitiam quibus in hac peregrinatione fruuntur, illis cæleſtibus ſubſtantiis comparat, quorum ſtatus nihil aliud eſt quàm perpetua iugiſque lætitia. *Quid enim*, inquit, *tam proprium veræ beatitudini, tamque conueniens, quàm tranquillitas iugis & gaudium ſempiternum? Et vt hoc ipſum quod dicimus, ita eſſe, non mea coniectura, ſed ipſius Domini auctoritate certiùs inſtruaris, audi eum, qualitatem & ſtatum regni illius apertiſſime deſcribentem. Ecce, inquit, ego creo nouos cælos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, neque aſcendent ſuper*

*cor; ſed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum in his quæ ego creo. Et rurſum: Gaudium & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis; & erit menſis ex menſe, & Sabbatum ex Sabbato. Et iterum: Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. Et ſi adhuc clariùs de illa conuerſatione & ciuitate Sanctorum vultis agnoſcere, attendite quæ ad ipſam Ieruſalem voce Domini dirigantur: Et ponam, inquit, viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam: non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis, & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Non erit ibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur; ſed erit Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.* Hæc Caſſianus.

Hæc eſt illa dulcedo inexplicabilis & mira ſuauitas ſpiritus, quam expertus S. Auguſtinus ſæpè aſſerit eſſe principium futuræ arcanæque beatitudinis, ad cuius guſtum quomodo cum matre peruenerit, lib. 9. Confeſſ. cap. 10. ſic exponit: *Dicebamus ergo: Si cui ſileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ, & aquarum, & aëris, ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe, non ſe cogitando; ſileant ſomnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne ſignum, & quidquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omnino,* &c. *Loquatur per ſe ſolus qui fecit ea; non per ea, ſed per ſeipſum, vt audiamus verbum eius non per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per ſonitum nubis, neque per ænigma ſimilitudinis; ſed ipſum quem in his amamus, ipſum ſine his audiamus: ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attin-*

*gimus*

Digitized by Google

*gimus æternam Sapientiam ſuper omnia manentem, ſi continuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat & abſorbeat & recondat in interiora gaudia ſpectatorem ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui ſuſpirauimus; nonne hoc eſt, Intra in gaudium Domini tui?*

Huius ſummæ delectationis, quæ ex amoroſa vnione animæ cum Deo reſultat, eam rationem reddit Gerſon Tom. 3. de Myſtica Theol. practica, Conſid. 42. *Quia cùm res qualibet ſit ſatiata & in quiete, tunc perfectionem ſuam adepta videtur; & cùm ſpiritus noſter in hac myſtica vnione coniungatur ſummo perfectibili, nempe Deo, per amorem perfectum, neceſſe eſt vt ibi quietetur, ſatietur, & ſtabiliatur: ſic materia in forma habita, ſic lapis in centro poſitus, ſic res qualibet in adepto fine ſuo quietatur. Anima quippe rationalis dum coniungitur & vnitur Deo, copulatur ſuo ſummo bono. Eſt enim Deus ſummum bonum eius, eſt centrum eius, finis, totaque ipſius perfectio. quid ergo aliud ipſa requireret? aut ad quid aliud vlterius inhiaret?*

*Porrò, in ipſa anima conſidera tres tendentias principales proportionabiliter ad triplicem vim eius, ſiue potentiam. Quarum vna eſt concupiſcibilis, alia rationalis, tertia iraſcibilis nominatur. Concupiſcibilis tendit in bonum, rationalis in verum, iraſcibilis in arduum. Sic anima per has vires tendentiam habet in benedictam & ſanctam Trinitatem. Nimirum quia ad eam & eius ſimilitudidem facta eſt, einſque imago conſtituta.*

*Attribuimus itaque Spiritui ſancto bonitatem, & ad hanc tendit vis concupiſcibilis; attribuimus Filio veritatem, & ad hanc tendit vis rationalis; attribui-*

*mus Patri potentiam, maieſtatem, & gloriam, & ad hoc tendit vis iraſcibilis. Oportet igitur vt his viribus ſatiatis per coniunctionem cuiuſlibet cum ſuo ſupremo appetibili, anima rationalis totaliter ſatietur, quietetur, & ſtabiliatur: nam ſi delectatio in bono conuenienle, & voluptatis ſuauitate quæritur, quid de animæ voluptate (beatæ maximè) ſentiendum eſt? Audiamus quid Propheta dicit ad Dominum: Torrente voluptatis tuæ potabis eos, &c. Deus ergo finis eſt animæ, & vltima eius perfectio; ipſe eſt velut centrum & locus naturalis omnium deſideriorum ſuorum. Dum ergo in ſe deficit anima in ſalutare Dei velut ad nihilum redacta, nulli iam alteri, nec ſibimet innititur, ſed ſoli Deo vt ſuæ dulcedini, vt ſuæ veritati, vt ſuæ glorificationi, dicens pro primo: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum. Dicens pro ſecundo: Nihil arbitratus ſum me ſcire niſi Ieſum Chriſtum, factus ſtultus propter ipſum. Dicens pro tertio: Vtinam qui gloriatur, in Domino glorietur! Ac p[illegible] inde non habens quo vlteriùs tendat, aut quid vltrà requirat, quietatur anima in Deo, atque ſtabilitur, poſſidens in eo omnia, ceteraque contemnens atque paruipendens.* Hæc Gerſon.

Demum, huius delectationis immenſitas ex hac quoque ſimilitudine probari poteſt. Si ſenſus naturales & imperfecti, ſua oblectatione ſæpè homines trahunt & rapiunt vſque ad mentis exceſſum, abſorbentque rationis vſum, & hoc ex apprehenſione obiectorum imperfectorum; quis exiſtimare dignè poterit quanta ſit illa delectatio, & quantus torrens diuinæ voluptatis capiatur, dum perfectiſſima potentia ſuo perfectiſſimo obiecto coniungetur & vnietur?



Digitized by Google

## *Quintus effectus, Pax exuperans omnem ſenſum.*

§. 6.

Amoris & gaudij, pax, animi tranquillitas & quies, effectus eſſe ſolent certiſſimi & euidentes. Animæ igitur arctiſſimo amoris vinculo Deo coniunctæ, ac de vberrimo illo ſuauitatis fonte haurienti Iſaias cap 60. pacem prædicit, inquiens: *Et ponam viſitationem tuam pacem.* Et cap 58. non ſolùm pacem in præfixum tempus, ſed ſempiternam annuntiat: *Et requiem dabit tibi Dominus ſemper.* Nec perpetuam tantùm, ſed & abundantiſſimam Pſalmiſta Pſal. 118. offert: *Pax multa diligentibus legem tuam.*

De hac pacis vbertate eruditè Richardus (vt ſolet) in illa verba Pſal. 4. *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam*, ita ſcribit: *Pace ſua tunc veraciter mens humana perfruitur, quando in id quod de diuina dulcedine ſentit, tota reſoluitur.* Et infrà: *Hæc eſt illa pax, in qua anima obdormit; pax, quæ mentem ad interiora rapit; pax, quæ exteriorum omnium memoriam intercipit, quæ ingenij acumen exuperat, quæ rationis lumen reuerberat, quæ deſiderium cordis replet, quæ omnem intellectum abſorbet.*

S. Ioannes Climacus Grad. 29. de Tranquillitate animæ: *Ille propriè tranquillus eſt, qui carnem quidem omni corruptionis labe purgauit, mentem verò ſuper creaturam omnem eleuans, omnes illi ſubiicit ſenſus, atque vultui Domini animam ſiſtens, ſupra virium ſuarum modum in illum ſe ſemper extendit.* Hanc igitur pacem & tranquillitatem hæc Vnio in mentem infert, tantam ſanè, quam nemo explicare ſufficit; quia anima tunc in centro ſuo ponitur, vbi

intimè ſoporatur, atque omnium deſideriorum ſuorum ſatietatem conſequitur.

## *Sextus effectus, Virtutum omnium ornatus.*

§. 7.

SEXTVS & vberrimus huius vnionis fructus, eſt omnium virtutum ſplendor & ornatus, quas Deus in ſupremo gradu animæ eius ſponſę dilectiſſimę infundere ſolet: quem quidem pulcherrimum virtutum ornatum Iſaias variis deſcripſit dicendi modis cap. 55. *Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci, & erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur.* Quaſi clariùs innuens, animam priùs ſterilem & aridam, in virtutum exercitatione futuram quaſi hortum irriguum, omni tam florum quàm arborum varietate & abundantia ornatum, id eſt virtutum omnium & gratiarum plenitudine affluentem; in eaque, in qua anteà quaſi in cubili dracones, id eſt vitia ſiue inordinatæ affectiones habitabant, deinceps orietur viror calami & iunci, hoc eſt, omnium virtutum & gratiarum decor & pulchritudo: ac demum viæ anteà aſperæ & obliquæ, à recta rationis regula aberrantes, via ſancta & recta, per quam beſtia mala, id eſt vitium, non aſcendet, vocabitur. Idem ferè ſub horti irrigui comparatione, in quo varię & pulcherrimæ arbores floreſque amœniſſimi, id eſt omnium virtutum genera producuntur, idem Iſaias ſignificauit.

Sunt autem huiuſmodi virtutes quę à Deo infunduntur, non vulgares, neque communes omnibus iuſtis, ſed potiùs illæ, quæ ob eximiam earum pulchritudinem & nobilitatem, à præſtantiſſimis Philoſo-

loſophis & Theologis purgati animi fuerunt nuncupatæ. *Sunt enim virtutes* (vt inquit D. Thomas 1.2.q.61.art.5.) *iam aſſequentium diuinam ſimilitudinem, & ob eam cauſam vocantur virtutes iam purgati animi, ita vt Prudentia ſola diuina intueatur, Temperantia terrenas cupiditates neſciat, Fortitudo paſſiones ignoret, Iuſtitia cum diuina mente perpetuo fœdere ſocietur eam imitando. Quas quidem virtutes dicimus eſſe Beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectiſſimorum.* Hæc D. Thomas. Quare idem Angelicus Doctor virtutes purgati animi diuinas appellat, quia ſunt eorum qui iam diuinam ſimilitudinem ſunt aſſecuti. Photinus verò Philoſophus apud Macrobium prædictas virtutes purgati animi ideò vocat, quia ſunt iam defæcati animi ab omni huius mundi aſpergine preſsè pureque deterſi.

Quantò igitur virtutes ſunt perfectiores in his qui continuo fœdere ſiue amore Deo ſociantur, tantò magis peccati & paſſionum fomitem extinguūt, veramque & omnimodam ſuiipſorum mortificationem inducunt. Quare ſpirituales iſti athletæ ſeipſos & naturam ſuam funditus mortificant, ardenter atque ſubtiliter æternæ veritati ſe applicant, naturæ ſuæ cunctiſque labentibus creaturis viriliter renuntiant, tantaque cum ſtrenuitate Deo vniuntur, vt per continuam abſtractionem, per feruidas orationes ac ſurſum deſideria, Diuinitatis amore carnem & ſanguinem, oſſiumque medullam pænè conſumpſerint, ita vt neque aliquid eis virium ſupereſſe videatur, niſi quantum ſpiritus viuacitas ſubminiſtrat; ſanguis enim ipſorum diuini amoris incendio velut decoctus & exſiccatus eſt. Hi planè ſe Deo omnino reſignarunt ac obtulerunt, ita vt nihil aliud iam deſiderent, niſi vt in omnibus diuina voluntas,



Digitized by Google

ac Dei honor & gloria perficiantur. Vnde quidquid ille vel cum eis, vel cum aliis quibuſlibet creaturis agit, abundè eis gratum eſt: adeò vt ſiue det, ſiue auferat, nihil mouentur penitùs, nec quidquam ſibi ex omnibus vſurpant. Quidquid enim Deus agit, adeò ipſis præ amoris arridet vehementia, vt nihil aliud optare poſſint, hoc ipſum vndequaque optimum eſſe in animam inducentes. Ad hæc, blanda magis quàm aſpera fugiunt. Hæc eſt autem perfectiſſima paſſionum omnium mortificatio, quam præſignificauit Iſaias cap. 35. illis verbis: *Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam.* & cap. 60. *Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis.* Quaſi clariùs dicat, quòd immoderatæ paſſiones, quæ nomine leonis & malæ beſtiæ denotantur, non ampliùs occupabunt animæ muros, neque dominabuntur ſuper ea. Et quia perenni pace à Domino viſitatur, vltrà neque iniquitas neque vaſtitas, aut prauarum affectionum contritio, quæ totum animæ regnum perturbare ſolent, audientur in ea.

Quare neceſſe eſt, vt ad tantarum virtutum amplitudinem & perfectionem tria hæc, quæ perfectiſſimorum ſunt, conſequantur: nempe, perfectus receſſus à malo, perfectus progreſſus in bonum, perfectus ſtatus in optimo; vt pulchrè docet D. Bonauentura Tom. 1. in Tract. de Beatitudinibus? Neque ob id cenſendi ſunt, qui eouſque peruenerunt, impaſſibiles, & omnis humanæ perturbationis & affectionis expertes euadere; vt olim quidã Scriptores, inani perfectionis ſtudio ducti, in eum errorem prolapſi ſunt, quem S. Hieronymus in Epiſt. ad Cteſiphontem tribuit Origeni, Euagrio, Ruffino, & aliis.

Septi-

## *Septimus effectus, Vera Chriſti imitatio.*

§. 8.

PVRÆ animæ, quæ ad puriſſimos & delectabiles ſponſi amplexus peruenerunt, omni conatu ſtudent, vt Chriſti vitam, paſſionem, virtutes quoque imitentur, ac pro eius amore quaſcumque tribulationes & aduerſitates libenter ſuſtineant; gratum quippe eſt pro amato & magna facere, & aduerſa perferre: nec poteſt anima tribulationem & crucem non amare, quæ cupit Chriſto Domino vero eius ſponſo conformari. Paulus poſt raptum in paradiſum, in tribulationibus & Chriſti cruce libentiùs quàm in reuelationibus acceptis gloriabatur. Vnde nihil aliud appetunt quàm Chriſti imaginem & exempla in omnibus ſectari, eique fieri conformes in omni preſſura, ignominia, & afflictione intus & foris, omniq́ue prorſus ſolatio deſtituti ac derelicti eſſe, recogitantes aſſiduè ineffabilem illam anguſtiam ac derelictionem ſpiritus Domini noſtri Ieſu Chriſti, cùm ille nudo ab omni ſolatio amore aduerſus naturam colluctando ſudorem emiſit ſanguineum, & glorioſum ex duriſſimo certamine illo pro noſtra omnium ſalute triumphum reportauit: quomodo item in maxima amaritudine totus vndique in cruce derelictus pependit. Hoc pacto omne fundamentum ſuum in fide nudo amore exornata, in veraque ſuæ voluntatis reſignatione collocarunt; fitque ſæpiùs, vt Deus ſua ab eis excellentia dona auferens, in tanta eos paupertate relinquat, vt putares eos nihil vnquam de Deo præcepiſſe; ſimulq́ue grauiſſimas ſupra omnem humanum intellectum tentationes eis euenire permittit, ita quòd ab omnibus deſpiciantur ac perſecutionem ſuſtineant. Ceterùm,

terùm, ipſi in his humiles ſemper ac reſignati perſeuerant, omniqué ſibi confuſione ac oppreſſione digni videntur: vnde nec vmquam tot eis poſſunt aduerſa contingere, quin plura ſemper exoptent. Nec enim vlla eos ſollicitudo tenet, niſi quòd metuunt, non ita perfectè atque vellent Chriſti ſe exempla ſectari.

Præterea, ex diuina illuminatione facilè quibuſcumque ſint vitiis irretiti perſpiciunt. Deinde, quantis peccatis bona hominum pars obnoxia ſit, optimè cognoſcunt, & eis vehementiſſimè compatiuntur, ita vt nonnumquam corporis inde incurrant ægritudinem: hæc enim maior ipſorum crux eſt, quam ad mortem vſque ad Chriſti Domini imitationem ferre coguntur. Tanto ſiquidem tamque ineffabili diuinitatis amore feruntur, vt ſoli libenter omnes Purgatorij exciperent pœnas, ſi miſeris in eo detentis animabus abſolutionem impetrare poſſent: adeoque Saluatoris paſſione commouentur, vt afflictionem ſitiant, & turpiſſimam quæ excogitari poſſit mortem, ad mortis illius honorem libentiſſimè paterentur, ſi peccatores quoſque à peccatis ipſorum eripere poſſent, idque ob diuini iudicij, quem non ignorant, metuendiſſimum rigorem: imò cùm omnes ingenti complectantur dilectione, ſi Deo ita viſum foret, libenter ipſum quoque infernum ſubirent, vt omnes quanta ſit in Deo beatitudo atque lætitia compertum atque exploratum habere poſſent. Denique, nemo ipſos niſi ſolus Deus ſeipſo conſolari poteſt, adeoque in Chriſto firmati ſunt atque fundati, vt nec mille mortes ab ipſo eos valeant ſeparare: vnde & tanto eos amore proſequitur, vt ſi vnus ex eis pro aliquo ipſum negotio deprecaretur, & mille alij etiam boni homines contrarium

rium peterent, ab hoc vno citiùs atque libentiùs ſe pateretur exorari. Sed hi tales, prô dolor! pauciſſimi ſunt; & tamen quantumlibet rari ſint, Chriſtianitatis columnæ ſunt, quibus ea innititur atque fulcitur.

*Octauus effectus, Contemptus rerum humanarum.*

§. 9.

QVAM procul ſit à rebus humanis & quæ mundi ſunt anima quæ dulciſſimum ſponſi oſculum deguſtauit, confirmat Iſaias illis verbis capite 58. *Suſtollam te ſuper altitudines terræ.* Per hanc verò altitudinem S. Gregorius omnia illa terrena lucra, quæ homines magna reputant, intelligit libro 31. Moral. cap. 34. dum inquit: *Hoc namque eſſe ſpeciale electorum, quòd ſic ſciunt præſentis vitæ iter capere, vt per ſpei certitudinem nouerint iam ſe ad alta perueniſſe, quatenus cuncta quæ præterfluunt, ſub ſe eſſe videant; atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hic eſt enim quod ſequenti ſe animæ per Prophetam Dominus dicit: Suſtollam te ſuper altitudines terræ. Quaſi quædam namque inferiora terræ ſunt damna, contumeliæ, egeſtas, abiectio, quæ ipſi quoque amatores ſæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non ceſſant. Altitudines autem terræ ſunt lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor & ſublimitas dignitatum; quæ qui per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat. At ſi ſemel cor in cæleſtibus figitur, mox quàm abiecta ſint cernuntur quæ alta videbantur.* Hæc Gregorius.

Conſonat Macarius Homil. 4. dicens: *Anima enim, quæ ob ſummum deſiderium & expectationem, fidem*

*ſidem atque dilectionem digna fuerit habita, quæ recipiat illam ſupernam virtutem (nempe cæleſtem ſpiritus dilectionem) & quæ cæleſtem ignem immortalis vitæ fuerit adepta, ab omni dilectione huius mundi reuerà ſoluitur, & ab omni laqueo nequitiæ liberatur. Quemadmodum enim ferro, plumbo, auro vel argento in ignem coniectis reſoluitur eorum dura natura, & in molliorem mutatur, quantoque diutiùs in igne permanſerint, tantò magis ſoluuntur & mutantur à ſua naturali duritie per virtutem ignis calidam; ſic & anima, quæ mundo abrenuntiauerit, ſolum Dominum deſiderans omni animi perueſtigatione, ſtudio, atque contentione, & ex fide ac ſpe ſua expectationem indeficientem in illum contulerit, illum ignem cæleſtem diuini atque ſpiritalis amoris conſecuta, cùm verè à mundo exſoluitur, & ab omni vitio affectionum liberatur, & cuncta procul à ſe repellit, mutato naturali ipſius habitu atque peccati duritie, reliqua omnia pro ſuperfluis habens, in ſolo ſponſo cæleſti, quem recepit, quieſcens per ardentem & inenarrabilẽ ipſius dilectionem.* Hæc Macarius; qui eadem Homilia hunc rerum humanarum deſpectum alia comparatione explicat, dicens: *Si ergo carnalis dilectio ſic hominem ſoluit ab omni alio amore, quantò magis ſoluentur ab omni dilectione mundi, quicumque digni habiti ſunt, vt ſancti, cæleſtis ac ſemper amandi illius Spiritus verè participes fierent, & cuncta videbuntur eis inutilia, propterea quia victi ſunt à deſiderio cæleſti, & in ipſo caſu Spiritui illi vniti: nam quæ illic ſunt deſiderant & cogitant, illic viuunt, illic cogitationes inambulant, ibi mens aſſiduè verſatur, diuino & cæleſti amore atque deſiderio ſpirituali ſuperata.* Hæc ille.

Nec ſolùm ſuper terrena & mundana lucra ſuſtolluntur à Deo, ſed etiam ſupra omnes curas, ſupra

pra omnem perturbationem, ſupra mortis metum, & omnia quæ animæ vel corpori accidere poſſunt, tranquilla mentis libertate eleuantur. Neque frequentia hominum, neque occupationes externæ eis præſentiam Dei præripiunt; quia ipſi in omni multiplicitate vnitatem ſpiritus ſeruare norunt, ſtabili eſſentialique introuerſione donati. Ex omnibus quę viſu vel auditu percipiunt, celerrimè in Deum diriguntur, & cuncta eis quodammodò vertuntur in Deum (ſi ita loqui fas eſt) cùm in omnibus nihil intentione & amore proſequantur niſi Deum; quemadmodum experientia quotidiana diſcimus, eos, qui aliquamdiu in Solis ſphæram obtutus defixerunt, in omnibus quæ deinde aſpiciunt, quamdam Solis ſpeciem videre. Hi cùm intus circa ea quæ Dei ſunt, iugiter occupentur, Deoque adhæreant, foris videndo veluti cęci, audiendo ſurdi, & loquendo muti permanent: ſupernaturalem & Angelicam vitam in terra ducunt, ob idque terreſtres angeli vocari poſſunt. Vnde huiuſmodi rari ac ſanctiſſimi viri mundo huic prorſus mortui ſunt, & ſeipſos ac creata omnia penitùs dereliquerunt, nec ſeipſos, nec aliquid ſuum vſquam hîc vel in futuro ſæculo inquirunt, ſed omni priuato commodo cunctiſque labentibus creaturis ſtrenuè renuntiantes, ſoli Deo adhærent.

### *Nonus effectus, Perfecta mandatorum Dei & Eccleſiæ adimpletio.*

§. 10.

ARDOR quidem perfectæ charitatis non ſolùm virtutes ipſas ad ſupremum gradum perducit, ſed & ad exequenda diuina mandata, proprij inſtituti regulas, & Eccleſiæ etiam minimas cæri-

monias ſe accingit. Reuerſus Moyſes de monte, Exod. 32. tabulas præceptorum Dei propria manu ſcriptas ad populum detulit. Tabulæ quidem ſunt corda iuſtorũ, quos cùm Deus ad hunc altiſſimum vnionis montem admittit, non iam hominum induſtria, ſed digito Dei, ipſius mandatorum obſeruatio exaratur, Superioribus in omnibus humiliter ſubduntur, Eccleſiæ etiam mandata & ritus magni faciunt: neque enim ſe liberos ratione huius vnionis diuinæ à præceptorum aut Superiorum obedientia reputant, vt quidam tam præſentis ſæculi, quàm antiqui æui hæretici temerè affirmarunt.

### *Decimus effectus, Mirabilis corporis tranſmutatio.*

### §. 11.

SPIRITVS itaque Deo aſſimilatus & vnitus, prætereà qualificatus & affectus per diuinum amorem, qualificat (vt præclarè Gerſon philoſophatur) etiam & afficit conſequenter corpus proprium, tamquam ſuum formabile ſeu materiale, per redundantiam ſpiritus ad corpus; vnde fit vt corpus ſic habituatum, induat & gerat quaſdam conditiones & proprietates ipſius ſpiritus. Inde eſt quod Ariſtoteles dixit: *In virtuoſo omnia conſonant rationi.* Sic ergo ſpiritus noſter tractus à Deo, trahit conſequenter ea quæ corporis ſunt, ac proinde reſultat vnio mirabilis ſpiritus ad Deũ, & corporis ad ſpiritum.

Legimus, Moyſem, poſtquam locutus fuerat ei Dominus in montis caligine, quòd ad populi tumultuantis regionem deſcendebat, facieſque eius radioſa cornutaque videbatur. Etenim ſicut lampas ex lumine, ſic corpus totum ex interna contemplatione eluceſcit, pulchrificatur & niteſcit: hinc vul-

tus,

Digitized by Google

tus, hinc oculi, hinc tota corporis compoſitio diuinum aliquid, ſobrium, modeſtum, ſerenum & decorum præſeferunt; ſed, vt alter Moyſes, velant faciem hanc humiles, dicentes: *Secretum meum mihi.*

Nec ſolùm corpus ex redundantia ſpiritus his qualitatibus afficitur, ſed adinſtar ipſius ſpiritus mira agilitate ſurſum aliquando ſubleuatur: pondus enim diuini amoris emergere facit non ſolùm ſpiritum à turbida fluctuantium phantaſmatum & deſideriorum carnalium tetra caligine, vt ſurſum liberiùs aſcendat; ſed & aliquando corpus ipſum naturâ ſuâ graue à terra ſpiritus vi & efficacia trahitur & eleuatur. Senſerat experimento facili hanc amoris & ſpiritus vim ſurſum agentem ipſa mater Auguſtini S. Monica. Hæc aliquando in Eccleſia S. Cypriani martyris ſuſceperat ſacram Communionem, in qua plenitudo gratiæ velut in ſuo fonte ſumitur; tunc protinus corpore à terra leuato tales erupit in voces: *Volemus in cælum, volemus in cælum, fideles.* A qua dum poſtmodum quæreretur, quid ſibi voluiſſet hæc inſolita clamoſitas & eleuatio; ipſa, vt erat tota columbinæ ſimplicitatis, piè benigneque reſpondit: *Et quid vultis, quid quæritis? Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Congruit id quod ſequitur: *Altaria tua Domine virtutum,* ſupple, *contulerunt hanc eleuationem.*

Tale aliquid de S. Thoma referunt, cuius corpus etiam contemplatio leuabat à terra. Sic in beatis pœnitentiæ ſpeculis Maria Magdalena & Maria Ægyptiaca, ac de ſancta virgine & Matre noſtra Tereſia factum legimus.

Solent etiam aliæ corporis mirabiles alterationes ex diuinis communicationibus euenire. De quibus D. Bonauentura Proceſſ. 7. Religionis cap. 15. &

cap. 19. *Quandoque*, inquit, *corpus quaſi obrigeſcit, & membra inhabilia & inflexibilia fiunt ex ſubita feruoris & ſuauitatis influentia: & hoc poteſt eſſe, quia ſpiritus omnes diſtenduntur corde inflammato, quia extenſione neruorum, & obſtructione neruorum ſpiritualium, membra amittunt habilitatem officiorū ſuorum, vt lingua loquelæ, manus operationum, & pedes & crura gradiendi, quouſque feruor iterùm remittatur, & viæ ſpirituum apertæ fiant vt priùs. Nec mirum ſi hæc diuinæ affectiones poſſunt efficere, quarum virtus fortior eſt; cùm etiam humanæ affectiones id interdum valeant, vt ſubitus terror, & ſubita & immoderata lætitia, & ſubitus dolor, & odium immenſum, & intemperatus amor, ſicut ſæpè compertum eſt, & in ecſtaſim, vel ſtuporem, vel phreneſim aliòs ex huiuſmodi raptos feruore eſſe, & membra in rigorem vel tremorem verſa, vel etiam febres ex vehementi moleſtia incidiſſe.* Et infrà: *Quia virtus diuinæ dulcedinis intolerabilis eſt imbecillitati terreni corporis, ſicut ſi ignem intrò immittas. Vnde legimus, Sanctos ex diuinis viſitationibus & reuelationibus corruiſſe, & viribus emarcuiſſe. de quo legitur in Daniele: Viſionem hanc grandem vidi, & non remanſit in me fortitudo, & emarcui, nec habui quidquam virium, & iacebam conſternatus ſuper faciem meam.* Ita D. Bonauentura.

Diuus etiam Dionyſius Carthuſianus de Fonte lucis, art. 8. has corporis tranſmutationes fruitiuam vnionem conſequentes deſcripſit, dicens: *Ex tanto quoque contemplationis exceſſu, amoriſq; impetu, amore, & ebullitione generantur per redundantiā quamdam in parte ſenſitiua ac corpore languor, debilitas, mœror, ac macies, deteſtatio corporei alimenti, impotentia vſus ac motus membrorum ac ſenſuum, & totius corporis rigor.* Et infrà: *Ampliùs quoniam amor ingredi-*

*greditur vbi ſcientia permanet foris, dum mens contemplationi myſticæ eſt intenta, inflammato & velut commoto & irritato amore, incipit quodammodò ebullire ac ſuperferuere, ſuaq; violentia totum corpus concutere; quod autem feruet, quadam caloris ac deſiderij ſui violentia extra ſeipſum proiicitur, & ſupra ſe tollitur, quaſi ibi eſſe dedignetur, vnde vehementer ſe iactat: ſic & mens transfixa amoris feruore, quaſi extra corpus iactare ſe nititur, & vſque in ſummum volare nititur.* Hæc ille.

Demum, pro coronide huius tractatus de Vnionis effectibus, addamus egregium D. Laurentij Iuſtiniani teſtimonium, quo conditiones thalami nuptialis, in quo ſpirituale animæ cum Deo connubium celebratur, alioſque mirabiles effectus & affectus lib. de Caſto connubio cap. 25. his verbis depinxit: *Thalamus quidem nuptialis eſt, in quo caſta Verbi & animæ connubia conſummantur, & tamquam in ſede propria ſuauiter reſidet Sapientia. In eum non audent aduerſarij irrumpere propter Angelorum cuſtodiam vigilem. A ſponſi inhabitantis, velut à facie gladij, fugiunt aſpectu. Ibi iuge celebratur conuiuium, & vitulus ſæpiſſimè comeditur ſaginatus. Pax in illo guſtatur interna, ſecura tranquillitas, tranquilla felicitas, iucunditas magna, fides ſerena, amabilis ſocietas, oſcula vnitatis, contemplationis delectatio, ſuauitas in Spiritu ſancto. Ibi cæli ianua eſt & paradiſi porta. Sponſa frequenter de thalamo aſcendit in cælum, de cælo iugiter ſponſus deſcendit in thalamum; non pauida, non de ſalute incerta ingreditur ſponſa in ſupernorum manſiones, ſed tamquam in dilecti domum & in propriam poſſeſſionem. Vt enim illam emeret, vendidit ſua, & tradidit egenis; vt illam lucraretur, pugnauit in tentationibus, pugnauit cum ſpiritibus nequam,*



Digitized by Google

*quam, quotidieque pugnat contra ſe; non temerariè, ſed confidenter intrat in atria ſponſi: nam etſi aliàs aduena illius ſancta fuerit ciuitatis, nunc verò ciuis effecta eſt Sanctorum & ſponſa Verbi, cui ex amoris priuilegio omnia quæ ſunt ſponſi debentur. Amor quippe verus nil priuatum habet, nil proprium, ſua quæque gratanter impertitur; ea quoque lege, eademque charitate qua largitur propria, vtitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia tanta eſt inter Verbum & animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconſideratio. Numquam præſumeret anima, quamuis munda, quamuis ſancta, accedere ad Verbum loqui illi, importuniſque precibus inuincibile vincere, ſi non interueniret amor.* Et infrà: *Poſtquam fidelis anima connubij vinculo Verbo ſociata eſt, omnis timoris cauſa ſublata eſt. Innouata ſunt ſigna, prodigia immutata, & antiqua reſtaurata miracula, dum Sapientia ex Altiſſimi ore prodiens, in montibus ſaliens, colleſque tranſiliens, humanæ illabitur menti, non receſſura, ſed ibidem perpetuò moratura. Meritò igitur pro tanti laude connubij, obſeruanda eſt dies & hora quando Verbum ingreditur in mentis thalamum; vt vnà cum ſponſa grata capiet ſecreta ſilentij. Clanculò quidem diffundendi ſunt vernantes flores, conuallium lilia, & roſarum odoramenta, vt thalamus omnis ſuauiter redoleat. Tunc Prophetarum cuneus ſancto feruentium Spiritu aduocandus eſt, vnà cum Patribus cunctis Teſtamenti veteris, vniuerſi quoque nouæ Legis Sancti, & præcipuè Virginum ſacratus numerus inuitandus eſt, vt conſona modulatione epithalamij huius efferant præconia. Ipſa etiam Angelorum & Archangelorum ceterorumque ſpirituum beata agmina, necnon & cantatores omnes atque cantatrices cæleſtis Ieruſalem & curiæ paradiſi* exhor-

Digitized by Google

*exhortandi ſunt, ita vt ipſorum nullus remaneat, qui venerandi connubij non ſeruet excubias. Reſonent ibi organa, & vox ſambucæ ac pſalterij beneſonantis, ſonus exultationis, iubilationis & laudis per vniuerſum audiatur orbem, aſcendat nubium altitudinem, tranſſcendat alta cælorum, & ad aures vſque perueniat Domini exercituum, illique immenſas referat gratiarum actiones pro tanti dignatione myſterij, tamque exuberantiſſima Vnigeniti ſui charitate. Omnis quippe laus, omnis honor & gloria exigua eſt tanto reſpectu connubij.* Hæc ille.

# QVARTA PARS.

## *De Vnione fruitiua reali & immediata animæ cum Chriſto, præcipuè in Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.*

### CAPVT XXVI.

### *An in hac vita detur Vnio fruitiua & immediata animæ cum Chriſto Domino, & qualis illa ſit.*

De Vnione animæ immediata & fruitiua cum ſummo & inuiſibili Deo, in ſuperioribus non pauca diſputauimus; nunc de Vnione animæ cum Chriſto Seruatore noſtro reali & fruitiua diſſeramus oportet. Poſſumus in duplici ſenſu difficultatem propoſitam inueſtigare. Primus, An dignè ſuſcipientes Sacramentum Euchariſtiæ, Chriſto immediatè hac vnione inhæreant: de hac re ſequenti capite dicemus. Secundus, An extra Sacramentum



Digitized by Google

poſſit in iuſtis aliqua vnio ita arcta aliquando contingere, vt realiter Chriſto ipſi vniantur.

Primò certum eſt, de lege ordinaria non dari ſimilem cum Chriſto vnionem: quia cùm Chriſtus (vt fides Catholica docet) ſit in cælo, niſi iterùm de cælo deſcendat, vt animæ vniatur, non videtur poſſibilis talis vnio. An verò aliquando contigerit Chriſtum Dominum de cælo deſcendiſſe, vel vt loqueretur alicui, vel cum eo dulciſſimo amoris vinculo immediatè vniretur, nihil expreſsè ex Scripturis aut Patribus conſtat. Probabile tamen exiſtimo, Chriſtum pro Pauli conuerſione de cælis ad terras deſcendiſſe, & forſan tunc cum anima Pauli fuiſſe vnitum. Docet D. Thomas 3. p. q. 57. art. 6. ad 3. Chriſtum Seruatorem noſtrum tunc temporis pro conuerſione Pauli è cælo ad terram veniſſe; & colligi non obſcurè videtur ex Scriptura ſacra. Act. 9. dixit Ananias Paulo: *Dominus Ieſus miſit me, qui apparuit tibi in via.* & ibidem dicitur, Barnabam introduxiſſe Paulum ad Apoſtolos, & narraſſe illis quomodo vidiſſet in via Dominum. Deinde narrantur multæ aliæ apparitiones apud Patres factæ à Chriſto Domino viris ſanctis.

Probabilius tamen exiſtimo, Chriſtum Dominum poſt eius aſcenſionem numquam de cælis ad terram deſcendiſſe, neque vmquam relicturum ſedem cæleſtem vſque ad iudicij diem. Hæc eſt communis Patrum ſententia, qui vnanimi conſenſu ſentire videntur, Ieſum Chriſtum Redemptorem noſtrum, ex quo glorioſus cælos aſcendit, corporali ſpecie in terram non deſcendiſſe. Quæ quidem veritas probatur, Primò, Quia ſacra Scriptura & fides Catholica duplicem tantùm Chriſti Seruatoris noſtri aduentum docent; vnum, quando homo factus eſt,

eſt, vt nos à peccati iugo & dæmonis tyrannide erueret; alterum futurum glorioſum, cùm ad iudicandum deſcendet. Quòd verò nequaquam ſit ante illum deinceps deſcenſurus, euidenter patet ex verbis S. Petri Act. 3. dicentis: *Ieſum Christum, quem oportet quidem cælum ſuſcipere vſque in tempora reſurrectionis omnium.* Super quæ verba dicit S. Ioannes Chryſoſtomus Hom. 9. *Neceſſe eſt vſque ad tempora reſurrectionis omnium, Chriſtum in cælo permanere.* Multa facilè adducerem in huius veritatis confirmationem SS. Patrum teſtimonia, verumtamen illis conſultò omiſſis, ne nimiùm prolixus ſim in hoc breui tractatu, ad potiora quorumdam Auctorum fundamenta, quibus ſuam in hac re opinionem ſtabilire conantur, deſcendam. Et in primis apud Patres illud communi calculo receptum inuenio, Redemptorem noſtrum in terram non deſcendiſſe quando ſe ſancto Paulo videndum præbuit, idemque ſentiendum eſſe de variis apparitionibus, in quibus ſe aliis Sanctis manifeſtaſſe dicitur. Et quamquam Auctores ſunt diuiſi & multiformes in explicanda vocatione S. Pauli, & Redemptoris noſtri apparitione; omnes tamen vniformiter aſſerunt, Redemptorem noſtrum non deſcendiſſe de cælis, neque S. Paulum in huiuſmodi apparitione eum oculis corporeis in terra vidiſſe.

Primò, S. Ioannes Chryſoſtomus Tom. 3. De perferendis reprehenſionibus, & conuerſione ſancti Pauli, dicit, S. Apoſtolum minimè oculis corporeis Chriſtum vidiſſe, propter iſta verba: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et paulò infrà, repræſentans S. Paulum ex equo in terram proſtratum, ibique iacentem, dicit: *Immobilis eris quidem nunc, & neque videre poteris perſequentem. Et ſicut Paulus non vi-*

*dit eum quem perſequebatur, ita & illi non videbant.* Ex quibus verbis patet, S. Chryſoſtomum ſentire, quòd S. Paulus non viderit Chriſtum aliter, quàm illi qui eum comitabantur. Eiuſdem quoque ſententiæ eſt S. Bernardus Ser. 1. de Conuerſione S. Pauli, dum ait: *Audiebat Paulus vocem Domini, ſed faciem Domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem, & vt ipſe poſteà docuit, fides ex auditu.* Gloſſa interlinearis vnà cum Nicolao Lyrano ſuper 1. Corinth. 9. dicit, non poſſe colligi ex vllo loco ſacræ Scripturæ, S. Paulum pro tunc Deum vidiſſe. Hanc quoque tenet ſententiam S. Maximus Epiſcopus Taurinenſis in Feſto Sanctorum Petri & Pauli, per hæc verba: *Illi namque de cælo Dominus ait: Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et infrà: *Numquid nocere mihi quidquam poteris, quem non potes intueri?* Quæ verba iteratis vicibus repetit in eadem Hom. & in 2. & 4. ſuper idem Feſtum.

Huic ſententiæ S. Ioannis Chryſoſtomi ſuprà à nobis expoſitæ, expreſſis verbis adſtipulantur multi alij SS. Patres & Auctores grauiſſimi, qui tractantes de admirabili vocatione S. Pauli, ſolius vocis, quæ de cælo erupit, mentionem faciunt: quorũ vnus eſt Theodorus Daphnopatus in encomio S. Pauli apud Metaphraſten, dum ſic ait: *Quomodo quidam piſcator ſuper altam petram hamum mittit in mare, ita etiam noſter Dominus ſedens tamquam in alta petra cælorum, tamquam hamum vocem illam emittens deſuper, & dicens, Saule, Saule, quid me perſequeris?* Nec minoris auctoritatis Nicephorus Calliſtus, qui lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 5. ait, vocem factam S. Paulo fuiſſe de cælo illapſam. Cui videtur alluſiſſe S. Auguſtinus Serm. 14. de Sanctis, dum ſic inquit: *Voce proſtratus de cælo.* Et infrà; *Membris adhuc poſitis in terra,*

Digitized by Google

*terra, caput clamabat de cælo.* & Serm. 10. de Verbis Apoſtoli: *De cælo vocaui, deieci, & percuſſi.*

Secunda ſententia eſt S. Gregorij lib. 19. in Iob cap. 5. qui tenet, S. Paulum è terra vidiſſe Ieſum Chriſtum in cælo exiſtentem, his verbis: *Et ſuperna pietas cælos aperit, ſeſeq; illi Ieſus de ſublimibus oſtendit.* Et infrà: *O Paule, iam Ieſum in cælo conſpicis.* Idem quoque repetit S. Doctor lib. 31. cap. 10. & lib. 33. cap. 32. Huic quoque ſententiæ ſuffragatur S. Ambroſius ſuper 1. Epiſt. ad Corinth. 15. ſic inquiens: *Apparuit primò quidem in cælo.* Hunc ſequitur venerabilis Beda ſuper eumdem locum, dum dicit: *Viſus eſt mihi, ſed hoc iam de cælo poſt tempus aſcenſionis ſuæ.* Sic etiã docet S. Adhelmannus Epiſcopus Brixienſis in Epiſtola de Veritate Corporis & Sanguinis Dominici, quæ habetur Tom. 3. Bibliothecæ ſanctorum Patrum. Necnon S. Anſelmus ibidem; *Viſus eſt mihi de cælo vocans poſt aſcenſionem ſuam.* Sanctus autẽ Doctor Thomas 1. Cor. 9. verſ. *Notandum*, multis probat hanc S. Pauli viſionem fuiſſe imaginariam & ſpiritualem, nequaquam verò corporalem; eamque comparat cum ea quam habuit Patriarcha Iacob in aſpectu ſcalæ. Eiuſdem quoque ſententię videtur eſſe Auguſtinus Serm. 14. de Sanctis, vbi ait; *Cæcus ſanè factus eſt, vt interiori luce fulgeret cor eius.* Et infrà: *Et in eo tempore quo cetera non videbat, Ieſum videbat.* Nam iuxta mentem Auguſtini, ſi ſanctus Paulus non vidit Chriſtum oculis corporis, ſed tantùm animæ, viſio erat imaginaria. Illa ſententia poſſet confirmari ex viſionibus, quibus ſe Chriſtus videndum præbuit ſanctis Prophetis & Patribus veteris Legis, qualis fuit viſio illa Iacob, & Moyſis, & aliorum; quemadmodum meminit ſacra Scriptura, dum expreſſis verbis ait

ait per illas vidiſſe Deum, non viſione immediata ſeu corporali, ſed ſpirituali vel imaginaria, vt cenſet S. Gregorius lib. 18. Moral. cap. 36. eſtque ſententia communis multorum ſanctorum Patrum. Et ſi ſermo ſit de viſionibus factis in noua Lege, quid clarius, ac ad noſtrum propoſitum euidentius iſtis verbis prolatis à S. Stephano Protomartyre inter crepitantes lapidum ictus Act. 7. relatis: *Video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris virtutis Dei.* Quam viſionē S. Thomas vbi ſuprà, necnon S. Gregorius Nyſſenus in Oratione de S. Stephano, & fuſiùs Abulenſis lib. 4. Reg. cap. 22. q. 16. & alij graues Auctores de imaginaria intelligendam eſſe vnanimiter concludunt. Accedit quòd (etiamſi S. Paulus dicat ſe vidiſſe Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum) nulla fortior ratio militet pro parte viſionis corporalis. Ex horum omnium Doctorum teſtimoniis ſupradictis luce meridiana clariùs eluceſcet, neminem aſſeruiſſe Ieſum Chriſtum in his apparitionibus ſeu viſionibus è cæleſti regione in terram deſcendiſſe; qui tamen omnes Doctores & Patres multa apud omnes pollent auctoritate, & præcipuum in Eccleſia Dei obtinent locum. Econtrariò verò non vidi aliquem ſanctum Patrem, vel Auctorem alicuius æſtimationis, qui affirmatiuam tueatur, niſi fortè Doctorem Angelicum in 3. p. ſuæ Summæ, qui tamen ſuper 1. Epiſt. ad Corinth. cap. 9. negatiuam partem affirmatiuæ præfert, & in fauorem noſtræ ſententiæ (vt ſuprà notauimus) omnino inclinat.

CA-

## CAPVT XXVII.

### *De vnione reali immediata fruitiua & ecſtatica, quâ puriſsimæ mentes Chriſto Domino in Euchariſtiæ Sacramento iunguntur.*

ALTERA in hac ipſa mentis noſtræ cum Chriſto Domino vnione reſtat explicanda quæſtio, quæ tam prioris quàm huius æui Theologos valdè torquet, An ſcilicet præter vnionem, qua per affectum charitatis vnũ dicimur eſſe cum Chriſto in hoc Sacramento, ſit conſtituenda alia ſpecialis vnio, quæ ſit realis, ſubſtantialis, aut naturalis, vel animæ noſtræ cum ipſo Chriſto, vel ſaltem noſtræ carnis cum eius carne. Quæ difficultas duo præcipuè continet examinanda. Alterum ſpectans ad vnionem animæ realem cum Chriſto; alterum verò ad vnionem corporis ſuſcipientis Sacramentum cum carne ipſius Chriſti.

In priori ſenſu illud in primis certum videtur, regulariter non dari, etiam in his qui dignè accedunt ad hoc diuiniſſimum Sacramentum, vllam vnionem realem, prę̨ter eam qua ipſi Chriſto animæ eorum per charitatis affectum, virtute huius Sacramenti peculiari vnione coniunguntur. In hoc ſenſu locuti ſunt aliqui Patres. In primis Cyprianus in Serm. de Cœna Domini, *Fidei noſtræ*, inquit, *infirmitas edocetur viſibilibus Sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri.* Et infrà: *Non quòd vſque ad ſubſtantialitatem Chriſti, ſed vſque ad ſocietatem germaniſſimam eius hæc vnitas perueniſſet.* Et paulò pòſt: *Noſtra & ipſius coniunctio nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias, ſed affectus conſociat, & con-*

*& confœderat voluntatem.* S. Damaſcenus lib. 4. de Fide, cap. 14. loquens de hoc Sacramento, *Ex voluntate quippe*, ait, *coniunctio hæc exiſtet, non autem citra animi noſtri exiſtentiam.* Hæc Damaſcenus.

Deinde ratione ipſa conſtare videtur: quia regulariter etiam dignè venerabile hoc Sacramentum ſuſcipientes, non ſentiunt animæ ſuæ cum Chriſto aliam vnionem realem, præter eam quæ fide per affectum amantis ad amatum ſtabilitur: quia nulla vnio realis inter noſtrum ſpiritum & ipſum Chriſtum intelligi poteſt, niſi ea quæ fit per affectum charitatis & amoris.

Vnde quamplurimi ex Theologis antiquis in ea fuerunt ſententia, vt exiſtimarent, eſſe impoſſibile vnionis aliud genus inter noſtram animam & Chriſtum in venerabili Euchariſtię Sacramento exiſtentem, præter illud quod ad affectus coniunctionem ſpectat. Quæ quidem ſententia mihi ſemper viſa eſt improbabilis: nam præter illam vnionem quæ in affectu conſiſtit, alia quidem cum Chriſto mirabilis & diuiniſſima vnio contingere poteſt, & aliquando ſolet, de qua infrà: & ideò dixi, regulariter non contingere dignè ſuſcipientibus aliam vnionem, præter eam quæ fit per charitatis affectum; quia hæc eſt communis omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus. Alia verò, quæ non eſt ſolùm per affectum, ſed etiam per effectum, ac realem coniunctionem cum Chriſto, aliquando (rariſſimè tamen) puriſſimis mentibus contingit. De qua antequam pleniùs diſſeramus, operæpretium erit animaduertere diſcrimen inter vnionem affectus charitatis cum Chriſto, & eam quæ eſt etiam affectus charitatis cum ipſo Deo; quia hæc habet pro obiecto Diuinitatem ipſam, cum qua, charitate media,

Digitized by Google

dia, anima tenaciſſimè conglutinatur: illa verò quæ per affectum eſt, cum ipſo Chriſto in hoc Sacramento verè & realiter exiſtente, intimè per amorem coniungitur. Altera vnit ſpiritum noſtrũ cum Deo, ſecundùm illud: *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo.* Altera verò cum ſpiritu ipſius Chriſti, ſecundùm illud Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Hæc autem vnio propriè conſiſtit in affectu.

Conueniunt verò inter ſe hæc Vnionum genera in eo, quòd ſicut vnio cum Deo per amorem in iuſtis ſolo charitatis affectu vt plurimùm perficitur (licet aliquando amoris incendium eò perueniat, vt ad Vnionem realem immediatam & fruitiuam cum Deo feliciter diuina præuentus gratia pertingat, vt latiùs ex Scripturis & Patrum ſententiis in ſuperioribus docuimus) ita etiam vnio, quæ in Euchariſtiæ Sacramento nos Chriſto coniungit, frequenter fit tantùm in affectu, licet aliquando in effectu & reali connexione defæcatæ mentes ipſi Chriſto immediata & reali coniunctione feliciter copulentur.

Prætereà, quemadmodum ea vnio, quæ eſt tantùm per affectum charitatis cum Deo, etiamſi Deus ſit intimè præſens per ſuam eſſentiam omnibus iuſtis, non dicitur realis, nec naturalis vnio: quia Dei præſentia non percipitur neque guſtatur, ſed tantùm per fidem edocemur, Deum eſſe ratione ſuæ immenſitatis in omnibus rebus intimè præſentem, ac per gratiam inhabitare in cordibus iuſtorum: ſtat tamen poſt parietem noſtrum ita abſconditus, vt vix niſi per effectus gratiæ cognoſcatur. Ita in venerabili Euchariſtiæ Sacramento, quamuis Chriſtus realiter mediis ſpeciebus ſit intimè præſens corpori

& ani-

Digitized by Google

& animæ dignè eum ſuſcipientium, non tamen poteſt hæc dici vnio realis noſtri ſpiritus cum ipſo Chriſto, quia eius præſentia non guſtatur, neque experimentaliter percipitur ab omnibus, qui ad illum dignè accedunt; quare tantùm eſt vnio & coniunctio per affectum.

Præter hanc verò vnionem affectus, dari exiſtimo aliam realem & ineffabilem cum ipſo Chriſto in hoc diuino Sacramento, quę defęcatis tantùm mentibus, ac Chriſtum ipſum ardentiſſimè deſiderantibus euenire ſolet. Hæc autem feliciſſima vnio nihil aliud eſt, quàm ipſius Chriſti præſentiæ in hoc Sacramento latentis intima manifeſtatio, non tam per viſionem aut reuelationem, quàm per amplexus dulciſſimos, quibus animam ita ineffabiliter ac ſuauiſſimè adſtringit, vt ipſa eius realem præſentiam, oſcula & amplexus certiſſimè percipiat. Erit igitur (ſi propriè loquamur) vitalis ſenſus & guſtus ipſius Chriſti in Sacramento exiſtentis, per quem ſenſum ſiue diuiniſſimum contactum eius præſentia realiter percipitur, eius bonitas & ineffabilis dulcedo in ſuo fonte guſtatur. Et hæc eſt vera vnio & notitia experimentalis ipſius Chriſti non per affectum tantùm, ſed per arcanum contactum, ac vnionem immediatam & realem animæ noſtræ cum Chriſto. Quare ſicut vnionem fruitiuam & ecſtaticam animæ cum Deo eſſe diximus ex parte Dei illapſum & manifeſtationem quamdam, quo Deus animæ noſtræ illabitur, ſe intimè coniungens cum intellectu in ratione ſummæ lucis; cum voluntate, in ratione ſummi boni & ſummi delectabilis; qui illapſus appellatur deoſculatio, ſiue amplexus Dei, aut oſtenſio faciei ſuæ ſub ratione omnis boni: ex parte verò animæ eſſe perceptionem experimentalem omnium

ſen-

ſenſuum internorum iſtius ſummi obiecti, nempe Dei, ad quam vnionem experimentalem (vt fuſiùs ſuprà) ſequitur transformatio ſiue liquefactio animæ; ad liquefactionem, ecſtaſis ſiue defectio; ad defectionem verò, abſorptio, &c. Ita vnio iſta realis Chriſti in venerabili Sacramento, quę puriſſimis & Seraphicis mentibus eum ſuſcipientibus contingere aliquando ſolet, ſi ex parte Chriſti conſideretur, nihil aliud eſt quàm illapſus ſiue manifeſtatio ipſius Chriſti exiſtentis occultè in hoc Sacramento, oſtendentis ſe mentibus purgatiſſimis ſub ratione ſummæ lucis & ſummi boni, ac contactu quodam diuiniſſimo ac ineffabili, non ſolùm ad carnem, ſed ad ſpiritum pertingentis; qui contactus nihil aliud eſt, quàm dulciſſimus amplexus & deoſculatio Chriſti, quo ſponſæ ſibi dilectæ oſculum dulciſſimum concupiſcenti largitur. Ex parte verò animæ, eſt mutua ac reciproca vnio, ſiue amplexus, ad quam conſequitur experimentalis & dulciſſima perceptio ipſius Chriſti, per quam ſpiritualis dulcedo in ipſo Deo poſſidetur.

Hæc eſt illa feliciſſima vnio realis & immediata, qua animæ ab omni labe purgatæ Chriſto Domino Seruatori noſtro in Euchariſtię Sacramento exiſtenti, ſuauiſſimo & arcano vinculo coniunguntur. Prętervnionem igitur charitatis & fidei, qua omnes Chriſtum dignè ſuſcipientes ipſi iunguntur, adeſſe etiam aliquando, quamuis raрò, puriſſimis mentibus vnionem aliam altiorem, qua Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipientes ipſi Chriſto ita vniri & miſceri, vt cum illo vnione reali & vera vnum efficiantur, non obſcurè tam ex Scriptura, quàm ex veteribus Patribus probari poteſt. In primis Ioannis 14. *In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Pa-*

*tre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Quæ verba non ſolùm de aduentu Spiritus ſancti ſunt interpretanda, vt ſuperiùs expoſuimus; ſed & de Chriſti Domini aduentu per Euchariſtiæ ſanctæ ſumptionem intelligi propriiſſimè poſſunt; quaſi dicat: In illa die, quando ego venero ad vos ſub ſpeciebus panis velatus, cognoſcetis tria hæc; nempe, me eſſe in Patre meo, id eſt, me eſſe Dei Filium Deum verum, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Rurſus cognoſcetis vos eſſe in me, id eſt, percipietis ſpiritum veſtrum & carnem veſtram meæ carni ac Diuinitati intimè eſſe vnitam. Ac demum experiemini, quòd ego etiam ſim in vobis, id eſt, vobis omnino per interiorem amplexum vnitus, ita vt verè poſſit dici, quòd vos, qui manducatis meam carnem, & bibitis meum ſanguinem, in me maneatis, & ego in vobis, quod commune eſt omnibus dignè ad me accedentibus; ſed & vlteriùs in illo die cognoſcetis, quòd ego, qui à Patre proceſſi, maneo in vobis, & vos in me: quæ quidem cognitio, quæ purioribus animabus contingit, nihil aliud eſt quàm cognitio experimentalis, & perceptio Chriſti realiter vniti cum ipſis: de qua vnione, vt alibi dixi, intelligenda ſunt illa verba: *Rogo Pater vt vnum ſint, ſicut ego & tu vnum ſumus.*

Hæc quidem interpretatio manifeſtè colligitur ex ſequentibus verbis, *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, hic eſt, qui diligit me, & Pater meus diliget eum, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Non ſolùm, inquit, Pater diliget mandata mea obſeruantes, ſed & ego etiam, non vt Deus tantùm, ſic enim vna & eadem dilectione cum Patre diligo; ſed vt homo etiam mea charitate, quam vt homo habeo, eos diligā, non tantùm continuando amorem,

ſed

Digitized by Google

ſed nouis ſemper cumulando beneficiis, quibus multifariàm & continuò meos afficio amicos, inter quæ præcipuum illud eſt, quòd & manifeſtabo eis meipſum. Quæ quidem promiſſio cùm non ſolùm de Diſcipulis, ſed etiam de omnibus perfectè Chriſtum diligentibus intelligatur, non video de alia manifeſtatione locũ hunc interpretari poſſe, quàm de ea, qua Chriſtus ineffabiliter in hoc Sacramento aliquando ſanctiſſimis animabus per diuinum illapſum ſe manifeſtat, ac percipiendum per vnitiuum amplexum ſe præbet.

Ex Patribus S. Hilarius lib. 8. de Trinit. hanc vnionem animæ cum Chriſto naturalem appellat, quia realiter caro & ſanguis Chriſti cum ſuſcipiente vnitur & coniungitur, ita vt cum ipſo in ſuſceptione iſtius Sacramenti non ſolùm conſenſu charitateque, ſed re etiam vera vnum ſimus cum ipſo.

S. Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. 13. multa in huius ſententiæ confirmationem adducit, cuius tantùm aliquot verba recitabo, omiſſis multis aliis ad rem hanc pertinentibus. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Vnde conſiderandum eſt, non habitudine ſolùm, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verùm & participatione naturali: nam quemadmodum, ſi quis igne liquefactam ceram alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſque factum videatur; ſic communicatione Corporis & Sanguinis Chriſti ipſe in nobis eſt, & nos in ipſo.* Vide qualem vnionem ob permanentiam noſtram in Chriſto & Chriſti in nobis exponat.

S. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 45. in Ioan. *Vt autem non ſolùm per dilectionem, ſed etiam re ipſa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur,*

*quem nobis largitus eſt : cùm enim ſuum in nos amorem indicare vellet , per Corpus ſuum ſe nobis commiſcuit,& in vnum nobiſcum redegit;hoc enim amantium maximè eſt.*

Simile eſt quod S. Ambroſius Serm. 90. de ſancta Agnete refert dixiſſe eam , cùm iam moritura Chriſti Corpus accepiſſet. *Nunc* , inquit, *Corpus Domini mei corpori meo aſſociatum eſt, & Sanguis illius ornauit genas meas.*

S. Gregorius Nyſſenus Homil. 8. in Eccleſiaſtem : *Propterea nobis ſeipſum comedendum proponit is qui ſemper eſt, vt cùm ipſum in nobis ipſis acceperimus, illud fiamus quod ille eſt.*

Hæc & ſimilia alia apud antiquos Patres paſſim repetita inuenies , quibus vnionem realem & naturalem , non ſolùm quæ per affectum charitatis fit, ſed & eam , quæ reali & conſummata vnione non ſolùm affectu, ſed effectu perficitur, manifeſtè docent. Quorum quidem ſententia licet difficilis & falſa videatur , ſi ad omnes dignè Chriſtum in Euchariſtia ſumentes referatur ( conſtat enim non omnes percipere hanc realem cum Chriſto vnionem ſiue manifeſtationem.) Veriſſima verò apparet, ſi tantùm ad eos, qui defæcatis mentibus angelicâ puritate præſtantes Chriſtum in venerabili hoc Sacramento abſconditum recipiunt , quibus Chriſtus ipſe manifeſtetùr , eiſque ineffabili modo vnitus ab ipſis ſuauiſſimè percipitur & deguſtatur , vt ſequenti capite latiùs exponemus.

C A-

Digitized by Google

# CAPVT XXVIII.

## *Plurimis Patrum teſtimoniis hæc diuina animæ cum Chriſto in venerabili Euchariſtiæ Sacramento Vnio confirmatur.*

NON deſunt etiam quamplurima aliorum ſanctorum Patrum teſtimonia, qui pleniùs ac clariùs hanc realem animæ cum Chriſto vnionem explicarunt.

De hac vnione expreſsè loquitur S. Thomas Opuſc. 60. Grad. 7. & 8. amoris diuini, dum ita inquit: *Cùm ſenſeris tactu, qui cognoſcit de proximo, & in coniunctione maxima, labia illa Ieſu, labia illa diſtillantia myrrham primam, vel non myrrham, ſed mellis ſtillam primam, polluta olim animæ tuæ labia non abominari, ſed mirabiliter ipſis imprimi, ineffabiliter oſculari quaſi oblita innexionis, Exploratores eſtis; oblita cõminationis, Per ſalutem Pharaonis non exibitis. Deinde & quaſi oblita iuſſionis, non iudicem, vel magnum prætendere metuendum, ſed ſponſum amantem tenerrimè & teneriter reamandum. Poſt quæ*, inquit, *auſi ſunt loqui ad eum, ſic audet illa, quæ loquitur: Oſculetur me oſculo oris ſui.* Hæc D. Thomas: Quibus verbis alludit ad Hiſtoriam Ioſeph Gen. 55. Quando poſt minas & terrores fratribus ſe manifeſtans, eos ſuauiſſimè eſt amplexatus.

Et infrà idem D. Thomas: *In præcedentibus ergo gradibus anima amat & amatur, quærit & quæritur, vocat & vocatur: in hoc autem gradu, quodam miro & indiſſimili modo rapit & rapitur, tenet & tenetur, ſtringit & ſtringitur, & vna vni per amoris copulam ſociatur.* Dionyſ. *Amor eſt copula amantis cum amato.* Et poſt pauca: *Nec talis copula hæc, ſed omnem*

*artem & facultatem tranſcendens, copulat animam Deo, creaturam Creatori, finitum infinito, ſemper congruè, ſemper verè, ſemper benè. hoc igitur eſt adſtringere.*

S. Macarius Homil. 4. præclarè de hac reali & arcana cum Chriſto in Sacramento vnione diſſeruit, dicens: *Permiſcetur & apprehendit ſanctas animas ſibi pergratas atque fideles, fitque ſpiritus vnus cum illis, vt Paulus eloquitur; atque, vt ita dicam, anima euadit in animam, & ſubſtantia in ſubſtantiam, quò poſſit anima in nouitate viuere, vitamque immortalem ſentire, & particeps fieri æternæ gloriæ: illa nempe anima quæ Deo digna eſt, & illi perplacet.* Et infrà: *Quo pacto ars infinita & inenarrabilis multiformis ſapientiæ Dei creauit ex his quæ non erant, tam illa quæ craſſiora ſunt, quàm ſubtiliora & ſimpliciora corpora ſubſiſtere fecit voluntate ſua. Quantò magis ipſe, qui eſt vt libet, benignitate indicibili & bonitate incomprehenſa ductus, ſe tranſmutat & demittit, atque ſimilem animarum ſanctarum & fidelium ſeipſum reddit, aſſumpto (quoad fieri poteſt) corpore, vt perſpiciatur ab illis, qui alioqui inuiſibilis eſt; & palpetur, qui ſecundùm naturam ſubtilitatis ſuæ palpari non poteſt, & ita guſtent ſuauitatem ipſius, & dulcedine lucis arcanæ oblectationis experientia ipſa fruantur.* Et poſt pauca: *Perfacilia ſunt ei omnia, qui ſe in qualibet tranſmutat in gratiam fidelium & eo dignarum animarum, modò quis det operam, vt amicus & pergratus illi fiat: qui quidem experientia ipſa & ſenſu percipiet cæleſtia bona, & delicias inenarrabiles, diuitiaſque Diuinitatis verè immenſas: quæ quidem omnia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt: fitque Spiritus Domini in requietem, exultationem, delicias, & vitam æternam animarum dignarum. ſeipſum*

*enim format Dominus in eſcam, ſicut ſcriptum eſt in Euangelio: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum; vt inenarrabili modo tranquillet & impleat animam lætitia ſpiritali: ait enim, Ego ſum panis viuus. Itidem transformat ſe in potum cæleſtis potionis, ſicut dixit: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et omnes, ait, eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Et iterùm: *Igitur vnicuique ſanctorum viſus eſt Deus, quemadmodum ei libuit, nempe ad ſalutem & requietem, & vt illos ad cognitionem Dei perduceret. Nam omnia quæ vult, ſunt ei perfacilia; & quando illi videtur, ſeipſum demittendo incorporat & transformat, conſpicuum ſe exhibens diligentibus illum in gloria luminis inacceſſa, pro multa & inenarrabili dilectione apparens his qui digni ſunt, ſecundùm ipſius virtutem.* Hactenus magnus ille Monachorum Pater Macarius, qui præcedenti ſententia præclarè loquitur de vnione cum Chriſto, in quantum Chriſtus in Sacramento eſt cæleſtis animarum cibus.

Diuus quoque Bonauentura Itin. 6. ætern. diſt. 6. vberiùs docet qua ratione Chriſtus experimentali perceptione in hoc Sacramento à veris amatoribus per vnitiuum amplexum attingatur & teneatur. *Quartò*, inquit, *Ieſus panis Sacramentalis. Cùm ſit ſumma attingentiæ, quia ipſe ſe dat in cibum, & manet in cibato, & cibatus in eo, vt dicitur in Ioan. 6. & hoc in maxima charitate, vbi fit veriſſima attingentia animæ & Dei ſpiritualis. Sed notandum quod Hugo in lib. de Arca Noë 1. dicit ſic: Ad Deum attingere, eſt ſemper per deſiderium eum quærere, & per cognitionem inuenire, & per guſtum tangere. Ex quo patet quòd attingentiæ iſta habet quoſdam gradus, per quos Deus acceditur, & inuenitur, & attingitur; non acceſſu*



Digitized by Google

*locali, nec tactu corporali, ſed ſimilitudine ſpirituali accedit ur ad Deum, & diſſimilitudine à Deo receditur, vt dicit Auguſtinus lib. 6. de Trinit. Primus igitur gradus eſt, quo Deus per deſiderium quæritur: quamuis enim attingitur Deus, vt deſideratur, ſecundùm aliquid, vt præſens non habeatur; tamen neceſſe eſt vt etiam ſecundùm aliquid præſens habeatur, alias non deſideraretur. Dicit enim Gregorius in Homil. Profectò qui Deum deſiderat, iam habet quem amat; & tamen habitus ampliùs quæritur, quia ſine fine eſt quærendus, vt ait Auguſtinus, exponens illud Pſalmi: Quærite faciem eius ſemper. Secundus gradus quo Deus attingitur eſt, cùm per cognitionem inuenitur. Cognitio enim eſt actus vitalis: actus autem vitales attingunt ſua obiecta, vt dictum eſt ſuprà, aliàs dilectus non dixiſſet dilectæ: Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, intelligentia tua penetrante, ait Vercell. Sed attingentia manet imperfecta, niſi id quod præſens eſt cognitioni, fiat præſens voluntati amantis. Quia Auguſtinus dicit, quòd quidam Deum cognoſcunt, qui tamen Deum propter hoc non habent; quia ſi eum vt Deum cognouerunt, non tamen vt Deum glorificauerunt, ait Apoſtolus. Tertius gradus quo Deus attingitur, eſt, cùm Deus per amorem tenetur & amplexatur, & ſpiritualiter manducatur. Hi autem actus & gradus, ſunt principium ipſius affectus & voluntatis. Vnde Auguſtinus dicit, quòd voluntas habet vnum proprium actum, qui eſt actus tenendi, ſiue amplexandi, & quaſi poſſidendi; quos actus non poteſt habere intellectus: nam poſſeſſio non eſt intellectus cognoſcentis, ſed voluntas habentis: ſicut ſanitas ſani non eſt Medici cognoſcentis, ſed ſani eam habentis. Vnde & actum guſtandi non habet intellectus, ſed voluntas; quia guſtus eſt in charitate, ſicut dicit Richar-*

*chardus. Sed charitas vel dilectio eſt actus voluntatis. Nam ſicut dicit Richardus: Sicut Deus per memoriam auditur, & per intelligentiam videtur, ita per affectum amplexatur & attingitur. Hunc tactum ſpiritualem experta fuit, quæ dixit: Læua eius ſub capite meo. Læuæ nomine intelliguntur ſplendores intellectus ſpeculatiui, qui ad guſtum viatoris pertinent. Dexteræ nomine, quæ patriam ſignat, intelligitur ſuperintellectualis vnitio ad Deum, quæ ſpeculum neſcit, & quaſi ad præmium inclinat, tamquam arrha & pignus, nec auferetur; quare dixit ſponſa: Tenui eum, nec dimittam illum poſt tam exceſſiuos amplexus & ineffabiles. Hæc Vercell.* Et inferiùs prope finem addit: *Vnde & Richardus lib. de Trin. cap. 3. dicit: Non debet nobis ſufficere illa æternorum notitia, quæ eſt per viſum ſolùm, niſi & apprehendamus illam quæ eſt per intelligentiam, ſi necdum ſufficimus ad illam quæ eſt per experientiam.* Hæc ille.

Idem quoque Auctor diſt. 7. hanc ſuauiſſimam Chriſti in hoc Sacramento prægustationem explicat, dicens: *Septimò videndum eſt, qualiter ſpiritus noſter ad veniendum per iter experimentalis prægustationis æternorum ad intrinſecum Domini Ieſu inuitatur ab ipſo dicente: Surge, propera amica mea, columba mea, & veni. & huius inuitationis ſubiungit allectiuum, dicens: Quia ficus protulit groſſos ſuos, id eſt, quia iam eſt deſiderati viatici optata ſuauitas. Tunc namque eſt itinerandi ſecuritas, quando itinerans ſuauiter reficitur, & itinerantis virtus augmentatur, donec cum Propheta ad montem Dei Horeb perueniatur. Dicit igitur, O anima mea; propter experimentalem mei manducationem. Nónne comediſti fauum meum cum melle meo, id eſt dulcedinem Diuinitatis cum corpore & ſanguine meæ humanitatis. Hoc enim proprium*

*eſt amicis meis, vt comedant, & bibant, & inebrientur chariſſimi, vt Corpus meum comedant, & Sanguinem meum bibant, & experientia intima mea Diuinitate inebrientur. Hoc enim proprium eſt electorum, dicit Haymo ſuper Apocal. Surge ad meam experimentalem cohabitationem, vt vbi ſum ego, & tu ſis; quia ex hac manducatione mei, tu manes in me, & ego maneo in te, tamquam mihi iam incorporata.* Et paucis interiectis, iterùm inquit: *O formoſa mea, propter experientia tua radioſam multiplicationem! experiris enim me, te viſitante, poſt parietem ſtantem, per cancellos proſpicientem, in montibus ſalientem. Item experiris me te alloquentem, te odore meo ſemper attingentem, te reficientem & amplexantem,*&c. *vt patet in Cantico amoris per totum.*

Ioannes Gerſon expreſſiùs aliis hanc vnionem fruitiuam & experimentalem animæ cum Chriſto docuit Tom. 3. tract. 9. ſuper *Magnificat*, part. 3. *Contemplabatur*, inquit, *Maria exiſtentiam mirabilem Filij in hoc Sacramento, quem viſibiliter tractauerat cum blanditiis & oſculis ſuauiſsimis in gremio corridentem. Credebat hoc idem ſibi licere nunc, quamuis alio modo, ſed non minori merito. Oſculatur, tangit, & quod ſibi tunc non licuerat, corporaliter manducat & bibit, & accipit vitam: nam qui manducat me, inquit, & ipſe viuet propter me. Grandem rem tibi, ô anima Chriſtiana, grandem nimis æſtimaſſes, ſi Virgo benedicta poſuiſſet olim filium ſuum in gremio tuo, ſi conceſsiſſet amplexum & oſculum: ſed habes hic rem ſuo miraculo & merito grandiorem. Eia nunc, ô anima, canta Cantica canticorum, quæ ſuſpirabunda petebas, Quis det mihi te fratruelem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris, & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat? Ecce foris, & verè foris à ne-*

*à nemine viſibilis, dat te ſolum tibi, dat vt oſculeris eum; fac quod ſequitur, Apprehende eum, & introduc in domum conſcientiæ tuæ, quæ eſt domus ſapientiæ matris tuæ. Illic docebit te, Da & mihi potum ex vino conditum deuotionis tuæ, da mihi muſtum malogranatorum tuorum feruidæ dilectionis.* Et iterùm infrà: *Contemplabatur Maria exiſtentiam filij ſui viuaciùs per intelligentiam, quàm per ſolam fidem; & nullo modo imaginationem admittebat, immò nec rationem. Percipiebat inſuper præſentiam eius per amoris ſentimentum & complexum.* Hæc ille. Ecce qua ratione beatiſſimam Virginem in ſumptione huius Sacramenti Chriſto intimè fuiſſe vnitam, ac eius præſentiam per amoris ſentimentum ac complexum percepiſſe, rectè docet; quod fieri nequit ſine vnione & reali coniunctione cum ipſo Chriſto.

Idem Auctor eodem Tract. 9, part. 4. effectus ineffabilis huius Sacramenti enumerat, quos ad duodenarium numerum reducit, & his tribus carminibus aptiſſimè comprehendit:

*Reſtaurat, ſatiat, delectat, roborat, auget,*
*Obdormire facit, caro ſeruit, mens dominatur,*
*Vim genitiuam dat, transformat, inarrhat, & vnit.*

Exponens igitur prædictus Auctor mirabiles hos Euchariſtiæ effectus, ac ad hanc animæ cum Chriſto in hoc Sacramento vnionem perueniens, ita ſcribit: *Hic finis, hoc complementum omnium quæ dicta ſunt aut dici poſſunt ſuper cibi iſtius laudibus, fructibus, & effectu. Totus ob hoc mundus creatus eſt, exterior & interior. Ad quid, inquies? Certè ad vnitatem, vt omnia ſint in vnum conſummata; hoc eſt illud verbum, de quo Chriſtus: Porrò vnum eſt neceſſarium. & diuinus Dionyſius: Omnia vnum participant. Demum & ipſe Theologiam ſuam myſticam in vnione ſupra men-*

*mentem conſtituit. Vnionem hanc propoſuit ſponſa pro fine dilectionis ſub oſculi nomine, Oſculetur me oſculo oris ſui.* Et infrà: *Poſtremò, quia tranſiturus erat ad Patrem, etiam corporaliter videntibus Diſcipulis, quibuſcum erat humillima creaturarum* (loquitur de B. Virgine) *reliquit hoc pignus dilectionis, hanc arrham Euchariſtiæ, quæ nos conſummat in vnum. Nam quid dici poteſt vnitius, quàm, Qui manducat meã carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. De ineſſe & manſione ſuperadmirabilis prorſus iſta ſententia: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. nec minùs admiranda ſimul & amplexanda, quæ ſequitur: Sicut me miſit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Denique ſubditur: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Et quoniam alio tempore & loco Chriſtus ait: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Et iterùm de diligente ſe, Et Pater meus, inquit, diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. ſubdamus aliqua de huiuſmodi manſione, per quam noſter Emanuel, (quod interpretatum eſt Nobiſcum Deus) manet in manducante, & manducans in eo.*

Explicatis deinde aliquibus manſionum generibus, ita ſcribit: *Dicitur (exempli gratia) manſio Dei in homine, & hominis in Deo, vt hic. Dicitur viuificatio, & habitatio vitæ æternæ, ſaltem in radice, vt hic: Viuet in æternum; quia ſuam gratiam habet. Dicit autem Apoſtolus, quòd gratia Dei eſt vita æterna. Dicitur & oſculum oris ſponſi, quod petit ſponſa. Dicitur lac, & vinum, & vnguenta, & oleum effuſum, & tractus, & pulſus ad ſponſum. Dicitur introductio in cellaria, coniunctio dilecti inter vbera ſponſæ tamquam faſciculus myrrhæ. Dicitur ſuus decor, ſua quies in lectulo*



Digitized by Google

*ctulo florido. Hoc eſt donum perfectum deſurſum deſcendens, non aſcendens de deorſum. Hæc eſt ſapientia diuinitus inſpirata cum ſuis laudibus vniuerſis. Hoc diuinum ſilentium, hoc ſibilus auræ tenuis, hoc ſuſurrium verbi abſconditum: Hoc vox quaſi auræ lenis, immò & tonitrui magni, & vt ad vnum colligamus innumera, quidquid ſonat manſionem, vel habitationem, vel inhæſionem, vel vnitatem vnius corporis & vnius ſpiritus, animæ cum Deo, ſponſæ cum ſponſo, vnicæ cum vnico, ſub gratiæ gratificantis nomine & radice, principio, forma, & fine, vnico vocabulo datur intelligi, quod eſt, manere in Chriſto per mutuum gratiæ complexum.*

Addit prætereà, infrà dicens: *Manſionis huius conuenientiam gratuitam profectò felix qui poſſederit habitualiter, felicior qui actualiter cum habitu; ſed feliciſſimus, qui reuelata facie transformatus fuerit in eamdem imaginem de claritate in claritatem, tamquam à Domini Spiritu actus, ductus, & tractus, ita quòd ſentiat per illuminatos cordis oculos (ſicut imprecatur Apoſtolus) ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, hoc eſt gratiam hanc coniungentem & charam vnitatem ad ſimplificam Deitatem. Multi quidem ſunt qui habent in habitu, ſicut pueri nouiter baptizati: multi qui in actu poſſident, & exercent, dum merentur: ſed pauciſſimorum eſt, ſentire diſtinctè & apertè nexum iſtum, manſionem iſtam, vocem iſtam, propter occurſationes curarum in memoria, phantaſiarum in intelligentia, & concupiſcentiarum (quamuis minimè criminalium) in volitiua, vel affectiua. Sentiunt hanc gratiam inhabitationis Chriſti & Spiritus ſancti, qui cum Apoſtolo mente excedunt Deo. Prætereà ſentiunt operationem intra ſe verbi Dei, de quo dicit idem Apoſtolus, quòd viuus eſt ſermo Dei, quia lo-*

qui

*qui poteſt cum quolibet; & efficax & penetrabilior omni gladio ancipite, quem gladium venit Chriſtus mittere in terram, vt pertranſeat vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, & feratur ſpiritus ſurſum, & anima maneat deorſum: quod fieri nequit, niſi maxima pax fuerit & ſilentium, tam ſurſum quàm deorſum, niſi prætereà fuerit diuiſio compagum, & medullarum, & cogitationum, & affectionum naturalium ſeſe complectentium. Fiat etiam diſcretio cogitationum & intentionum ſimplicium naturaliter acquiſitarum, vel acquiſibilium, & remaneat in ſentimento & experientia ſolus felix iſte & gratuitus Deiformis illapſus & influxus Spiritus Ieſu Chriſti, plus ſupereminens in ſpiritu & mente ſuper animam, quàm diſtat cælum à terra. Dicimus operationem vitalem non ita penitùs eſſe eamdem in ſpiritu, vel cum ſpiritu anima. Sentiunt hanc gratiam actualem & experimentalem non quidem omnes qui dignè manducant Corpus Chriſti, & in quibus manet Chriſtus, & ipſi in Chriſto, ſicut modò dicebamus.* Hactenus Gerſon, quibus præclarè vnionem ineffabilem animæ cum Chriſto, non omnibus dignè ſuſcipientibus, ſed Seraphicis mentibus conceſſam expoſuit.

Nec minùs præclarè Dionyſius Carthuſianus Serm. 4. de Feſto Corporis Chriſti de hac vnione diuina & ineffabili diſſeruit. *Si ergo*, inquit, *ita ſollicitus fuèris ſemper omnem culpam vitare, omnem obicem remouere, teque mundum receptaculum exhibere; ſenties & experieris certiſſimè præclaros & glorioſos huius Sacramenti effectus. Intrabit ad te, & introibit in animam tuam, intellectum atque affectum, in viſcera ſpiritus tui Chriſtus, virtus & ſapientia Dei Patris cum effuſione & communicatione opulentiæ ſuæ, oſtendet oculis tuæ mentis diuitias gloriæ ſuæ, quemadmodum*

*modum animæ S. Agnetis, quæ dixit: Oſtendit mihi theſauros incomparabiles, quos ſe mihi daturum, ſi ei perſeuerauero, repromiſit. Veniet & ad te Sol ſapientiæ cum emicatione largiflua illuſtrationis ſupernæ, cum luminoſo fulgore illuminabit oculos cordis, vt conſideres atque intelligas mirabilia legis ſuæ, & habeas fidem cum rationibus credendorum, ac depuratæ intelligentia mentis. Sic illuminatus ac ſpecialiter introductus in ſanctuarium Dei, in lucis incircumſcriptæ abyſſum, circumdatus lumine intueberis connexionem & ordinem, conſonantiam, rationes, fundamenta ac firmamenta fidei tuæ, apparebitque tibi, & verè ſic eſt, quòd nihil ſit rationabilius, nihil certius, nihil profundius aſſertionibus fidei Chriſtianæ, dum omnia comportantur. O quàm repentè ab aduentu & coruſcatione viſitationis & illuſtrationis pertactæ recedent ac fugient ab interioribus tuis nebulæ paſſionum, caligines inordinatarum affectionum, inquietudines ſolitudinum, tentationes circa mirabilia fidei, obſcuritates errorum, & omnia erunt ſerena, tranquilla, & iucunda in te! Sic igitur ingrediens Chriſtus in te, cœnabit tecum etiam ante prandium, & ſeipſum proponet tibi in ferculum, dicens: Comede amice, & bibe, & inebriare chariſſime: comede panem hunc vitæ & intellectus. Deguſta & vide quã dulcis ſim ego. Nullus corruptibilis cibus ita delectat & confortat, impinguat, extendit carnem mortalem, quemadmodum contemplatio, deguſtatio, & interna iſta refectio Sapientiæ, quæ eſt Chriſtus, facit fideliſſimam animam immortalem.*

*Porrò, ex iſta tam lucida intuitione Sapientiæ æternalis, protinus vehementer accendetur amore ipſius tuus affectus, & tunc verè Deificè ac ſupernaturaliter in Chriſtum mutaberis, ſecundùm quod amor, præſertim ſupernaturalis infuſus prædominans, transformat aman-*

*amantem in amatum. Cumque amatum hoc increatum ſit veræ amabilitatis penitus infinitæ, ac ſimul immenſæ efficaciæ ad trahendum ac rapiendum in ſe, ad alterandum inflammandumque apicem affectiuæ, trahit ſæpiſſimè mentem amantis tam validè, tam prædominanter & gratioſè in ſe, in diuitias gloriæ ſuæ, in Oceanum delitiarum beatitudinis ſuæ, quòd apex mentis prorſus abſorbetur atque demergitur in ipſam Deitatis abyſſum, præ cuius admiratione, intuitione, dilectione, deguſtatione, complacentia deficit prorſus à ſe, tamque vehementer mens tota Deitati intenta eſt, quòd omnes vires ſenſitiuæ inferiores à ſuis actibus ſuſpenduntur, harmonia velut congelatione quadam conſtringitur, corpus ſopitur, membra rigeſcunt, motiua vis deficit, iacetque caro velut truncus immobilis, nec viuit homo tunc vita animali humana, ſed intellectuali ac Deiformi dumtaxat. De his multa leguntur in libris de quibuſdam ſanctis perſonis, imò & nonnullis innocentibus prælectis puellis, quæ ad huiuſcemodi perfectiones prorſus mirabiles ac diuinas perductæ ſunt, non ſolùm interdum aut raro, aut duratione permodica; ſed valdè frequenter, & per ſpatia longa, & quædam ſepties aut circiter omni die, in omni quoque ſacra Communione & celebratione, præſertim ſub eleuatione. Quòd ſi quis iſta non credat, in promptu eſt etiam his diebus hoc demonſtrare ad oculum. Iacent ac degunt hinc inde deuotiſſimæ puellæ ac feminæ in ſæculo, & in Cœnobiis, & forſitan aliqui viri; in quibus iſta & ſimilia aguntur & conſpiciuntur, quibus Deus omnipotens & æternus incerta & occulta ſapientiæ ſuæ demonſtrat.*

Idem Serm. 4. de Viſitatione B. Mariæ, explicans illa verba, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Quantò magis*, inquit, *nos pauperculi & puſilli, Chriſto ad nos in Sacramento quotidie venienti dicere*

*dicere ex profundiſsima humilitate debemus: Vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus, Dei Patris vnicus Filius, ad me?* Et infrà: *Propterea hoſpitem iſtum dignitatis ac maieſtatis immenſæ apud nos & in nobis inceſſanter ſeruare infatigabiliter laboremus, faciendo iugiter quæ eum delectant, vt ſunt opera charitatis, pietatis, pax, concordia, humiliatio magna, contemplatio diuinorum, omniumque actus virtutum. Quòd ſi ita egerimus, ſemperque grati ac diligentes fuerimus, libenter valdè manebit nobiſcum, & gratiarum ſuarum chariſmata augebit in nobis, atque perficiet, qui per Salomonem teſtari dignatus eſt: Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominum. Et per Ioan. in Apocal. Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Præterea, ſi ita egerimus, abundanter ac celeriter valdè creſcemus in omni virtute, præſertim in charitate & dono ſapientiæ; ita quòd Deus in corde noſtro quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros noſtros quieſcet. In intellectu noſtro quaſi in Cherubim reſplendebit, in affectu noſtro ſuperiori quaſi in Seraphim incaleſcet, in memoria quaſi in throno reſidebit cæleſti. Tunc ſuauiſsimè conſolabitur corda noſtra, & gratioſiſsimè mentem noſtram præueniet; exceſsibus quoque inopinatis, repentinis, validiſſimis rapiet eam aliquando in ſe, ita vt nec ipſa queat reſiſtere, ſed defluens atq; deficiens à ſeipſa tota tranſeat, transformetur, abſorbeatur in Dilectum, & lucis immenſæ intueatur abyſſum, & igne amoris ſuperamabiliſsimi Dei totaliter incendatur, ita vt ei non ſapiat niſi Deus, & cum ſponſa decantet: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexata eſt me. Tunc anima tam piiſsimè deſuper viſitata videbit & afflue, & mirabitur maieſtatem Dei in ſe, dignationemque eius ad ſe, & dilatabitur cor eius amplitudine charitatis in tantum, vt omnes etiam inimicos in ſe comprehendat,*

 *vni-*

*vniuerſorum ſalutem cordialiſſimè appetendo, atque pro cunctis toto affectu rogando. Denique quantò tunc Deus gratioſiùs agit nobiſcum, quantò ſplendidiùs cor noſtrum illuſtrat, & ſuæ Diuinitatis altitudinem infinitam clariùs ei oſtendit, tantò limpidiùs propriam conſpicit paruitatem, vilitatem, defectuoſitatem, & culpam. Vnde & tantò profundiùs ſeipſam humiliat, gratiſſima ac humillima loquens: Vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me, & taliter agat mecum? Tunc certè in mente omnia ſunt ſerena.*

Taulerus aliis forſan pleniùs & clariùs hanc beatam Chriſti in Sacramento cum anima coniunctionem explicauit Inſtitut. cap. 39. *Duodecimus*, inquit, *idemque poſtremus Euchariſtiæ fructus eſt, vnio inſeparabilis cum Deo. In hac admirabili vnione omnis diuinæ perfectionis anima particeps eſt, tamque perfectè omnis illius perfectionis, quæ Deus ipſe eſt, ſuprema virtute repletur, vt nullius omnino rei capiatur deſiderio: habens nimirum in illa feliciſſima vnione quidquid vult, Deum videlicet ipſum, & omnia, ſupremamque perfectionem ſuam ſupra modum & tempus in illa æternitate, quæ Deus ipſe eſt. Hæc vnio animæ cum Deo, felix quædam deguſtatio eſt omnis illius beatitudinis, qua ipſe perpetuò ſupra modum & tempus in illa beatitudine & vnione, quæ Deus ipſe eſt, perfruetur, habetque omnem illam perfectionem, qua creaturæ omnes rationales ſine fine in beata illa æternitate, quæ Deus eſt, perfruituræ creduntur. Denique & deguſtationem quamdam in tempore gratiæ habet, quæ inchoatio eſt diuinæ illius vnionis, qua ipſa perenniter Deo optimo maximo in æternitate illa, quæ idem ipſe eſt, feliciſſimè copulabitur. Itaque nec omnes ſimul mortales verbo vel ſcripto vtilitatem, fructum, atque beatitudinem illam, quam anima ſancta ex Dominici*

Cor-

Digitized by Google

*Corporis digna perceptione conſequitur, plenè atque perfectè exprimere poſſent. Vt verò ſupradictos Euchariſtiæ fructus diuina nobis miſericordia præſtare velit, ante & poſt Communionem deuotiſsimè eſt obſecrandus.*

Idem Serm. 2. de Venerabili Euchariſtiæ Sacramento: *Tranſeamus nunc ad ea quoque D. Bernardi verba conſideranda, quibus ait: Digeror, dum transformor; vnior, dum conformor. Sed quando tandem, ait aliquis, ſæpè memorata finietur afflictio? quis eius terminus? quóve tandem hominem à ſeipſo deficientem perducet? Ad iucundiſsimum quemdam finem, nimirum ad feliciſsimam vnionem Dei, qua in Deum transformatur, Deoque vnitur & conformatur. Quod nobis Paulus Apoſtolus, ſicut ipſe hoc veraciter in tertij cæli ſchola, in diuinæ claritatis ſpeculo didicerat & fuerat contemplatus, liquidò ſatis probat, dum ait: Nos verò omnes reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Qui quomodo ſpiritum hominis in ſe trahat, rapiat, transformet (quemadmodum D. Auguſtino Dominus ait: Tu mutaberis in me) vt inquam iſta mutatio fiat, illi feliciter experiuntur, qui viam memoratam ritè ambularunt. Contingunt autem eis prædicta omnia non in multiplicitate, ſed in pura quadam ſimplicitate, de quo paucis aliquid dici non poteſt. Eſt inuenire quoſdam in prædictis exercitiis poſitos, quibus hæc pura transformatio velut in ſupernaturali quadam coruſcatione repentè contingat, nonnumquam ſemel aut bis in hebdomada, interdum ſemel, bis, térve, aut ſæpiùs in die, quoties videlicet diuina id eis præſtat miſeratio, & ipſi ad intimum animæ ſuæ fundum ſeſe recipiunt. Contingit autem quandoque cum diſcretione quadam, quando-*

*que ſine omni diſcretione in quadam caligine.*

Idem etiam Serm. 3. vt ſuprà, de diſpoſitione ad hanc mirabilem vnionem agens, ita ſcribit: *Enimuerò hanc ineffabilem & incomprehenſibilem præſtantiſſimi Sacramenti huius dignitatem, nobilitatem, ac diuitias veraciter ſentire & aſſequi cupientibus in primis neceſſarium eſt vt abſtractè viuant, cum Magdalena otio ſancto vacent, ſolitariè degant, & in interioribus ſuis commorentur; hoc eſt, neceſſaria illis eſt abſtractio, otium ſanctum, ſolitudo, & interioris hominis ſedula inhabitatio.* Et infrà: *Vbi verò ab externis exercitiis præſtatur otium, tunc totum ſe cum omni ſui parte, cum viribus & ſenſibus omnibus intrò recipiat, recolligat, vniat, & in animæ ſuæ fundum immergatur abſorbeaturque. Sanè quanta hîc animæ conferatur dignitas, cùm ea prorſus ineffabilis ſit, nec verbis explicare, nec intellectu capere valemus. Si enim tanta eſt claritas & puritas hominis in ea naturali dignitate & qualitate, qualis erat Adæ protoplaſti ante præcepti tranſgreſſionem, in ſola dico natura illa abſque gratia conſtituti, vt nullius hominis intellectus ſatis eam queat comprehendere; quo tandem modo fieri poſſit, vt aliquis intellectus hanc ſupereſſentialem capiat abyſſum, vbi cibus hic vitalis cum homine miro quodam modo vnitur, adeoque eumdem totum in ſe trahit, & in ſe transformat, vt nulla poſſit vnio coniunctior, nec transformatio verior perfectiorque cogitari? cùm longè veriùs anima hîc vniatur Deo, in ipſumque perfectiùs transformetur, quàm guttula vna aquæ ingenti dolio infuſa mutetur in vinũ, aut Sol cum ſplendore ſuo in eodem vitro vniatur, aut anima denique ſuo copuletur corpori, quæ vnum hominem vnamq; ſubſtantiam conſtituunt. In hac autem vnione ſpiritus Deo vnitus ſupra omnem infirmitatem, naturalitatem (vt*

ita

Digitized by Google

*ita dicam ) & diſſimilitudinem ſuam, ſupra quoque omnes vires ſuas, & ſupra ſeipſum rapitur, ibique purificatur & illuſtratur, omniaque opera & totam vitam, cuncta exercitia & inſtituta illius Deus pertranſit atque permanat, cunctaque hæc in diuinum quemdam modum transferuntur, diuinaque redduntur. Hîc iam Verbum increatum in anima reipſa naſcitur, & (vt dixi) ſpiritus omnem perdit diſsimilitudinem, atque in diuinam profluit vnitatem. Sicut enim ignis in lignum agens, humorem, viriditatem, craſsitiem illius abſumit, ipſumque calidius, feruentius, ſibique ſimilius reddit, & quò lignũ igni fit conformius, eò ampliùs omnis ab eo perit diſſimilitudo; deinde breui interuallo temporis ignis omnem ligni materiam adeò abſumit, vt iam lignum quoque ignis ſit, omniſque intereat tam ſimilitudo quàm diſſimilitudo: vnum quippe cum igne lignum effectum eſt, nec iam illi ſimile dicitur, ſed & ipſum quoque ignis appellatur; vnitas namque multiplicitatem neſcit: ſic inquam & ſpiritualis hic cibus ſpiritum hominis Deo vniti extra omnem diſſimilitudinem ad veram ſimilitudinem, & extra hanc ad diuinam pertrahit vnitatem, vbi iam ſpiritus illuminatus ac purificatus, diſſimilitudinem & ſimilitudinem perdit; quippe in quo feruor Diuinitatis igni amoris omnem abſumpſit humorem, craſſitiem, diſſimilitudinem, idemque hic per cibi huius operationem in Diuinitate ſe amittit: ſicut & ea Domini verba teſtantur, quibus ad Auguſtinum ait: Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me; nec tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.*

Idem etiam Auctor cibi corporalis ſimilitudine exponit huius diuinæ vnionis incomprehenſibilitatem, dicens: *Verùm, antequam huc perueniatur,* (loquitur de ecſtatica iſta vnione) *natura innu-*

*meras priùs mortes ſubire habet, diuerſaque, incognita, deſerta, & mirabiles viæ calcandæ ſunt, per quas Dominus hominem trahit, ſibique mori docet. Sed quis dicere ſufficiat, quàm præclariſſima, fructuoſiſſima, delicioſiſſima vita ex ipſis naſcatur mortibus? Planè ſibi ipſi mori poſſe, ineffabile prorſus atque puriſsimum quoddam bonum eſt. Certè quotidiana experientia edocti ſcitis (dilectiſsimi) quòd cibus corporeus, panis & vinum, & quocumque alio veſcimur, priùs in ſeipſo penitùs corrumpi ac deficere habet, antequam in naturæ noſtræ ſubſtantiam tranſeat, eidemque vniatur. Multipliciter namque priùs, vt ita dixerim, mori, funditùſque in ſeipſo corrumpi & perire ipſum neceſſe eſt, antequam perfectè delabatur ad ſtomachum: hîc verò denuò à ſe deficere habet, priuſquam ad hepar, ad caput, ad cor, & ad ſenſus perueniat, atque his ipſis vniatur, ac demum ſpiritalis fiat. Hîc verò tam ſibi ipſi diſſimilis effectus eſt cibus, vt nulla oculorum acies, nec ſenſus vllus diſcernere poſſit, certoque pronuntiare, cibum fuiſſe. Imò tam ſubtilis modò eſt, vt nulla poſsit ratio conſequi vel intellectus, vbi, quomodo nunc operetur, vbive conſiſtat: credi tamen poteſt, ſed ſenſibus haudquaquam apprehendi. Sic ergo multò minùs ſciri vel intelligi poteſt, vt ſpiritus hominis in diuinam tranſeat, ſemper tamen creatura manens, vnitatem; cùm adeò hîc ipſe ſe perdat, vt nulli exploratum ſit intellectui, an vmquam creatura fuerit. Verùm, non deſunt, proh dolor! homines ſtupidi ac ſtolidi, qui iſta carnaliter accipientes, dicant ſe in diuinam naturam transformandos; quod quidem non ſolùm falſiſſimum, verùm etiam hæreticum eſt. Siquidem excellentiſsimam, intimam, coniunctiſsimamque creaturæ cum Deo vnionem in immenſum diuina excedit natura & eſſentia, quippe quæ prorſus infinita quædam*

*abyſſus*

*abyſſus eſt, quam certè nulla vmquam creatura comprahendere valebit. Enimuerò cùm nulla ſit tanta, perſpicax & ſubtilis creatura, quæ ad admirabiles cibi corporei meatus & vias, aut naturæ humanæ dignitatem, aut quo pacto anima in capite, manibus, pedibuſque vitam operetur, ad plenum capere ſufficiat; qua ratione fieri poßit, vt aliquis abditiſsimam hanc abyſſum penetret, ſciatque quid præclariſsimus hic cibus in ſpiritu puro ac illuminato operetur.*

## CAPVT XXIX.

### *Plenior diuinæ Vnionis animæ cum Christo in Euchariſtiæ Sacramento contingentis explanatio.*

SED vt pleniùs hanc Vnionem animæ cum Chriſto ad mentem Scripturæ ſacræ, Patrum ac Scholaſticæ Theologiæ methodum explicemus, illud primo loco præmittendum duximus, quod & à nobis ſuperiùs, dum de Vnione fruitiua loqueremur, pertractatum eſt; nempe, amorem (vt auctor eſt D. Thomas 1.2.q.28. art.1. in corpore, & ad 2.) ſuapte natura contendere ad vnionem non tantùm per affectum, verùm etiam realem amantium inter ſe, eo modo quo fieri poteſt: quo ſenſu D. Thomas adducit & explicat illa verba Auguſtini lib. 8. de Trinit. cap. 10. vt amor ſit iunctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem ſcilicet, & quod amatur. Quod enim dicit *copulans* (ait D. Thomas) refertur ad vnionem affectus, ſine qua non eſt amor: quod verò dicit *copulare intendens*, pertinet ad vnionem realem. Idem quoque ſanctiſſimus Doctor in ſolutione ad 2. hac ratione explicat dictum Ariſtophanis apud Ariſtote-

lem 2. Politic. cap. 2. qui dicebat talem eſſe amorem ex ſe, vt virtute illius, ſi fieri poſſet, ex ambobus amantibus fieret vnus: quia verò hoc impoſſibile eſt, amor, inquit, quærit reipſa vnionem quæ conuenit & decet, quæ quidem realis coniunctio, eſt amoris præcipuus effectus & conſummatio.

Superiori igitur capite ex mente Patrum latè probauimus, præter illam vnionem, quæ per affectum charitatis dicitur, quę omnibus dignè ſuſcipiētibus Chriſtum communis eſt, vnionem aliam realem, quæ conſummata eſt & verus amoris effectus, aliquando etiam inueniri: hanc verò nihil aliud eſſe diximus, quàm ipſius Chriſti illapſum, quo per vnitiuum amplexum animabus heroicis virtutibus præditis ſe manifeſtat, ac percipiendum reali contactu eiſdem ſeipſum exhibet. Oportet igitur nunc latiùs explicare, quibus mentibus, & quando hæc diuina contingat vnio, & quid tandem illa ſit.

Sed vt certa ab incertis diſcernamus, illud in primis ſtabilire oportet, hanc vnionem realem conſummatam & perfectam, quæ ad ipſius Chriſti illapſum, ſiue diuinum eius amplexum & manifeſtationem conſequitur, non in omnibus dignè Chriſtum ſuſcipientibus inueniri: cuius rei ea poteſt aſſignari ratio, quia ad iſtam vnionem realem & conſummatam animæ cum Chriſto, non ſufficit amor quantumuis perfectus, nec alia diſpoſitio in ſuſcipiente Euchariſtiam: nam amoris vis, etiamſi poſſit aliquando amantes loco coniungere, eoſque ſibi præſentes efficere, vt ſua præſentia reali mutuò fruantur, non tamen eò pertingere poteſt, vt realem & conſummatam vnionem ita efficiat, vt vna caro vel vnum quid reale ſe inuicem amantes dici poſſint; requiritur enim vlteriùs corporum inter ſe attempe-

temperatio, vt vnum corpus aut vna caro ratione talis coniunctionis eſſe dicantur. Hæc igitur ratio eſt, quare ferè omnes dignè ſuſcipientes Chriſtum cum ipſo in venerabili Euchariſtiæ Sacramento per affectum tantùm vniantur, rariſſimè verò reali & naturali vnione: nam quamuis hi mutua Chriſti præſentia gaudeant, tam corporali quàm ſpirituali & diuina, quia tamen illa præſentia Chriſti corporalis eſt omnino abſcondita, ac fide potiùs credita, quàm experientia tactus aut alterius ſenſus percepta, & præterea Corpus Chriſti non eſt ita attemperatum & vnitum corpori (ſi regulariter loquamur) eum etiam dignè ſuſcipientium, vt ab illis amplexetur, tangatur, aut ſenſu aliquo percipiatur; verè non poteſt ibi alia vnio, quàm ea quæ per affectum charitatis dicitur, imaginari; ſicut de facto cum Deo per gratiam nobis inhabitante ac intimè præſente, aliam vnionem, regulariter loquendo, iuſti non habent, quàm eam quæ per affectum amoris & charitatis inuenitur. Dixi, *regulariter loquendo*; quia aliquando non ſine ſpecialiſſima gratia iuſti ad realem, immediatam, & fruitiuam cum ipſo Deo vnionem euehuntur, vt pleniùs in ſuperioribus ſcripſimus.

Iſta verò vnio per affectum charitatis, quam omnibus iuſtis debitè ad Euchariſtiam accedentibus communem eſſe diximus, eſt proprius effectus iſtius Sacramenti, de qua etiam propriè intelliguntur illa verba Chriſti Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quæ quidem verba expendenda ſunt; non enim dicitur *manet in carne mea, & caro mea manet in ipſo*; ſed *ego in ipſo, & ipſe in me.* denotans etiam vnionem per quam dicitur amatum eſſe in amante, & amantem in amato. Secundò, illud etiam videtur

certum, præter iſtam vnionem per affectum charitatis, aliquando etiam diuina miſeratione Chriſtum defæcatis mentibus vnionem realem per claram ſuiipſius manifeſtationem & perceptionem indulgere: quæ quidem nullius creaturæ meritis ſiue diſpoſitioni reſpondit, cùm ſit gratia gratis liberaliſſima Dei manu pauciſſimis conceſſa. De hac vnione Patres ſuperiori capite allati apertè loquuntur, probarique ea coniecturali ratione poteſt; quia aliquando ſummus Chriſti amor eò pertingere ſolet, vt ſuam diuiniſſimam in hoc Sacramento præſentiam animæ eam ſitienti ac ſuſpiranti ampliùs occultari non patiatur, ac ſeipſum poſt fidei parietem abſconditum apertè manifeſtet, dulciſſimoque amoris amplexu languentem ſponſam complectatur, diuinaque virtute operante, eius corpus ita attemperetur & vniatur ſpiritui, ſiue corpori eum ſuſcipientis, vt ab eo tangatur, ac ſenſu ipſo tam interno quàm externo percipiatur. Vnde fit, vt non tantùm vnio per affectum charitatis, ſed & illa quæ eſt per effectum realis coniunctionis, perfectè inueniatur: ſicut enim coniuges ratione coniunctionis carnalis ex ardenti & mutuo amore profectæ, vna caro meritò nuncupantur, teſtante Scriptura Gen. 2. *Erunt duo in carne vna.* & Matth. 19. & Marc. 10. *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Ita in hoc Sacramento, quod inter coniuges efficit corporalis coniunctio tamquam ipſius amoris effectus & conſummatio, efficit iſte Chriſti illapſus & manifeſtatio per ardentiſſimum amoris amplexum, quo ipſe Chriſtus immediatè chariſſimam ſibi ſponſam amplectitur, ab eaque reciproco amoris vinculo & nexu tenaciſſimè reali & conſummata vnione adſtringitur.

Hoc enim eſt diſcrimen inter ſenſationem tactus & ce-

& ceterorum ſenſuum, quia ad illius ſenſationem non ſufficit, ſicut ad alios, ſenſus intentionalis, ſed neceſſariò requiritur aliqua immutatio naturalis & realis. Quare non poteſt tactus obiectum ſuum percipere, niſi immutetur realiter ab illo: vnde non poteſt obiectum tangibile producere ſpeciem ſui in tactu, niſi immediatè ei ſit vnitum, & reali contactu eum contingat. Chriſtus igitur cùm in hoc Sacramento aliquando per iſtum contactum vitalem defæcatis mentibus præbeat ſe per diuinum amplexum & illapſum percipiendum, neceſſariò fit vt Chriſtus ſit vnitus animæ, & anima Chriſto. Ad hunc verò contactum & vnionem Chriſti ſequitur vitalis perceptio præſentiæ Chriſti non ſolùm in anima, ſed & aliquando etiam in carne eum dignè ſuſcipientis. Præterea, quemadmodum ad tactum & perceptionem obiecti tangibilis, ſequitur realis ac naturalis immutatio organi: ita ad tactum, qui fit per vnionem & amplexum Chriſti cum anima, & animę cum Chriſto, ſequitur immutatio non Chriſti, ſed animæ, quæ hoc ineffabili contactu in Chriſtum transformatur, non aliter ac ferrum ad ignis contactum alteratum in ipſum ignem transformatur. *Nec tu* ( inquit Auguſtinus de hoc Sacramento loquens) *mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me.* Quam transformationem meritò D. Thomas præſenti cap. citatus copulam animæ cum Chriſto appellat illis verbis: *In hoc autem gradu & in indicibili modo rapit & rapitur, tenet & tenetur, ſtringit & ſtringitur, & vna vni per amoris copulam ſociatur.*

Dionyſius: *Amor eſt copula amātis cum amato*, &c. Hęc autem copula & coniunctio non ſolùm eſt moralis, ſed & verè dicitur realis, quia realiter Chriſtus animæ coniungitur, eique oſcula ſpitiritualia

im-

imprimit, & mutuò etiam ab ipſa anima oſculatur, percipitur, aſtringitur, & tenetur; appellaturq; meritò hæc coniunctio matrimonium ſpirituale inter animam & Chriſtum, inter quos matrimonium per charitatis affectum contrahitur; per illapſum verò Chriſti in animam & per eius amplexum, conſummatur & perficitur.

Iſtud verò matrimonium ſpirituale eſt ſuprema vnio animæ cum Chriſto, eſt maxima omnium, quæ in hac vita cum eodem Chriſto contingere poteſt; nec facilè ad eam omnes dignè etiam ſuſcipientes Chriſtum admittuntur, ſed tantùm illi, qui ab ipſo diuerſis tribulationibus & tentationibus priùs fuerunt exercitati, ac veluti aurum in fornace probati, ac digni inuenti, vt diutiùs amorem ac præſentiam ſuam in hoc Sacramento Chriſtus præ nimio amore diſſimulare ac occultare non poſſit: imò, quemadmodum magnus ille Patriarcha Ioſeph aliquamdiu alienum ſeſe & implacabilem fratribus ſuis oſtendens, illorum inſpecta anguſtia grauique dolore, nequaquam ſe vltrà continere potuit, vicit demum natura, vicit ſanguinis coniunctio, venæ charitatis commotæ ſunt, lacrymæ proruperunt, tandemque inquit, *Ego ſum Ioſeph frater veſter, adhuc pater meus viuit?* ac in ſingulorum colla ruens, blandè amplexatus, & fraterno eos affectu eſt exoſculatus. Itaque clementiſſima illa maieſtas Dei, quamuis ſponſæ eius præſentiam ardentiſſimè deſideranti, ad maiorem eius probationem, alienum ſeſe ac ſubauſterum illi priùs exhibeat, ex ingenita tamen bonitate ſua diutiùs differre non poteſt, quin clamantem ſuſpirantemque ſponſam, eius dulciſſimam præſentiam & vnionem propitius exaudiat, ad ſeſe trahat, ſibique in charitate conſummata, hoc eſt,

ſpi-

ſpirituali matrimonio coniungat. Sic igitur poſt multa tandem ſuſpiria, accepto in hoc Sacramento ſponſi oſculo, introducitur amans anima in cellam vinariam, vbi pretioſa vina propinantur, quibus animæ quę cò ingrediuntur ſuauiſſimè inebriantur.

Dices: Qua igitur ratione Chriſtus in hoc Sacramento reali coniunctione his animabus coniungitur? An, inquam, priùs ſua carne noſtram tangente, & ſua virtute ad ſpiritum vſque noſtrum pertingente; ſeu potiùs immediatè animæ ipſi illabatur, ac eius præſentiam realem exhibeat, eique arctiſſimè vniatur.

Reſpondeo, hanc vnionem in primis eſſe ineffabilem, ac proinde vix poſſe eius modum exactè explicari: guſtari poteſt, quod explicari nequit. Ceterùm, quamuis perfectè nequeat iſtius vnionis diuiniſſimus nexus elucidari, breuiter tamen, ac ſub peritiorum correptione, illud imprimis ſentimus, in hac vnione Corpus Chriſti tangi, palpari & ſentiri ſupernaturaliter poſſe etiam à noſtra carne & de facto id contingere, vt ſequenti capite diſſeremus. Quomodo verò glorificatum corpus tangi queat, cùm adeò ſubtile ſit, vt neque attrectari neque teneri poſſit, hoc diuinæ omnipotentiæ attribuendum arbitror. Legimus in Euangelio Ioan. cap. 20. Thomæ Chriſtum dixiſſe: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*, &c. Vbi D. Auguſtinus ac quamplures alij Patres, per illud verbum *vide*, intelligunt *tange*, & verè Thomam Chriſti corpus tetigiſſe, ex Auguſtino & aliis Patribus infert Maldonatus in Commentariis eiuſdem loci. Non igitur quia glorioſum, ideò à noſtra carne ſentiri, aut percipi, ſiue tangi diuina virtute nequit. Caro igitur Chriſti eorum carni, qui ardentiſſima inflammati charitate

cam

eam ſuſcipiunt, reali coniunctione vnitur, & tunc Diuinitas, imò totus Chriſtus animæ illabitur, ac intimè realique coniunctione inhæret. Hæc conſummata & perfecta cum Chriſto vnio tam in carne quàm in ſpiritu, in hac vita inchoatur, perficitur & conſummatur in gloria. Hæc vnio immediata noſtrę carnis cum Chriſti etiam viuificante carne, magis conſona Patrum loquendi modo videtur.

Poſſumus etiam in hac vnione illud ſatis probabiliter iudicare, vt ipſe Chriſtus ſine alio phyſico aut reali noſtræ carnis contactu, vſq; interiora ſpiritus noſtri clauſis corporis ianuis ingrediatur, ibique ſpiritui digniſſimè eum recipientium manifeſtetur, eique arctiſſimè coniungatur, ita vt ſpiritus noſter per interiorem amplexum vitali ſenſatione, intellectu ſcilicet & voluntate, ipſum Chriſtum ſibi vnitum ſentiat, tangat, percipiat, deguſtet, eique intimè adhæreat, atque vnus cum Chriſti Spiritu factus viuat. quod apertè ſonare videntur illa verba Ioannis 14. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Quæ quidem manifeſtatio, vt ſuperiori capite diximus, nihil aliud eſt, quàm illapſus Chriſti in animas ſanctiſſimas per amplexum & deoſculationem ſuauiſſimam; quem amplexum cùm deguſtaret ſponſa, *Læua eius*, inquit, *ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

In hac verò experimentali ipſius Chriſti tempore huius illapſus perceptione, quæ ſint vitales tam intellectus quàm voluntatis operationes, explicemus oportet. In primis intellectus tunc ſentit ac vitaliter percipit Chriſti præſentiam, ita vt nulla ratione poſſit dubitare Chriſtum eſſe ſpiritui proprio vnitum, licet eum intuitiuè ac clarè non conſpiciat, ſicut

ſpon-

ſponſa nocturno tempore ſponſi amplexus, quem videre nequit, ſentire poteſt, & de eius pręſentia reddi certa, vt in ſuperioribus pleniùs explicuimus.

Aliquando verò ipſe Chriſtus, clementiſſimus animarum ſponſus, tunc temporis permittit non ſolùm ab intellectu ſub fidei nocte percipi, ſed & clarè ac intuitiuè videri non multùm diſſimili viſione (quantum ad hoc) ab ea, qua nunc à beatis ſpiritibus videtur in cælo, quamuis non ea plenitudine gloriæ, claráque eſſentiæ diuinæ viſione. In venerabili igitur Euchariſtię Sacramento, prędicti illapſus ſiue vnionis tempore, viſio intellectualis oculi diuina virtute eleuati in ipſum Chriſtum terminatur, non tantùm vt ibi præſentem, ſed vt omnino dignè ſuſcipienti vnitum, ac intimè per amplexum illum diuiniſſimum coniunctum: qua quidem viſione intellectus fit omnino certus de præſentia Chriſti, tam ſub ſpeciebus Sacramentalibus, quàm ſibi arctiſſimè coniuncti. Quare ſanè certitudo pro breuiſſimo illo tempore fidem euacuat, quantum ad illum articulum de præſentia Chriſti in Sacramento. Quòd verò poſſit intellectus creatus, diuina virtute eleuatus, videre Chriſtum ibi Sacramentaliter exiſtentem glorioſum & beatum, immò etiam ſine modo Sacramentali, communior eſt Theologorum ſententia.

Si verò de voluntate loquamur, certum eſt, ipſam tempore iſtius illapſus immediatè Chriſtum ipſum ſibi præſentem dulciſſimè amplecti, ac eius ſuauiſſimam præſentiam & oſculum deguſtare, ac delicioſiſſimè frui; quare voluntas tunc perfectiſſimè Deo vnitur, ipſumque perfectiſſimè amat, ſentit, & guſtat; & ſicut beatitudo cæleſtis conſiſtit in manifeſtatione ſeu manifeſta viſione ipſius Dei, ac vnione



Digitized by Google

intellectus & voluntatis cum ipſo; ita iſta vnio ſiue perceptio vitalis Chriſti, quæ beatitudinis vera inchoatio dici poteſt, nihil aliud eſt, quàm perceptio ſeu ſenſus vitalis Chriſti in Sacramento exiſtentis, qua non minùs intellectus quàm voluntas ipſum Chriſtum immediatè attingunt. Sunt enim iſtæ duę potentiæ, quaſi duo brachia, quibus anima Chriſtum complectitur, eique vnitur.

In hac igitur præclariſſima vnione, anima etiam in hac vita præ amore extra ſe rapta ſoporatur, ibique dormit ſomno placidiſſimo, ac per mentis exceſſum extra ſe rapta, omnino eius ſenſus tam interiores quàm exteriores abſorbentur. Huiuſmodi ſoporem ecſtaſimque deſiderabat ſponſa in Canticis, clamans apud Bernardum: *Indica mihi, ô tu quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, vbi cubem tecum. Huiuſcemodi ſopore tenebatur amans illius præ cunctis à ſponſo dilecti Diſcipuli anima, cùm in eius pectore reuera lacte & melle manante recumbens, incomprehenſibilem illam ſapientiam exſuxit, quam poſtmodum ad totius mundi refocillationem abundè effudit. Huiuſmodi ſomnum dormiuit primus ille omnium noſtrûm parens Adam in paradiſo, in ſtatu adhuc primæuæ innocentiæ, ſummaque illa perfectionis dignitate conſtitutus. Huiuſmodi ſopore ſoporatus fuit Apoſtolus Paulus, qui raptus in tertium cælum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. In talem ecſtaſim fuit raptus egregius ille Propheta, qui cum Deo quadraginta diebus ore ad os loquebatur, non ſanè per vmbram aut in ænigmate, ſed apertè, ſicut ſolet amicus ad amicũ loqui.* Et infrà: *Nec mirandum eſt, cur ſoporem hunc non nocturnum, non matutinum, ſed meridianum ſponſa nuncupet. Haud inquam præter rationem: nam in meridie Sol om-*

*omnium feruentiſsimè, ſplendidiſsimè, altiſsimè in ſua ſphara refulget; ſic in dulciſsimum huius exceſſus ſoporem ſponſa peruenire nequit, niſi feruentiſsima priùs charitate Dei & proximi ſuccenſa, niſi ſplendidiſsimis Solis iuſtitiæ radiis illuſtrata, niſi in altiſsimo virtutum omnium ſolio conſiſtens. Iſtud profectò epulum omnium eſt deliciosiſsimum, ſupremaque omnium felicitas, quæ in hoc mundo ſponſa contingere poteſt. Guſtus enim quidam eſt cæleſtium voluptatum, fruitioque amplexus ſponſi. Iſtud eſt, quod præ omnibus potiſsimùm deſiderat ſponſa. Verùm, proh dolor! adeò rarò, adeò tenuiter ac momentaneè hac illi ſuauitate frui licet, vt eam, priuſquam ſe percepiſſe ſentiat, amittat.* Hactenus Bernardus. Non enim durat hæc feliciſſima ſponſi præſentia, niſi quantum ſpecies Sacramentales non conſumuntur, imò nec per hoc ſæpè tempus; *rara enim eſt* ( vt inquit Bernardus) *hora, & breuis mora.*

Inferamus igitur primò ex dictis, prefatam vnionem carnis Chriſti cum noſtro ſpiritu non conſiſtere in eo præcisè quod Chriſtus ex intimo affectu, per modum cibi intra nos operatur, vt aliqui exiſtimarunt: eſt enim iſta vnio moralis tantùm, quæ nullâ ratione dici poteſt realis & naturalis vnio, cùm adhuc Chriſtus ipſe per modum cibi intra nos operans nullo ſenſu percipiatur aut tangatur, ſed fide tantùm credatur & cognoſcatur vt præſens. Hæc autem vnio, de qua locuti ſumus, verè realis, ſubſtantialis & naturalis, quia non fide tantùm & affectu, ſed reipsâ puriſſimæ animæ ipſius Chriſti conſummatam ex eius diuino amplexu ſentiunt vnionem.

Dixi, eam vnionem rectè vocari naturalem, non quòd vna in naturam alterius conuertatur, ſed quia

Chriſtus ſecundùm veritatem naturę & carnis ſuæ, nobis vnione reali per phyſicum contactum eo modo, quo fieri poteſt (nempe per vitalem perceptionem) coniungitur. Chriſtus enim animæ noſtræ & ſponſus & vitalis cibus, in hoc Sacramento, miro quodam modo vnitur, ita vt totum hominem ad ſe trahat & transformet, vt nulla poſſit vnio coniunctior, ac transformatio verior perfectiorque cogitari in hac vita. Sicut enim ignis omnem ligni materiam adeò abſumit, vt iam lignum non tam lignum quàm ignis eſſe videatur, vnumque cum igne efficiatur, omniqué deperdita ligni ſimilitudine in ignem ita transformetur, vt ignis etiam nomine meritò appelletur; ita anima hoc arcano Chriſti contactu tota à ſeipſa deficiens, Chriſto ipſi vnitur, ac in eum ineffabili modo transformatur, ita vt pro illo breuiſſimo tempore diuinis Chriſti ſplendoribus tota illuſtrata, ac eius amplexu penitùs ignita, in ipſum Chriſtum tranſiuiſſe videatur, cum Apoſtolo verè dicens: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Simili fermè comparatione vnionem hanc explicat S. Cyrillus l. 15. in Ioan. c. 14. *Quemadmodum ſi quis ſcintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum neceſſariò fiet; ſic Verbum Dei tamquam ſcintilla in naturam noſtram immiſſum totam inde inflammauit, atq; ad vitam, interitu penitùs deſtructo, reduxit.* Et forſan in hoc etiam ſenſu loquitur ipſe Cyrillus, aliiq; Patres, cùm ſimiles huius vnionis comparationes adducunt, quales ſunt illæ de cera liquata alteri ceræ liquatæ infuſa, quæ per minimas partes illius ceræ miſcetur & permeat, & de fermento toti maſſæ permixto, & aliæ ſimiles, quæ apertè huic mirabili & arcanæ cum Chriſto vnioni quadrare videntur.

Secun-

Digitized by Google

Secundò infertur, Chriſtum, quantum in ſe eſt, paratiſſimum eſſe omnibus eum dignè ſuſcipientibus, ſi ea mentis puritate, eum ſuper omnia ſinceriſſimè diligendo, feruentiſſimè deſiderando, affectuoſiſſimè conſtringendo ad ipſum accedant, ſui ipſius manifeſtationem liberaliſſimè concedere: ad hoc enim Chriſtus, benigniſſimus animarum ſponſus, noſtræ humanitatis factus eſt particeps, vt nos ſuæ Diuinitatis ineffabili modo efficeret participes. Etſi ad hanc delicioſiſſimam Chriſti participationem omnes inuitentur, rariſſimi verò admittuntur, hique Angelicis ſpiritibus valdè ſimiles, qui pleno ore Chriſtum manducantes, ardentiſſima charitate inflammati, in ipſum Chriſtum transformantur. Bibunt amici, inebriantur verò chariſſimi de hoc dulciſſimæ & ſanctiſſimæ voluptatis fonte, qui emittit tamquam torrentem fortiſſimum à ſe omnem ſanctam voluptatem, quam feliciſſimæ animæ in ipſo fonte deguſtare ſolent. Felix anima, quæ cibum iſtum omnium delicatiſſimum comedit; felicior, quæ audire meruit, *Nec tu mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me*, mutabitur inquam in Chriſtum incommutabilem, iam vltrà nullam commutationem recipiens; poſt hanc enim feliciſſimam mutationem, vultus eius ampliùs non ſunt in diuerſa mutati. O Deus meus, vita mea, & dulcedo mea ſancta! quando ignominia noſtra in tuam gloriam, noſtra paupertas in tuas diuitias, fragilitas noſtra in tuam potentiam, labor noſter in tuam requiem, noſtra ſitis in tuam ſatietatem, intemperies noſtra in tuam temperantiam, ac demum mortalitas noſtra in tuam vitam immortalem commutabitur? erimuſque de tua bonitate boni, de tua prudentia prudentes, de tua humilitate humiles, de tua pace pa-



Digitized by Google

Chriſtus ſecundùm veritatem naturę & carnis ſuæ, nobis vnione reali per phyſicum contactum eo modo, quo fieri poteſt (nempe per vitalem perceptionem) coniungitur. Chriſtus enim animæ noſtræ & ſponſus & vitalis cibus, in hoc Sacramento, miro quodam modo vnitur, ita vt totum hominem ad ſe trahat & transformet, vt nulla poſſit vnio coniunctior, ac transformatio verior perfectiorque cogitari in hac vita. Sicut enim ignis omnem ligni materiam adeò abſumit, vt iam lignum non tam lignum quàm ignis eſſe videatur, vnumque cum igne efficiatur, omnique deperdita ligni ſimilitudine in ignem ita transformetur, vt ignis etiam nomine meritò appelletur; ita anima hoc arcano Chriſti contactu tota à ſeipſa deficiens, Chriſto ipſi vnitur, ac in eum ineffabili modo transformatur, ita vt pro illo breuiſſimo tempore diuinis Chriſti ſplendoribus tota illuſtrata, ac eius amplexu penitùs ignita, in ipſum Chriſtum tranſiuiſſe videatur, cum Apoſtolo verè dicens: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Simili fermè comparatione vnionem hanc explicat S. Cyrillus l. 15. in Ioan. c. 14. *Quemadmodum ſi quis ſcintillam ignis in fœno aut palea occultauerit, totum inde ignitum neceſſariò fiet; ſic Verbum Dei tamquam ſcintilla in naturam noſtram immiſſum totam inde inflammauit, atq; ad vitam, interitu penitùs deſtructo, reduxit.* Et forſan in hoc etiam ſenſu loquitur ipſe Cyrillus, aliiq; Patres, cùm ſimiles huius vnionis comparationes adducunt, quales ſunt illæ de cera liquata alteri ceræ liquatæ infuſa, quæ per minimas partes illius ceræ miſcetur & permeat, & de fermento toti maſſæ permixto, & aliæ ſimiles, quæ apertè huic mirabili & arcanæ cum Chriſto vnioni quadrare videntur.

Secun-

Digitized by Google

Secundò infertur, Chriſtum, quantum in ſe eſt, paratiſſimum eſſe omnibus eum dignè ſuſcipientibus, ſi ea mentis puritate, eum ſuper omnia ſinceriſſimè diligendo, feruentiſſimè deſiderando, affectuoſiſſimè conſtringendo ad ipſum accedant, ſui ipſius manifeſtationem liberaliſſimè concedere: ad hoc enim Chriſtus, benigniſſimus animarum ſponſus, noſtræ humanitatis factus eſt particeps, vt nos ſuæ Diuinitatis ineffabili modo efficeret participes. Etſi ad hanc delicioſiſſimam Chriſti participationem omnes inuitentur, rariſſimi verò admittuntur, hique Angelicis ſpiritibus valdè ſimiles, qui pleno ore Chriſtum manducantes, ardentiſſima charitate inflammati, in ipſum Chriſtum transformantur. Bibunt amici, inebriantur verò chariſſimi de hoc dulciſſimæ & ſanctiſſimæ voluptatis fonte, qui emittit tamquam torrentem fortiſſimum à ſe omnem ſanctam voluptatem, quam feliciſſimæ animæ in ipſo fonte deguſtare ſolent. Felix anima, quæ cibum iſtum omnium delicatiſſimum comedit; felicior, quæ audire meruit, *Nec tu mutabis me in te, ſed tu mutaberis in me*, mutabitur inquam in Chriſtum incommutabilem, iam vltrà nullam commutationem recipiens; poſt hanc enim feliciſſimam mutationem, vultus eius ampliùs non ſunt in diuerſa mutati. O Deus meus, vita mea, & dulcedo mea ſancta! quando ignominia noſtra in tuam gloriam, noſtra paupertas in tuas diuitias, fragilitas noſtra in tuam potentiam, labor noſter in tuam requiem, noſtra ſitis in tuam ſatietatem, intemperies noſtra in tuam temperantiam, ac demum mortalitas noſtra in tuam vitam immortalem commutabitur? erimuſque de tua bonitate boni, de tua prudentia prudentes, de tua humilitate humiles, de tua pace pa-



Digitized by Google

cifici, de tua Diuinitate diuini, ac demum de te erimus tu, quia tecum ſecundùm petitionem tuam in vnum conſummati erimus in te, & tecum, ſicut in Patre tuo tu es vnum; ita vt hanc vnitatem acquiramus per gratiam, quam tu habes per naturam.

Illud demum pro huius capitis coronide animaduertendum occurrit, hanc fruitiuam vnionem animæ cum Chriſto ferè numquam ſine ecſtaſi contingere. aliquando tamen ex raptu ſiue ſenſuum alienatione in ſumptione Euchariſtiæ, etiam puris mentibus contingente, non licet coniicere animam eo tempore ad iſtam ineffabilem vnionem fuiſſe diuinitus eleuatam: quia quamuis mentalis iſte exceſſus ex ardentiſſimo Chriſti amore frequentiùs promanet; hæc tamen non videtur ſufficiens coniectura interioris vnionis animæ cum Chriſto (ſolet enim, idque non rarò, etiam Incipientibus ſui exceſſus, tam in ſuſceptione Euchariſtiæ, quàm alibi contingere) niſi per iſtum amoris ardorem mens ipſum Chriſtum ſibilpſi vnitum & intimè coniunctum in hoc diuino Sacramento clarè manifeſtèque percipiat: eſt enim de ratione huius feliciſſimę vnionis, vt ad eam experimentalis ipſius Chriſti, eiuſque oſculi & amplexus vitalis perceptio ſequatur, perceptionem verò tantæ dulcedinis transformatio, transformationem ecſtaſis, ecſtaſim defectio omnium animæ virium, defectionem verò abſorptio conſequitur. Felix anima, quæ Regi æterno Chriſto per ſimiles nuptias eſt copulata! O eximiam & beatam Chriſti & animæ coniunctionem! quæ talis tantaque eſt, vt Chriſtus ſit illi omnia in omnibus, qui ideò factus eſt homo, vt media hac Sacramentali ac Deifica vnione homo fieret Deus.

CA-

Digitized by Google

# CAPVT XXX.

## *De Vnione Corporis Chriſti cum carne dignè eum ſuſcipientis.*

VIRTVTE Euchariſtiæ inter carnem noſtram & carnem Chriſti, etiam corruptis ſpeciebus, peculiarem vnionem eſſe conſtituendam, quamplurimi ac inſignes noſtræ ætatis Theologi docuerunt, videnturque fauere eorum ſententiæ plures Eccleſiæ Patres, nempe Hilarius lib. 8. de Trinit. vbi argumento ſumpto ab vnitate, quæ eſt inter carnem noſtrã & carnem Chriſti, virtute & participatione huius Sacramenti, quæ non eſt ſolùm affectu, ſed reipſa, probat vnitatem inter Patrem & Filium ſecundùm diuinam naturam. In eamdem ſententiam inclinare videntur D. Chryſoſtomus Homilia 46. in Ioan. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. & lib. 10. cap. 3. referunturque aliorum Patrum teſtimonia latiſſimè apud Maldonatum in Comment. cap. 6. in Ioan. in illa verba, *In me manet, & ego in eo*. Vazquez in 3. partem q. 79. art. 2. diſput. 204. cap. 2. in fin. cap. 2. refert varias pro hac vnione Patrum ſententias.

Ceterùm, vt meam fatear in hac parte ignorantiam, quamuis attentè horum Auctorum perlegerim fundamenta & rationes, quibus nituntur, vt conſtituant hanc vnionem inter iuſtorum & Chriſti carnem, non potui earum vim aſſequi; nec enim poteſt intelligi, regulariter loquendo, aliqua vnio inter Corpus Chriſti & noſtrum, cùm realiter corpus noſtrum ipſius Chriſti Corpus non tangat, neque noſtrum à Corpore Chriſti realiter & immediatè attingatur. Nec enim (vt antecedenti capite

 dictum)

dictum) mutua amantium præſentia ſufficit, vt matrimonium carnale conſtet: ſed ampliùs requiritur, vt duo ſint in carne vna copulati; multò minùs, vbi amantium pręſentia nulla ratione ſentitur: nec enim Chriſtus in Sacramento exiſtens videtur neq; corporeo aut intellectuali, ſed tantùm fidei oculo, neque aliquo alio ſenſu regulariter percipitur. Ideò non poteſt dici vnio naturalis aut realis inter corpus dignè ſuſcipientis Chriſtum, & ipſius Chriſti Corpus, vt latiùs probat Suarez tertio Tomo in 3. partem q.79. diſput. 64. ſect. 3.

Dixi, regulariter loquendo vnionem corporalem ſiue realem non inueniri in omnibus dignè ſuſcipientibus Chriſtũ; quia aliquando contingit dari ſimilem vnionem, non in omnibus dignè ſuſcipientibus Chriſtũ, ſed in illis tantùm, quorum mens diuina dignatione ad vnionem illam feliciſſimam (de qua multa in capite ſuperiori) ſubleuatur. In his enim, vt eo capite cœpimus edocere, Corpus Chriſti immediatè non ſolùm attingitur ab horum ſpiritu, ſed & eorum caro ſentit ineffabili contactu Chriſti præſentiam; qui quamuis in Sacramento ſit intangibilis & imperceptibilis, diuina tamen virtute fit, vt & tangat, & tangatur, ac immediatè percipiatur non ſolùm à puriſſimis ac purgatiſſimis mentibus, ſed etiam ab eorum carne.

Demum, vt pleniùs conſtet quid & qualis ſit hæc Vnio, tam ſpiritus quàm carnis noſtræ cum ipſo Chriſto & eius carne; explicanda erit per comparationem, quam nunc in cælo animæ ſeparatæ, & poſt communem reſurrectionem etiam beatorum corpora cum Chriſto feliciter experientur. Nam in primis Chriſtus ipſe ineffabili modo eorum mentibus illabetur, ac tunc eorum animæ in ipſum Chri-

ſtum

Digitized by Google

ſtum diuinitus transformabuntur, ita vt in ipſis verè per hanc vnionem realem viuat & regnet Chriſtus, & ipſi in ipſo manentes viuant in Chriſto, & propter Chriſtum. Hæc quidem eſt fruitiua vnio, qua in illa felici ac beata vita eiuſmodi animæ in perpetuas æternitates Chriſto pleniſſimè fruentur, & quam aliquando prælibare ſolent etiam in hac vita (tranſeunter tamen) puriſſimæ iuſtorum animæ, de quibus Pſaltes verè cecinit Pſal. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Qua verò ratione in beatitudine caro noſtra glorioſa, Chriſti Domini carni etiam glorioſæ copuletur ac vniatur, non difficile erit explicare. Nec enim cogitare debemus illam vnionem eſſe ita intimam, vt caro noſtra penetretur (vt ita dicam) à carne ipſius Chriſti: nam hanc vnionem alienam eſſe puto à corporibus Beatorum, cùm iſta potiùs conueniat ſpiritui noſtro cum ſpiritu diuino vel cum ipſo Chriſto, quàm carni noſtræ cum carne Chriſti. Vnita verò ac copulata inter ſe vtraque caro dicetur, quia ſæpè mutuis amplexibus ac ſuauiſſima deoſculatione caro noſtra glorioſa, Chriſti carne in beata illa vita non ſine incredibili delectatione fruetur. Vnde Beatorum corpora duplici quidem, eaque ferè immenſa delectatione gaudebunt; altera, à gloria animæ in ipſa deriuata; altera verò, à contactu & dulciſſimo Chriſti amplexu proueniente: quæ quidem duo delectationum genera, laboribus ac iuſtorum afflictionibus pro Chriſti amore in hac vita perpeſſis, tamquam vitale præmium correſpondebunt.

Illud itaque non prætermittam, etiamſi alicui diuini amoris inexperto forſan incredibile videatur, quod etiam in hac peregrinatione puriſſimis animabus (licet rariſſimè) contingere ſolet, vt ad eiuſ-

modi oſcula & amplexus Chriſti, poſt tanti Sacramenti ſuſceptionē diuina dignatione ab ipſo Chriſto animarum dulciſſimo ſponſo admittantur, vt in hac vita etiam eorum corpora æternæ felicitatis fructus percipere incipiant. O caſtiſſimi & puriſſimi amplexus! ô felix oſculum ac ſtupenda dignatione mirabile, vbi per contactum labiorũ & complexum ipſius Chriſti, transfunditur ſpiritus oſculantis non ſolùm in corpus, ſed & præcipuè in ipſam animam! Nam ſicut etiam hi qui ſe inuicem oſculantur, non ſunt ſola labiorum impreſſione contenti, ſed prætereà & ſpiritum ipſum ſibi inuicem videntur infundere: ita hoc Chriſti oſculum non ſolùm carne percipitur, ſed & ſpiritus ipſe Chriſti animæ infunditur, vbi corporis contactu anima ſponſæ ad pleniſſimam in Chriſtum transformationem ſublimatur.

Vnde quando Patres, pro explicanda hac vitali vnione iuſtorum cum Chriſto in venerabili Sacramento exiſtente, vtuntur variis loquendi modis ſiue comparationibus, quales ſunt illæ: *Sicut ſi cera igne liquefacta, alteri cera etiam liquefacta immiſceatur, ac vnum ex vtraque fiat.* & illud Chryſoſtomi: *Non ſolùm per dilectionem, ſed etiam reipſa in illam carnem conuertamur.* & infrà: *Per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit.* accipienda ſunt de vnione animæ cum carne Chriſti, id eſt cum ipſo Chriſto ferè non aliter ac nunc animabus ſeparatis in gloria ſimilis vnio contingit, eo modo quo ſuperiùs explicauimus.

Cum carne verò digniſſimè ſuſcipientis tam arcta vnio ſiue transformatio non fit, ſed potiùs eſt quidam contactus noſtræ carnis cum glorioſiſſima Chriſti carne eo modo quo S. Ambroſius Ser. 9. de

S. Agne-

Digitized by Google

S. Agnete, refert dixiſſe eam, cùm iam moritura Chriſti corpus ſuſcepiſſet: *Nunc*, inquit, *corpus Domini mei corpori meo aſſociatum eſt.*

Ex hoc autem Chriſti contactu mirabilis virtus in carnem noſtram deriuatur. Virtus enim ex illo exit, quæ non ſolùm mentes, ſed & corpus ſanat ac corroborat, reformans illud, ac influens in ipſum miram ſpiritui ſubiectionem, exhibenſque membra illius arma iuſtitiæ, ac quodammodò glorioſi corporis, immò & ipſius Chriſti incipit induere qualitates, vt fermè in hoc propoſito ſcribit S. Bonauentura Itin. 7. diſt. 6. *Et notandum*, inquit, *quòd ſicut per opera interioris hominis, vt per contemplationem, quandoque fit quædam prælibatio æternæ vitæ, ita & per opera exterioris hominis fit in eo aliquando ſimilitudo aliqua vel imago æternæ vitæ, ſicut dicit Bernardus in lib. de Amore Dei, vbi dicit ſic: Sicut in ſanctitate vitæ, & hominis interioris contemplatione, & fruitione Diuinitatis, iam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur & imitari: ſic etiam de corporum ipſorum glorificatione, quam plenè ibi percepturi ſunt, in hac vita nonnihil percipiunt. Accepta enim illa gratia, qua habitantes in vnum ſeipſis in Deo & Deo in ſeipſis fruuntur, ipſius carnis ſe ſentiunt viciſſe omnes contradictiones, vt vniuerſa ſubſtantia carnis non ſit eis niſi inſtrumentum boni operis. Nam etſi ipſius miſeriis & infirmitatibus contabeſcunt, ex hoc ipſo in interiori homine fortiùs conualeſcunt: quando enim infirmor, tunc fortior ſum & potens, ait Apoſtolus. Sequitur: Senſus ipſi nouam percipiunt quamdam & propè ſpiritualem gratiam, oculos ſimplices, & aures obtemperantes, & aliquando in feruore orationis tanta cordis ignota quadam fragrantia inſpirat, tanta guſtus, etſi non guſtando, ſuauitas, tanta*

*per mutuum tactum ſpiritualis charitatis incentiuum ſit, vt videantur ſibi intra ſeipſos ſpiritualis gratiæ cuiuſdam voluptatis gerere paradiſum. Vultus etiam & totius corporis compoſitione, vitæ, & morum, & actuum decore, mutua etiam ſeruitutis in illis deuotis exhibitionibus, & piis ſuſceptionibus cuiuſdam gratiæ beneplacito ſibi conueniunt inuicem, & ita conueniunt, vt verè ſit cor vnum, & anima vna. Nimirum corporum ſuorum gloriam iam hîc inchoant vel initiant, & puritate conſcientiæ, & intima conuerſationis gratia perfectè habituri eam in futura perenni vita pronuntiat.*

Neque huic ſententiæ, Patrum teſtimonia obſtare videntur: quia illæ Patrum locutiones, & ſimiles, quibus Chriſti Corpus dicitur frangi, manducari, atteri dentibus, miſceri, incorporari, & ſimiles aliæ, Metaphoricæ ſunt, & non propriæ, ac intelligi debent per figuram Metonymiam, qua continens pro contento vſurpatur. Cùm enim hac eadem figura ſpecies ipſæ dicantur Corpus aut Sanguis Chriſti, multa quæ ipſis ſpeciebus conueniunt, etiam de Corpore & Sanguine Chriſti prædicari ſolent. Ita communiter Theologi Scholaſtici has interpretantur locutiones.

Illam verò vnitatem naturalem ſiue ſubſtantialem quā S. Hilarius conſtituiſſe videtur, nihil aliud ſonat, quàm quòd vna & eadem caro Chriſti vera ac naturalis, verè etiam ac realiter ſit in nobis per prædictam realem præſentiam ac manducationem; in quo ſenſu poteſt dici hæc vnio realis & naturalis, vt excludantur ſola ſigna & figuræ, & vnio, quæ eſt per ſolam apprehenſionem fidei, aut affectum: propriè verò hæc vnio vocari poteſt myſtica ſeu moralis, fundata aliquo modo in corporali vinculo ſeu con-

Digitized by Google

coniunctione corporis Chriſti, mediis ſpeciebus, cum carne noſtra.

Conſtat igitur ex dictis tam in hoc quàm præcedentibus capitibus, eſſe quadruplex genus vnionis inter dignè ſuſcipientes Chriſtum. Primum, per affectum charitatis, quæ communis eſt omnibus hoc venerabile Sacramentum dignè ſuſcipientibus; quæ vnio verè differt ab illa generali, qua per charitatem iuſti cum Deo vniuntur; quia illa reſpicit propriè Deum ipſum, hæc verò ipſum Chriſtum intra nos in hoc Sacramento verè exiſtentem, ac excitantem noſtrum ſpiritum, vt cum ipſius Chriſti ſpiritu arctiſſimè coniungatur. Secundum genus vnionis eſt, cùm Chriſtus non tantùm per affectum, ſed etiam in effectu, reali coniunctione ita immediatè animæ vnitur, vt ab illa eius præſentia ſuauiſſimè percipiatur, quæ numquam ſine mentis exceſſu contingit: hæc verò pauciſſimarum ac ſanctarum eſt animarum. Tertium verò, quod & ſecundo annexum eſt, cùm non ſolùm Chriſti realis præſentia à mentibus puriſſimis vnione prædicta ineffabili percipitur, ſed etiam corpori coniungitur, ac à carne noſtra caro Chriſti ineffabili modo ſentitur. Quartum denique vnionis genus dici poteſt, cùm Chriſtus mediis ſpeciebus carni dignè eum ſuſcipientium coniungitur, quæ potiùs moralis & myſtica, quàm realis dici debet.

Et hæc de Oratione diuinitus infuſa, ac præcipuè de feliciſſima animę cum Deo vnione, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, ac ſub Eccleſiæ ſanctæ Romanę cenſura, cui libentiſſimè in omnibus tamquam verus eius filius me ſubmitto, dicta ſufficiant.

FINIS.

Digitized by Google

# INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

## LIBER PRIMVS.

De natura, gradibus, effectibus, obiecto & fine Orationis diuinæ. Pag. 1.

Cap. I. *Quid ſit Oratio diuinitus infuſa.* 4

Cap. II. *Neceßitas Orationis infuſæ & ſupernaturalis.* 11

Cap. III. *Efficiens & præcipua Orationis infuſæ cauſa eſt ipſe Spiritus ſanctus, medio donorum influxu.* 16

Cap. IV. *Quotuplex ſit Oratio diuinitus infuſa; & de diſcrimine Orationis quæ eſt donum Spiritus ſancti, ab aliis quæ infuſæ etiam nuncupantur.* 38

Cap. V. *De triplici Orationis infuſæ gradu, nempe purgatiua, quæ incipientibus; illuminatiua, quæ proficientibus; vnitiua, quæ perfectis adaptari ſolet.* 41

Cap. VI. *De ſubiecto, fine, materia ſiue obiecto Orationis infuſæ.* 46

Cap. VII. *Quid ſit petitio quam Deus animæ infundit, & quanta eius in impetrando efficacia.* 50

Cap. VIII. *Fiduciam in petendo indicium eſſe exauditionis.* 56

Cap. IX. *Effectus Orationis diuinæ & ſupernaturalis.* 67

Cap. X. *De mediis perueniendi ad Orationis diuinitus*

nitus

*nitus infuſa gratiam.* 77
CAP. XI. *Regula ſiue Documenta pro his quibus à Deo donum Orationis infunditur.* 82

## LIBER SECVNDVS.

De via Purgatiua ſupernaturali. 87
CAP. I. *Varij vocationum modi, quibus etiam peccatores ad ſpiritualem vitam diuinitus vocari ſolent.* 90
CAP. II. *Via Purgatiua ſupernaturalis frequentiùs à gratia ſenſibili (qua mirabilis compunctionis eſt cauſa efficiens) initium ſumit.* 96
CAP. III. *De amore Incipientium ſenſibili & vulnerante.* 104
CAP. IV. *De voluptate ſiue oblectatione ſenſibili, qua Incipientes ineffabili à Deo ſuauitate trahuntur.* 107.
CAP. V. *De aliis effectibus lætitiæ & oblectationis, quos ſenſibilis gratia etiam in corpore ſolet efficere.* 112
CAP. VI. *Gratiæ ſenſibilis affluentiam eſſe aliquando valdè periculoſam, & animæ, & corporis ſaluti.* 117
CAP. VII. *De aliis etiam oblectationibus externorum ſenſuum, quas ſolet etiam Deus Incipientibus elargiri.* 124
CAP. VIII. *Viam Purgatiuam ſupernaturalem aliquando à deſolationibus & afflictionibus inchoari.* 129
CAP. IX. *De luce ſiue ſupernaturali contemplatione viæ Purgatiuæ magis propria.* 131
CAP. X. *De raptu, viſionibus, & reuelationibus Incipientium, ac de cautela in his habenda.* 140

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI. *De purgatione Incipientium, quæ deſolationibus & tentationibus variis ſolet contingere.* 148
CAP. XII. *De cauſis deſolationis, ac gratiæ ſenſibilis ſubtractionis.* 149
CAP. XIII. *De tentationibus quæ ex gratiæ ſenſibilis ſubtractione Incipientibus euenire ſolent.* 160
CAP. XIV. *De aliis quibuſdam extraordinariis purgationis modis, quibus etiam Incipientes à Deo probari aliquando ſolent.* 165
CAP. XV. *Exemplum mirabilis purgationis B. Angelæ de Fulginio.* 167
CAP. XVI. *De aliis tentationibus in via purgatiua contingentibus, ex doctrina D. Bonauenturæ.* 176
CAP. XVII. *De remediis circa prædictas tentationes ſeu deſolationes.* 184
CAP. XVIII. *De aliis etiam prædictis tentationibus reſiſtendi modis.* 198
CAP. XIX. *Quæ ſint potiſſimùm obſeruanda ab Incipientibus, ne illis aberrare contingat in via hac ſupernaturali, tam tempore conſolationis quàm deſolationis.* 203
CAP. XX. *Qualiter ſe gerere debeant Incipientes tempore affluentis gratiæ & contemplationis.* 204
CAP. XXI. *Qua ratione gerere ſe debeant Incipientes tempore derelictionum & tentationum.* 216

## LIBER TERTIVS.

DE Via Illuminatiua ſupernaturali. 230
CAP. I. *Lux ſiue ſupernaturalis contemplatio viæ Illuminatiuæ congruens.* 235
CAP. II. *De altiori Contemplationis luce, qua in via Illuminatiua Proficientes illuſtrari ſolent.* 246
CAP. III. *Contemplatio Dei in caligine.* 249
CAP.

CAP. IV. *De modi neſcia contemplatione.* 253
CAP. V. *Diuinæ reuelationes, viſiones, ac locutiones, quæ in raptu ſæpiſſimè in via Illuminatiua contingunt.* 255
CAP. VI. *Ardentiſſimus Dei amor frequentiùs in via Illuminatiua exercetur.* 263
CAP. VII. *De ſpirituali languore & æſtu, aliiſque huius ſtatus amoroſis exercitiis.* 269
CAP. VIII. *Mirabilis delectatio, quæ in hoc ſtatu aliquando percipitur.* 274
CAP. IX. *Pericula, quæ in hac ſpiritus deſolatione ſiue nimia delectatione contingere poſſunt.* 279
CAP. X. *De ſupernaturali purgatione viæ Illuminatiuæ.* 263
CAP. XI. *Quid homini vndequaque deſolato agendum.* 294
CAP. XII. *Quo gradu virtutes exerceantur in via Illuminatiua.* 296
CAP. XIII. *Documenta aliqua ſiue cautelæ ſeruandæ in via Illuminatiua ſupernaturali.* 301
CAP. XIV. *Exclamationes & ſuſpiria animæ ad Dei amoroſam vnionem anhelantis.* 308

## LIBER QVARTVS.

DE dignitate, natura & multiplici diuiſione Vnionis ſupernaturalis & fruitiuæ. 312

### PRIMA PARS.

*Diuinæ Vnionis dignitas, vtilitas, gradus ſiue partes.* 314
CAP. I. *Quid nomine Vnionis ſiue via Vnitiuæ intelligatur.* 314

CAP.

CAP.II. *Huius diuinæ Vnionis vtilitas ac dignitas.* 319
CAP.III. *Huius vitæ felicitatem in hac Vnione ſitam eſſe.* 323
CAP.IV. *De multiplici animæ cum Deo Vnione, præcipuè de actuali & fruitiua.* 328
CAP.V. *De duplici actuali Vnione animæ cum Deo, quarum vna ſobria, ebria altera & ecſtatica nuncupatur.* 333
CAP.VI. *De gradibus Vnionis ecſtaticæ & fruitiuæ.* 336
CAP.VII. *Scripturæ ſacræ teſtimoniis Vnio fruitiua oſtenditur.* 343
CAP.VIII. *Ex miſſione Spiritus ſancti in Apoſtolorum corda, hac animæ cum ipſo Spiritu ſancto ineffabilis coniunctio confirmatur.* 354
CAP.IX. *Patrum quamplurima de Vnione ſupernaturali & fruitiua animæ cum Deo teſtimonia.* 363

## SECVNDA PARS.

*Vnionis fruitiuæ eſſentia, & modus, quo tam ex parte Dei, quàm ex parte animæ ac eius operationum contingit, exponitur.* 421
CAP.X. *De ſupremo ac ineffabili Vnionis fruitiuæ gradu, in quo Deus animæ ſe manifeſtat, & ipſa Deo arcano tactu & amplexu coniungitur.* 421
CAP.XI. *De modo quo fiat hæc fruitiua Vnio, tam ex parte Dei, quàm ex parte animæ.* 433
CAP.XII. *De modo iſtius Vnionis ex parte animæ.* 446
CAP.XIII. *Vnio hæc mutua inter animam & Deum, per comparationem ad ſponſationem tam carnalem quàm ſpiritualem, ampliùs exponitur.* 450
CAP.XIV. *De duplici huius ſupremæ ac fruitiuæ Vnio-*

Digitized by Google

*Vnionis gradu, & aliquibus ſimilitudinibus, quibus intima hæc Vnio à Patribus declaratur.* 458
CAP. XV. *De nominibus Vnionis fruitiuæ.* 464
CAP. XVI. *Intellectus mirabiles operationes Vnionem hanc ineffabilem antecedentes & concomitantes.* 469
CAP. XVII. *Ardentiſſimi amoris & delectationis affectus, qui in hoc diuino animæ cum Deo connubio exercentur.* 490
CAP. XVIII. *Proponuntur ac ſoluuntur dubitationes aliquæ circa prædictas intellectus & voluntatis operationes in hac diuina Vnione interuenientes.* 505
CAP. XIX. *Purgatio in via Vnitiua contingens.* 516

## TERTIA PARS.

*Diſpoſitiones diuinæ Vnionem fruitiuam præcedentes, ac mirabiles effectus eam conſequentes.* 522
CAP. XX. *De diſpoſitionibus hanc diuinam Vnionem præcedentibus.* 522
CAP. XXI. *Formulæ aſpirationum, & modus, quo ſimul cum introuerſione exerceri debent.* 528
CAP. XXII. *Cautelæ in diuinarum aſpirationum exercitatione adhibendæ.* 531
CAP. XXIII. *Omnes ferè, Dei tamen gratia fretos, debere ad diuinam hanc Vnionem aſpirare & contendere.* 536
CAP. XXIV. *De diſpoſitionibus aliis quæ à ſolo Deo infunduntur.* 540
CAP. XXV. *Effectus diuinæ & fruitiuæ Vnionis.* 548

## QVARTA PARS.

*De Vnione fruitiua reali & immediata animæ cum Christo, præcipuè in venerabili Euchariſtiæ Sa-*

*cramento.* 583

**C**AP. XXVI. *An in hac vita detur Vnio fruitiua & immediata animæ cum Chriſto Domino, & qualis illa ſit.* 583

**C**AP. XXVII. *De Vnione reali immediata fruitiua & ecſtatica, qua puriſſimæ mentes Chriſto Domino in Euchariſtiæ Sacramento iunguntur.* 589

**C**AP. XXVIII. *Plurimis Patrum teſtimoniis hæc diuina animæ cum Chriſto in venerabilis Euchariſtiæ Sacramento Vnio confirmatur.* 597

**C**AP. XXIX. *Plenior diuinæ Vnionis animæ cum Chriſto in Euchariſtiæ Sacramento contingentis explanatio.* 615

**C**AP. XXX. *De Vnione Corporis Chriſti cum carne dignè eum ſuſcipientis.* 629

IN-

Digitized by Google

# INDEX RERVM MEMORABILIVM.


*ABnegatio ſui medium eſt ad obtinendam Orationem infuſam.* Pag.79
*item diſpoſitio ad Theologiam myſticam.* 524
*Acediâ qualiter tententur Incipientes.* 162
*Adam immiſſo à Domino ſopore, raptus in mentis ecſtaſim ad diuina intuenda.* 346
*Admiratio exceſſiua variis modis animæ cõtingit.* 337
*qualiter ecſtaſim pariat.* ibid.
*Æſtus amoris diuini.* 367.369
*Æternitatis ponderatio quid conferat.* 224
*Affectus omnis pius Orationis infuſæ materia.* 49
*Affectus nimius circa delicias ſpirituales cauendus.* 84
*Afflictionum via rectior & ſecurior.* 83.& 84
*Afflictionibus & deſolationibus Deus non rarò homines ad ſe quodammodò compellit.* 129
*in Afflictionibus tyro ſpiritualis ſingulariter à Deo protegitur.* 131
*Afflictionis oblatio æterno Patri, ex Taulero.* 191
*in Afflictione confortatio.* 192
*Afflictionem ſuam quiſque grauiſſimam arbitratur.* 223
*Afflictionis laudes.* 224.225. vide *Deſolatio.*
*Amans ita eſt affectus, ac ſi nondum quidquam agere cœpiſſet, aut chariſmatum cæleſtium accepiſſet.* 132
*Amicitiæ perfectiſſimæ leges inter Deum & animam vinculo amoris ſibi unitam, ſeruantur.* 320
*Amor naturâ ſuâ tendit ad vnionem, non tantùm per affectum, ſed etiam per effectum.* 615
*Amor eſt copula amantis cum amato.* 619




Digitized by Google

*Amor effectus Orationis diuinæ.* 71
*eius effectus.* ibid.
*Amor Incipientium ſenſibilis, qualis, & vnde naſcatur.* 104.& ſeqq.
*Amor vulnerans Incipientium qualis.* 105.& ſeq.
*eius effectus.* ibid.
*Amor ligans Incipientium quis.* 107
*Amor vulnerans Proficientium.* 250.263.& ſeqq.
*eius effectus.* 268
*eius pericula.* 279
*Amor ligans.* 250.264
*eius vincula quæ.* 265
*Amore vulnerati affectus & geſtus.* 385
*quanto Amoris ardore accendatur anima per diuinam vnionem.* 561
*Amoris violentia diſpoſitio ad vnionem fruitiuam.* 548
*Amor vis vnitiua.* 431
*Amor duplici ratione amantem amato vnit.* ibid.
*Amor in viris perfectis non contentus vnione affectus, ad realem cum Deo vnionem aſpirat.* 132
*Amoris vis maior cognitione & intelligentiâ* 380.430
*Amor ardentiſſimus vnionem diuinam præcedens, comitans, & ſubſequens.* 490.& ſeqq.
*eius effectus.* ibid & 503.
*Amor ſuipſius in ſpirituali dulcedine quàm ſit noxius.* 205.206
*Anagogici actus & aſpirationes mentem ad Orationis infuſæ gratiam præparant.* 80. vide *Aſpirationes.*
*B. Angela de Fulginio mirabile purgationis exemplum.* 167
*Anhelatio amoroſa animæ.* 270
*Animam noſtram animæ Chriſti Domini conformare debemus, & qualiter.* 212



Digitized by Google

in Anima moratur Deus, vt in paradiſo voluptatis. 122
Anima rationalis ſpeculum aptiſſimum ad videndum Deum, maximè reformata gratiis diuinis. 238. & ſeqq.
Anima per triplicem viam, proportionaliter ad triplicem eius vim ſiue potentiam, habet tendentiam in beatiſſimam Trinitatem. 326
Anima in vnione fruitiua perfectè quietatur & ſatiatur. ibid.
Anima vnde certificetur Deum eſſe qui ſibi intus apparet & loquitur. 416. & ſeqq.
Animæ immenſa pulchritudo ex diuina reſultans vnione. 551
Anima qualiter Deo vniatur. 433. & ſeqq. 446. & ſeqq.
Animæ Deo vnitæ raræ, & quales ordinariè. 504
Animæ in ariditate conſtitutæ lacrymæ. 75
Ariditas ſæpè melior homini quàm abundantia deuotionis. 208. & 227. vide Deſolatio.
Aſcenſio mentis in Deum ex creaturis & ſacræ Scripturæ contemplatione. 134. & ſeqq.
Aſpirationes ad diuinam vnionem vtiliſſimæ. 524. & ſeqq.
earum formulæ. 528
cautela in earum exercitio adhibendæ. 531
Aſpirare debent omnes ferè ad diuinam vnionem. 536
Auaritia ſpiritualis quæ dicatur. 162
S. Auguſtinus qualiter à Deo vocatus. 94
S. Auguſtinus vnionem diuinam expertus. 366

B

BEatitudo in hac vita per vnionem fruitiuam quodammodò inchoatur. 324
Belli ſpiritualis pulcherrima deſcriptio. 260

S.Benedictus viriliter contra carnis illecebras pugnans præmium meruit caſtitatis. 194
Beneficiorum diuinorum recordatione aliquando vocantur ad ſpiritualem vitam peccatores. 91
Beneficiorum Dei memoria remedium aduerſus ſpirituale faſtidium. 181
Blaſphemiæ tentatio. 161
Bonitas diuina qualiter in Chriſto Domino reſplendeat. 139
Bonorum temporalium iacturam Deus permittit ad probationem ſuorum. 284

C

Caliginem diuinam ingredi qui dicantur, eius gradus & modi. 249. & 253
Cæli tres contemplatiuorum: imaginale, rationale & intellectuale. 29. 30
Cælorum arcta via deſcribitur. 260
Cæleſtis exercitus intuetur certamen noſtrum. 199. 225
Carnalem delectationem aliquando ex abundantia ſpiritualis lætitiæ promanare, & quomodo ei reſiſtendum. 127. & ſeq.
Carnalium tentationum occaſiones fugiendæ. 195
Carnales Proficientium tentationes, & earum à Sanctis victoria. 284
Caſtitas carnis ex delectatione ſpiritus. 275
S. Catharinæ Senenſis tentationes carnales. 284
Celandum eſſe omni ſtudio Orationis donum. 86
Cellâ vinariâ in Canticis quid ſignificetur. 375
Charitas ſæpè imperat Orationem. 47
Charitas proximi, exercitium ſemper neceſſariũ. 307
Chriſti Domini Diuinitas velata ſub defectibus in natura humana aſſumptis. 138
Chriſtum Dominum meditando, pertingi vſque ad inueſti-

ueſtigationem nudæ veritatis. ibid.
Chriſti Domini meditatio, via planè ſecura & breuiſſima ad altiſsimam contemplationem. 139
in Chriſto Domino perfectiones diuinæ mirificè reſplendent. ibid.
Chriſtus Dominus quare dicatur via. ibid.
de Chriſto Domino meditatio copioſiſsimam continet materiam. ibid. & 140.
Chriſtum Dominum poſt eius Aſcenſionem numquam de cælis deſcendiſſe probabilius eſt. 584. & ſeqq.
Chriſti Domini vita & paſsio qualiter recolenda & imitanda. 211. & 219.
Conformitas noſtri cum Chriſto Domino qualis eſſe debeat, & quantæ ſit perfectionis. 212.
Chriſti Domini contemplatio in via Proficientium. 240
quomodo diſtinguatur à contemplatione Incipientium. ibid.
Chriſti Domini imitatio exercitium ſemper neceſſarium. 307.
eſt effectus diuinæ vnionis. 573
Cogitatio à tentationibus auertenda. 193.
Cognitio Dei triplex triplici viæ correſpondens. 3. & 132
Cognitio Dei negatiua quæ dicatur, eius ſpecies, & qualiter præſtantior affirmatiuâ. 248. 249. & ſeqq. & 253.
Cognitio Dei in contemplatione myſtica eſt negatiua. 386
Cognitio experimentalis quænam. 424
Cognitio vt experimentalis dicatur quænam requirantur. 425.
Cognitio ſuiipſius prima animæ ſpiritalis regio. 102
quænam ex ea naſcantur animæ bona. 103. & 104.
Compunctio ex gratia ſenſibili naſcitur. 97. & ſeqq.



Digitized by Google

*Compunctio quotidianum via Purgatiuæ exercitium.* ibid.
*duplex eſt, timoris & amoris. Eius effectus.* ibid. & 101. & *ſeqq.*
*Concionatorum verbis quidam à Deo emolliuntur.* 94
*Confeſſori omnia arcana cordis ſui manifeſtare quanti ſit momenti.* 209
*Confeſſores diuerſos qui adeant.* 217
*Conſenſus in tentationes vnde dignoſcatur.* 163
*Conſilij donum quid ſit.* 35. 36
*eius neceſſitas.* ibid.
*Conſolationibus diuinis deficientibus quid agendũ.* 85. vide *Senſibilis gratia, Delectatio, Deuotio.*
*Conſtantia & ſtrenuitatis probatio deuotionis ſubtractio.* 159. & 160. vide *Fortitudo.*
*Contemplationis gratiam in omni ſtatu etiam imperfectis aliquando à Deo tribui.* 132
*Contemplatio triplex trium viarum.* 133
*Contemplatio imaginationis cum admixtione rationis triplex.* 134. & *ſeqq.*
*Contemplatio creaturarum corporalium.* 136
*Scripturæ ſacræ.* ibid.
*Contemplatio Sapientiæ incarnatæ.* 138
*perfectionum diuinarum in Chriſto relucentiũ.* 139
*quàm ſit copioſa & vtilis.* 139. & 140
*Contemplationis via Illuminatiuæ gradus tres.* 235. & *ſeqq.*
*altior eiuſdem viæ Contemplatio.* 246
*Contemplatio Dei in caligine.* 249
*& modi neſcia.* 253
*Contemplatio ante, in, & poſt vnionem fruitiuam.* 470. & *ſeqq.*
*Contemptus permiſſus à Deo ad purgationem Proficientium.* 284

*Con-*

Digitized by Google

Contemptus aliorum quàm ſit cauendus iis, qui gratiam orationis acceperunt à Deo. 83
Contemptus rerum humanarum effectus diuinæ vnionis. 575
Cordis dilatatio ex magnitudine amoris. 498
Corona ex tentationibus. 192
quàm ſit glorioſa. 199.221.226
Corpus noſtrum conformare debemus corpori Chriſti Domini. 212
Creaturarum corporalium contemplatio primum exercitium lucis viæ Purgatiuæ. 135
etiam Philoſophis communis, & qualiter. 136
Creaturarum ſeptem conditiones conſiderandæ. ibid.
Creaturarum vniuerſitas liber depictus intus & foris quo in Deum tendimus. 137.237.& ſeqq.
Creaturarum ſuauitas inſipida cui. 277
Crucem Chriſti qui baiulent. 83
Crucem à Deo immiſſam vtiliorem eſſe eâ, quæ proprio ſuſcipitur arbitrio. 223

D

DÆmon affectum dulcem aliquando cauſare ſolet. 118
& externorum ſenſuum perceptiones. 126.& 281
Dæmon gratias gratis datas apparentes cauſare poteſt. 147
raptus. ibid.
viſiones & reuelationes. 144
Dæmon ſuis impugnationibus ſterilitatem animæ inferre nititur. 152
Dæmon aliquando permittitur Incipientes flagellare ad eorum purgationem. 165
Dæmonem vincendi media. 184
modi aduerſus eum pugnandi. 200. vide Tentationes.

*in Debilitate an quis ſe à ſtudio deuotionis ſubtrahere debeat, & quando.* 122
*Delectatio viæ Illuminatiuæ quanta.* 274.& *ſeqq.*
*quantò nobilior & ſecurior ſenſibili gratia viæ Purgatiuæ & omni terrenâ delectatione.* 276
*eius initia & progreſſus.* 227
*eius pericula.* 279.& *ſeqq.*
*Delectatio quæ ex vnione fruitiua cauſatur, non qualiſcumque, ſed in ſuo genere ſuprema eſt.* 393.& 564
*Delectatio amoris vnitiui.* 490.& *ſeqq.*
*Deſiderium feruens medium eſt ad promerendam Orationem infuſam.* 78
*Deſiderare debent omnes Orationis infuſæ gratiam, & ad eam conari, & quare.* 81.& 82
*etiam diuinam Vnionem.* 536
*Deſiderium tribulationum quàm vtile.* 196
*Deſideria in amoris æſtu.* 268.269.& *ſeqq.*
*Deſiderium flammigerum videndi Deum quod.* 271. & *ſeqq.*
*Deſolationibus expurgat Deus Incipientes.* 148
*Deſolationum & derelictionum cauſa.* 149
*Deſolatio viæ Illuminatiuæ quanta.* 287.& *ſeqq.*
*quid in ea agendum.* ibid.& 294.& *ſeqq.*
*Deſolatio viæ Vnitiuæ.* 516
*Deſolatorum ſeipſos quærentium mores.* 217
*eorumdem remedia.* 218
*Deſolatorum conſolatio efficaciſſima, ex Henrico Suſone & Taulero.* 229.& *ſeqq.* vide *Afflictio.*
*Deuotionis ſubtractio, tentatio Incipientium.* 177
*qualiter ſe in ea muniendum.* ibid.
*Deuotio vera quæ ſit.* 208. vide *Senſibilis gratia.*
*Deum oratione quodammodò cogi.* 59.60
*Dei & diuinarum perfectionum contemplatio ex cognitione animæ noſtræ.* 238.& *ſeqq.*

*ex effectibus gratiæ & gloriæ.* 239
*prout eſt in ſe.* 241
*prout eſt trinus & vnus.* 242
*per puram contemplationem & viſionem intellectualem.* 246
*Dei contemplatio in caligine.* 249
*& modi neſcia.* 253
*Dei perfectiones & attributa breuiter deſcribuntur.* 242. & 245.
*Deus cur priùs det conſolationes & poſteà deſolationes.* 176
*pulchra id ſimilitudine docetur.* 177
*Deus tam pia intentione punit vt purget, quàm blanditur vt conſoletur.* 178. & 221
*Deus quibus gradibus attingatur.* 600
*Deus multò ſtudioſiùs bonum noſtrum quærit, quàm noſipſi.* 223
*Dei incomprehenſibilitas.* 248. 249. 250
*Deus duplici cognitionis modo ſuam in anima præſentiam exhibet.* 409
*vtriuſque præſentiæ effectus.* ibid.
*Deus variis modis & formis, varios effectus naturaſque quodammodò aſſumens, animabus puris ſe exhibet.* 368
*Deus quomodo operetur in anima vnionem fruitiuam.* 433. & ſeqq.
*Deiformis qualiter anima fiat.* 325
*Dialogus hominis afflicti & Sapientiæ æternæ.* 223
*Dialogus inter Deum & animam amore vulneratam.* 315.
*Dialogus inter ſponſam & ſodales.* 316
*ex Difficultate benè operandi, tentati qualiter ſe habeant.* 178
*comparantur meticuloſis Hebræis.* 179
*Dili-*

*Diligere Deum tam debemus quando nos punit, quàm quando nos conſolatur.* 178
*Diſcretio adhibenda in affluentia gratiæ.* 120.& 121.
*Diſcretio in ſatisfaciendo influxui diuinæ gratiæ quomodo ſeruanda.* 207
*Diſpoſitiones quales adhibere poſſimus ad obtinendam diuinam vnionem.* 522.& ſeqq.
*Diſpoſitiones à Deo ad eamdem infuſæ.* ibid.& 540
*ad Diuinitatis cognitionem perueniri per meditationem creaturarum, ſacra Scriptura & humanitatis Chriſti Domini.* 136.& ſeqq.
*Diuinæ perfectiones qualiter in Chriſto Domino reſplendeant pluſquã in omnibus creaturis ſimul.* 139
*Diuinarum affectionum ſuauitas homini animali incognita.* 343
*Documenta pro his, qui accipiunt à Deo donum Orationis.* 82.& ſeqq.
*Donorum Spiritus ſancti neceſſitas.* 17
*Dona Spiritus ſancti virtutum actus efficiunt intenſiſſimos.* 17
*qualiter, & quid Dona Spiritus ſancti operentur.* 17.18.19
*Dona Spiritus ſancti cùm omnibus iuſtis infundantur, cur non etiam in omnibus ſuo modo operantur.* 20
*Dona Spiritus ſancti non à ratione humana, ſed à ſolo mouentur Spiritu ſancto.* 20
*Donorum operatio luci Solis, virtutum verò luci Lunæ comparatur.* 20
*ſine Donorũ influxu an impetret iuſtus, & qualiter.* 21
*Dona Dei apud alios non diuulganda.* 210
*de Donis à Deo acceptis an & quid cogitare debeamus.* ibid.
*Dubitationes quædam circa vnionem diuinam diſſoluuntur.* 505.& ſeqq.

Ebrie-

## E

EBrietas ſpiritus. 113.115
Ebrietatis nomine deſignatur unio fruitiua. 465, & ſeqq.
Ebria unio quæ à Myſticis dicatur. 335
Ecſtaticæ unionis gradus. 336
Ecſtaſis quomodo cauſetur, videlicet ex magna deuotione, ingenti admiratione, & ineffabili exultatione. 337. & 338
Ecſtaſis ſecundùm D. Bernardum ſolùm duplicem cauſam ſequitur, nempe abundantiam luminis & amoris. 338
Ecſtaſis ab amoris magnitudine ſine iucunditate cauſata, à Sapientiæ dono procedit. 339
tres gradus Ecſtaſeos conformiter ad triplicem viam Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam. 339
Ecſtaſis triplici perfectionis gradu diſcreta, triplicem modum contemplationis ſequitur. 340
Ecſtaſis in triplici regione animæ contingit. 341
non quæuis Ecſtaſis heroicæ virtutis & immediatæ cum Deo vnionis indicium. ibid.
Ecſtaticam vnionem & myſticam, non eſſe fictitiam & vanam, multis Scripturæ ſacræ teſtimoniis probatur. 334. & ſeqq.
S. P. N. Elias quomodo petitione tot ſtupendorum operum Deum non tentarit. 62
Encomia vnionis myſticæ. 364. & ſeqq. & 401.
in Euchariſtiæ Sacramento regulariter non datur vnio realis præter eam qua vnitur Chriſto anima per charitatis affectum. 589
aliquando tamen etiam datur vnio per effectum & realem coniunctionem cum Chriſto. ibid. & ſeqq. & 592. & 618.

*Euchariſtiæ Sacramenti varij effectus.* 598.& ſeqq. 603.& ſeqq.
*Euchariſtiæ prægustatio.* 601
*Euchariſtiæ præcipuus fructus.* 610
*Euchariſtiæ proprius effectus eſt vnio per affectũ.* 617
*in Euchariſtia quando celebretur matrimonium ſpirituale.* 620
*quid ſit matrimonium iſtud.* ibid.& ſeqq.
*qualiter tunc ſe habeãt Intellectus & Volũtas.* 622
*quantum durat in hoc matrimonio præſentia ſponſi.* 625
*in Euchariſtia quomodo vniatur anima matrimonialiter.* 625
*quare non ſemper anima etiam dignè præparata non vniatur Chriſto Domino realiter in hoc Sacramento.* 630
*Effectus ex corporis Chriſti contactu reſultantes.* 633
*quotuplex ſit vnionis genus inter dignè ſuſcipientes Chriſtum.* 635
*Exclamationes animæ ſuſpirantis ad diuinam Vnionem.* 308.& ſeqq.
*Exercitia tria vnicuique præ oculis habenda ne erret.* 307

F

F*Amiliaritas quæ vitanda.* 19
*Faſtidium voluptatum mundi ex ſenſibili delectatione à Deo in Incipientibus cauſatur.* 107. 112
*Faſtidium omnis boni ſpiritualis tentatio, comparatur nauſeæ Hebræorum ſuper manna.* 180
*ad quæ mala trahat.* ibid.
*eius remedia.* 181
*Felicitas ſumma præſentis vitæ in ſola ſublimi & myſtica hominis ad Deũ vnione ſita.* 323.& ſeqq.
*Fides maximè probatur tempore deſolationis.* 177

*Fidei*

Digitized by Google

*Fidei ſcutum, aduerſus omnes tentationes vniuerſale remedium.* 184. & ſeqq.
*duplex eo vtendi modus.* 187. & ſeqq.
*exempla.* 188
*Fide viuâ quæuis ſuſcipere debemus de manu Dei, tamquam ex eius paterni cordis dilectione tranſmiſſa & non tamquam à creaturis.* 189
*Fide viuâ credere debemus tentationes, ſi eas patienter feramus, magis ad coronam, quàm ad detrimentum animæ proficere.* 192
*Fides viua præſentia auxilij diuini remedium contra tentationes.* 193
*Fiducia in petendo indicium eſt exauditionis.* 56
*eam non noſtris viribus comparari, ſed eſſe donum merè gratuitum, docetur.* 57. & 63
*ſubinde latere fraudem fiduciæ tegumento palliatam.* 58. & 59
*oritur Fiducia ex impulſu Dei.* 59
*Figuræ tam veteris quàm noui Teſtamenti, quibus vnio ſupernaturalis fruitiua deſignatur.* 344. & ſeqq.
*Filij Dei generatio qualiter ſe habeat in diuinis.* 243
*Filij Dei efficimur vel per gratiam & charitatem ſolùm, vel ſimul etiam per vnionem ſpecialem fruitiuam.* 321
*modi vtriuſque & filiorum Dei differentia.* ibid.
*Filij Dei vnde principaliter denominemur.* 330
*Flagellis vocat Deus ad vitam ſpiritualem.* 130
*Flagello aliqui indigent quo incitentur ad bonum.* 183
*Fœtores ad expurgandum olfactum.* 164
*Formicæ proprietates ſpiritualiter explicantur.* 281. 282
*Fortitudinis Doni Spiritus ſancti effectus qui.* 297
*S. Franciſcus duobus annis vexationibus expurgatus.* 166

*qua-*

*qualiter carnis tentationem ſuperarit*. 284. & *ſeqq.*
*Fructus Spiritus ſancti diuinæ vnionis effectus.* 548
*Fruitionis diuinæ effectus*. 369. & *ſeq*. 401. vide *Vnio fruitiua.*
*Fuga occaſionum, tentationum maximè carnaliũ.* 195
*Fulgores repentini ſpirituales.* 256. & 291. & *ſeqq.*

G

*GAudium ſpirituale, ſiue ſuauitas Orationis diuinæ effectus, oleo comparatur.* 72
*Gaudij & ſuauitatis huius bona.* 73. & *ſeqq.*
*fructus eſt Spiritus ſancti.* ibid.
*ad tempus aliquando à iuſtis diſtrahitur.* 75
*Gaudium quantum in vnione diuina.* 450. vide *Delectatio.*
*Generatio filij qualiter in ſimpliciſſimo Deo queat inueniri.* 243
*Gloria vera Sanctorum quæ.* 86
*Gratiæ vires per rationis imperium limitantur.* 17
*Gratiæ diuinæ contemplatio & admiratio.* 239
*Gratiæ effectus.* ibid. & 263.
*Gratia iuſtificationis quomodo ſecum trahat naturam diuinam, efficiens inhabitationem Spiritus ſancti.* 330
*Gratia habitualis vim vniendi animam Deo non habet ex natura ſua phyſica, ſed ex ordinatione diuina.* 330
*Gratiam habitualem & actualem vnionem qualiter percipiat anima.* 448
*Gratiæ ſecuritas ex diuina vnione.* 449. 484. & *ſeqq.* & 513. & *ſeqq.*
*Gratias gratis datas nec deſiderare nec procurare ſine ſuperbiæ notâ licet.* 82
*Gratia ſenſibilis quid ſit, & quàm latè pateat.* 96
*quare à gratia ſenſibili incipiat Deus.* 97
*Gratiæ ſenſibilis effectus.* ibid.
*Gratiâ ſenſibili Deus electorum ſuorum animas purgare*



Digitized by Google

*gare ſolet.* 96. vide *Senſibilis gratia.*
*Gulæ ſpirituali qui adhæreant.* 162. & 207.

H

H*Æſitatio deuotorum tentatio quæ.* 155
*qualiter ſuperanda.* 156
*Henricus Suſo per decem annos tribulatus.* 166
*eius hominis afflicti cum æterna Sapientia dialogus.* 223
*Hierarchiæ tres in mente humana.* 133
*S. Hieronymi carnalis tentatio in eremo.* 286
*Humana imbecillitas Orationis impedimentum.* 12
*Humana natura infra* 40. *annum quàm inconſtans ſuique amans.* 206
*quanta cum Humilitate accipere quis debeat Orationis donum.* 82
*Humilitas quomodo exercenda tempore ſterilitatis animi.* 178
*propter Humilitatem noſtram ſæpè nobis auferri ſenſibilem gratiam & ſponſi præſentiam.* 151. & 517. & *ſeqq.*
*Humilitas in affluentia gratiæ qualiter exercenda.* 210. 211. & 212.
*qualiter in deſolatione.* 219
*quanta Humilitate accedendum ſit ad contemplandum myſterium teraugustiſſimæ Trinitatis.* 244
*Humiliari debemus ſub potenti manu Dei in tentationibus.* 193

I

I*Acob Patriarcha Oratione aduerſus Deum præualet.* 60
*viſio Iacob,* Vidi Dominum facie ad faciem, *viſionis & fruitionis myſticæ argumentum.* 346
*Iaculatoriæ Orationes.* vide *Aſpirationes.*



Digitized by Google

*Illapſus vnitiuus in animam qualiter ſe habeat.* 436. *& ſeqq.*
*quomodo diſtinguatur ab illapſu in animas Beatorum.* 457. vide *Vnio.*
*Ignorantia orationem impedit.* 13. *&* 14
*Illuminatiua via vnde dicta.* 232
*Illuminatiua via.* vide *Proficientes.*
*Imaginationis contemplatio triplex.* 134
*Imaginationis extraordinaria purgatio per imagines obſcœniſſimas.* 165
*Imaginatio Chriſti Domini non ſit nimis vehemẽs.* 211
*Imago ſanctiſſimæ Trinitatis in anima noſtra.* 237. *&* 238. *& ſeqq.*
*Imitatio Ieſu Chriſti exercitium ſemper neceſſarium.* 307
*vera Ieſu Chriſti Imitatio ex vnione.* 573
*Immenſitatis Dei præſentia ad vnionem non ſufficit.* 328
*Impatientiæ contra Deum, tentatio aliquando grauiſſima, & quomodo ſuperanda.* 181
*Impatientia amoris diuini.* 266. *& ſeqq.*
*Impedimenta Orationis.* 11
*Impetrationis & exauditionis cauſæ multæ & variæ.* 58. *& ſeqq.*
*Impetratoriam eſſe Orationem ſine illa certa fiducia, & qualiter.* 63. *& ſeqq.*
*nullam ferè Orationem eſſe ſine impetratione alicuius fructus.* 66
*Incipientes laboribus Deum quærere debent.* 130
*Incipientes afflictos Deus ab hoſtibus ſingulariter protegit.* 131
*Incipientes etiam aliquando raptum pati, & vnde id fiat.* 140. *& ſeqq.*
*quid de iis cenſendum.* 147
*Inci-*

*Incipientium reuelationes & viſiones.* 141
*periculum ne in iјs decipiantur.* 142. & ſeqq.
*Incipientium purgatio per deſolationem & tentationes.* 148
*Incipientium tentationes.* 160
*Incipientes maximè inſtructore opus habent.* 203. 209
*qualiter ſe gerere debeant tempore affluentis gratiæ, plurima & vtiliſſima documenta.* 204
*qualiter tempore deſolationis & tentationis.* 216. 227
*Incipientium gratia ſenſibilis.* vide *Senſibilis gratia.*
*Indignatione qualiter elidantur dæmonis tela.* 200
*Indiſcretio in quærenda violenter ſenſibili gratia noxia.* 164. 207
*Ingratitudo cauſa ſubtractionis gratiæ.* 158
*Intellectualis viſio quæ dicatur.* 246. 247. & 256
*Intellectus orationis infuſæ ſubiectum.* 46
*Intellectus nonnumquam deficit & ſubſiſtit, quò voluntas ſuo acumine & tactu myſtico conſcendit.* 406. & 429.
*Intellectui qualiter vniatur Deus.* 447. & 505. & *ſeqq.*
*Intellectus operationes vnionem fruitiuam antecedentes, concomitantes, & ſubſequentes.* 469. & ſeqq.
*Intellectus donum quid ſit.* 25
*quàm latè pateat.* 26. 27
*quomodo à dono Sapientiæ diſtinguatur.* 28. & 425
*doni Intellectus in via Illuminatiua effectus.* 232. 236. 238. 245. 249. & 263
*Inuidentia infernalis tentatio.* 161. & 163
*Ira Incipientium qualis.* 162
*Iubilus quid.* 113. 257
*Iuſti norunt qualiter ſit orandum, ſed in praxi eſt difficultas.* 22

## L

LAcrymæ pro offenſo Deo compunctionis comites. 98. & 99
gratiam Lacrymarum aliam eſſe Donum Spiritus ſancti, aliam noſtra induſtria, non tamen ſine ſpeciali auxilio Dei, acquiri. ibid.
poſtulatio ad impetrandam gratiam Lacrymarum ex S. Auguſtino. ibid.
Deum tyronibus gratiam Lacrymarum infundere ſolere. 100
exempla Doni Lacrymarum diuinitùs conceſſi. ibidem.
Lacrymæ languoris & doloris. 266
Lætitia vitæ ſpiritualis. vide Delectatio, Gaudium, Senſibilis gratia.
Languor amoris diuini. 266. & 269
aliquando ſanatur. 273. 274
eius pericula. 279. & ſeqq.
Lectio pia conducit ad promerendam Orationem diuinam. 79
Liberè agit homo in Oratione infuſa à Spiritu ſancto motus. 7
Liquefactio amoris vnitiui. 491. & ſeqq.
Lux quædam per modum habitus, & quædam per modum tranſeuntis: huius 4. gradus. 246. & ſeqq. vide Contemplatio, Splendor.
Luxuriæ obſcœniſſimis tentationibus aliquando infeſtantur Incipientes. 161
etiam luxuriæ ſpiritualis. ibid.

## M

BEatæ Mariæ Magdalenæ lacrymæ. 100. 101
Mandatorum Dei obſeruatio, vera perfectio. 208
Maria Ægyptiaca 17. annis tribulationum expurgata. 166

affli-

afflicti à Deo veri Martyres. 221. & 226. 287. & ſeqq.
Matrimonij carnalis & ſpiritualis ſimilitudo ad declarandum matrimonium fruitiuæ vnionis cum Deo. 450
Matrimonium ſpirituale in Euchariſtia quid ſit. 620
Matrimonium ſpirituale, ſecundus vnionis fruitiuæ gradus, explicatur. 458. & ſeqq.
Media ad obtinendam orationem infuſam. 77. & ſeq. & ad obtinendam diuinam vnionem. 522. & ſeqq.
Meditatio medium eſt obtinendæ Orationis diuinæ. 79
Memoria bonorum die malorum, & malorum die bonorum, quàm vtilis. 156. & 159
Memoria qualiter ſublimetur per vnionem fruitiuam. 469
Meritum non correſpondere affectibus diuinis aut ſpiritualibus ſentimentis, ſed perfectioni charitatis. 84
an Mereatur quis durante vnione fruitiuâ. 515. & ſeqq.
ob Meriti augmentum Deus aliquando ſubtrahit gratiam. 157
Meritum in patiendis tentationibus. 192. & 222
Miracula tam iuſtorum quàm peccatorum fieri per viuam fidem, & qualiter. 62
in Miraculorum petitione quomodo Sancti Deum non tentent. ibid.
Modi neſcia contemplatio quæ dicatur. 253
Morbi ad probationem à Deo immiſſi. 284
Mortis deſiderium. 266
Mors præ amoris Dei vehementia quàm beata. 280
Mors vocatur vnio fruitiua, & quare. 464
Mortificatione ad veram perfectionẽ peruenitur. 208
ad Mortificationem dirigenda eſt gratiæ abundantia. ibid.

Digitized by Google

*Mortificatio medium ad obtinendam diuinam vnionem.* 524
*Motio Dei ad poſtulandum fiduciam exauditionis excitat.* 59
*eam non eſſe negligendam.* ibid.
*exempla.* 59.60
*Moyſis verbis*, Oſtende mihi faciem tuam, *ſupernaturalis vnio innuitur.* 346
*Mundus hic viſibilis, liber contemplatiuorum.* 135
*Mundus cur non poſſit accipere Spiritum ſanctum.* 361
*Myſteriorum Chriſti Domini contemplatio.* 139
*Myſteria per diuinam vnionem manifeſtantur.* 484. *& ſeqq.*

N

*NAtura non adeò debilitanda, vt Spiritui ſeruire nequeat.* 122
*Natura ne debilitetur, Spiritus ſanctus moderatur impetum gratiæ ſenſibilis.* 160
*Negatiua Dei cognitio quæ & qualis ſit, & qualiter præſtantior affirmatiuâ.* 248.249 *& ſeqq.* 253
*Negligentia noſtra cauſa ſterilitatis animæ noſtræ.* 151. *&* 158.

O

*OBſtinationis tentatio.* 161
*Occaſiones tentationum, maximè carnalium, fugiendæ.* 195
*Occupationes tentatis vtiles.* 193. *&* 218
*Odij Dei tentatio.* 161
*Odium ſuiipſius quid dicatur, & vnde naſcatur.* 102
*Opera deſolatorum quantum Deo ſint placita.* 218. *&* 220 *& ſeqq.*
*Oratio diuinitus infuſa quid ſit, & quomodo diſtinguatur ab acquiſita.* 4. *& ſeqq.*

Eius

Digitized by Google

*eius neceſſitas propter multos Orationis hoſtes.* 11. & *ſeqq.*
*efficientem eius cauſam eſſe Spiritum ſanctum medio Donorum influxu.* 16. & *ſeqq.*
*triplex Orationis infuſæ gradus à triplici irradiatione doni Sapientiæ dimanans.* 28. & *ſeqq.*
*Oratio infuſa quotuplex, & eius quæ à Donis dimanat, ab aliis infuſis diſcrimen.* 38. & *ſeqq.*
*Orationis infuſæ triplex eſt gradus, Incipientium, Proficientium, Perfectorum.* 41. & *ſeqq.*
*eius ſubiectum, finis, materia.* 46. & *ſeqq.*
*effectus.* 67.
*media ad eam perueniendi.* 77. & *ſeqq.*
*Documenta circa eamdem.* 82
*Oratio medium eſt ad Orationis infuſæ donum.* 78. & *ſeqq.*
*Oratio remedium tentationis.* 194
*ad Oſculum oris, aut manus, non ſtatim conſcendere, ſed ad pedes Chriſti proſternere ſe debet tyro ſpiritualis.* 100. & 101
*Oſculo oris in Canticis quid ſignificetur.* 351
*Oſculum triplex.* 352
*ſub Oſculi typo ſponſa quid petere intelligatur.* 352. 359
*Otium diligenter fugiendum.* 85
*Otium falſum.* 292. & *ſeqq.* 302. & *ſeqq.*
*ex eo quamplures alij errores.* 303. & *ſeqq.*

P

*PAracletus, ſeu Conſolator, cur dicatur Spiritus ſanctus.* 74
*Patri ſpirituali occultiſſimas etiam cordis ſuggeſtiones exponere, quàm ſit neceſſarium.* 209
*Pater æternus quomodo gignat Verbum.* 243
*qualiter Verbum ſuum loquatur in anima.* 271

*Patrum quamplura teſtimonia de vnione ſupernaturali fruitiua cum Deo.* 363.& ſeqq.
*Patientia probatur in ariditate.* 178
*Patientia in aduerſis laus.* 225
*Patienter ferendæ tentationes.* 193
*Deum falsò Patientes qui.* 304
*S. Paulus quomodo à Deo vocatus.* 92.93
*S. Paulus ecſtaticam vnionem in Epiſtolis ſuis confitetur.* 353
*S. Paulum Apoſtolum non tantùm intellectu raptum ad altiſſima myſteria, ſed & voluntate ineffabilem hauſiſſe voluptatem.* 354
*S. Paulus oculis corporeis non vidit Chriſtum Dominum quando conuerſus eſt.* 585.& ſeqq.
*falsò Pauperes ſpiritu qui.* 304
*Pax animæ obdormientis per exceſſum amoris quid ſit.* 383
*cur vocetur vnio fruitiua.* ibid.& 465
*Pax exuperans omnem ſenſum qualiter ex vnione naſcatur.* 369
*Peccata, curæ, & phantaſmata Orationis impedimenta.* 13
*Peccata occulta deſolationis cauſa.* 154
*Peccantes comparantur ſomniantibus.* 201
*Peccatores nonnumquam infallibiliter exaudiri.* 61. & ſeqq.
*Peccatorum compunctio.* vide *Compunctio.*
*Perfectis communiter concedi ſolere Orationis diuinæ gratiam, non tamen omnibus.* 81
*minùs Perfectis aliquando dari gratiam Orationis.* 83.& 84.
*Perfectio charitatis menſurari non debet ex affluentia ſenſibilis gratiæ.* 117.& ſeqq.
*ad Perfectionem cur pauci veniant.* 179.180

vera Perfectio in quo ſita. 208
Perfectionis via ardua & difficilis. 260.& ſeqq.
Perſeuerantiæ certitudinem an conferat gratia vnionis. 514
Petitio à Deo infuſa quid ſit, & eius in impetrando efficacia. 50
Petitio quæ numquam inanis, & quare. 50
exempla. 51.52
Petitionis diuinitus infuſæ quanta neceſſitas. 51
Petitionis diuerſi modi. 52.53
per deſideria. 52
per gemitus. ibid.
per quietem. 54
per fiduciam exauditionis, alioſque. ibid.
Petitio eſt actus Religionis meritorius. 64
Petitionem, cùm à Deo ad eam moueris, non eſſe omittendam. 59
ſine Phantaſmatibus qualiter aliquando anima Deum contempletur. 247.& ſeqq.249.253.& ſeqq.
Philoſophi qualiter in creaturarum contemplatione euanuerint. 136
Pœnitentia ſecundùm Eccleſiæ ritum, exercitium ſemper neceſſarium, & ſecernens à falſis doctrinis. 307
Potentia diuina qualiter in Chriſto Domino reſplendeat. 139
Potentiarum animæ interiorum renouatio. 299
Potentiarum omnium ſilentium, voluntate in vnionem fruitiuam elatâ. 382
Potentiæ animæ tempore vnionis fruitiuæ cur omnes abſorbeantur. 476.& ſeqq.
Præſentia auxilij diuini in tentationibus. 193
Præſentia Dei ſiue per immenſitatem, ſiue per gratiam habitualem, quomodo non ſufficiat ad vnionem fruitiuam. 435.& 441.& ſeqq.

Præſentiæ Dei pulchra conſideratio. 453
Proficientium ſtatus cur dictus Illuminatiuus. 232
Proficientium lux ſiue contemplatio. 235
primus contemplationis Proficientium gradus, Cognitio ſuipſius. 137
ſecundus, Dei & diuinarum perfectionum contemplatio. 241
tertius, Beatiſſimæ Trinitatis. 242
altior Proficientium lux. 246
eorumdem contemplatio Dei in caligine. 249
eorumdem modi neſcia contemplatio. 253
eorum reuelationes, viſiones, locutiones. 255
amor Proficientium. 263
eorum languor & æſtus. 269
eorumdem Delectatio. 274
pericula Proficientium in deſolatione & delectatione. 279
eorum tentationes. 283
quid in iis agendum. 294
virtutum gradus. 296
pro Proficientibus documenta & cautelæ. 13.301
Proprietas in gratia ſenſibili quàm noxia. 205
Pugna contra tentationes quibus remediis inſtituenda. 184. & ſeqq.
viriliter Pugnantem remunerare ſolet Deus virtute pro qua pugnat. 194
ad animosè Pugnandum quatuor conſideranda. 198
modi tres Pugnandi vtiliſſimi: eliſio. 200
repercuſſio, & ex vitiis contra vitia pugnando. 201
exemplum. 202
Pulchritudo immenſa animæ effectus vnionis. 553
Purgatiuæ viæ lux triplex in imaginatione conſiſtens. 134
Purgatiuam viam ſupernaturalem frequentiùs à gratia

*tia ſenſibili initium ſumere.96.* vide *Incipientes.*
*Purgatione creſcente, lucem quoque & amorem augere, & creſcente amore viciſſim nouum ſuccedere puritatis gradum.* 89
*Purgatio Incipientium per deſolationes & tentationes.* 148
*Purgationes extraordinariæ Incipientium omnium ſenſuum per ſpectra, dæmonum flagella.* 165
*quamdiu eæ durent.* 166
*exemplum B. Angelæ de Fulginio.* 167
*Purgatio viæ Illuminatiuæ.* 283. & *ſeqq.*
*Purgatorij magnam partem tollit afflictio.* 220. 225
*Purgatio viæ Vnitiuæ.* 516
*Puſillanimitas Incipientium quanta aliquando.* 162

Q

*QVerimonia hominis afflicti.* 223
*Querela ſponſæ oſculum oris inquirentis.* 315
*Quies in Deum quæ dicatur.* 254
*eam eſſe vltimam diſpoſitionem ad vnionem.* 255

R

*RAptus Incipientium quales.* 140
*vnde oriantur.* 141
*non eſſe curandos.* 147
*impediri poſſe antequam in conſuetudinem vertantur.* ibid.
*Raptus Proficientium quales, eorumque ab aliorum ſtatuum raptibus diuerſitas.* 255. & *ſeqq.*
*pericula.* 259
*Raptus omnium ſupremus quis ſit, & qualiter contingat.* 485
*Raptus amoris vnitiui.* 494. & *ſeqq.*
*Religioſis Deus concedere ſolet gratiam Orationis, & quibus.* 81
*Religioſi meticuloſi comparantur Hebræis murmurantibus*

tibus de terrâ promiſſionis. 179
Remedia aduerſus tentationes. 184.198
Remiſſio & laſſitudo animi, quâ quis deponit intentionem quærendi deuotionis gratiam, tentatio periculoſiſſima. 182
plurima enarrantur mala quæ ex ea oriuntur. ibid.
eius remedium. 183
Repercuſsio, modus vincendi tentationes. 200.& ſeqq.
Reſignatio humilis & patiens, vtiliſsima aduerſus tentationes, & maximè meritoria. 189.& ſeqq.
documenta circa illam. 190.& ſeqq.
Reſignatio in afflictione quàm vtilis. ibid. & 191. & 224. & 288.& ſeqq.
Reſignationem qui nondum habet, adhuc nihil habet in vita ſpirituali. 206
Reſignatio qualiter exerceri debeat tempore affluentis gratiæ. 206.& ſeqq.
per eam vera acquiritur perfectio. 208
Reuelationes & viſiones Incipientium. 141
periculoſæ & frequenter falſæ. 142.& ſeqq.
cautela quæ adhibenda. 146
Reuelationes ſomniorum multò minùs curandæ. 147
Reuelationes ad conuerſionẽ excitantes veras eſſe. ibid.
Reuelationes Proficientium ab aliis qualiter diſtinguantur. 255.& ſeqq.
cauenda in iis proprietas. 259

S

SAnctitas vera quæ ſit. 208
Sanitas cælica quæ. 274
Sapientiæ donum quid ſit. 22
obiectum eius. ibid.
triplex eius actus. ibid.& 236.
Sapientia iudicat per conformitatem mentis ad diuina. 24

*Sapientia à ſapore ex S. Bernardo.* 25
*Sapientia donum tripliciter irradiat animã.* 28. & *ſeq.*
*comparatione id trium calorum oſtenditur.* 29
& *triplicis irradiationis ſolis,* 29. 30. 32
*Sapientia diuina in Chriſto Domino emicat.* 139
*Sapientia incarnata.* vide *Chriſtus Dominus.*
*Scientia donum quid ſit, & quàm neceſſarium.* 35. & *ſeqq.*
*eius actus & effectus.* ibid.
*Scriptura ſacra profundos & myſticos ſenſus contemplantur viri ſpirituales.* 137
*Scripturæ ſacræ encomium.* 138
*Scriptura ſacra armamentarium inſtructiſſimũ.* 187
*Scripturæ ſacræ loca, quæ in tentatoris caput proiicere poſſimus, ad manum habere vtiliſſimum.* 189
*ad Scripturam ſacram intelligendam perſpicacitas ex diuina vnione reſultat.* 484
*Scutum fidei totum hominem protegit.* 185
*quomodo eo vtendum.* 187. & *ſeqq.*
*à Sæcularibus, qui calamitatibus à Deo exercentur, non longè aliquando abeſſe gratiã Orationis infuſæ.* 81
*Senſibili oblectatione Incipientes à Deo mirabili ſuauitate trahi.* 107
*quid ſit, & ad quid à Deo donetur.* ibid.
*eius effectus.* 108 & *ſeqq.*
*vnde proueniat hæc ſenſibilis delectatio.* 111. 112
*Senſibilis delectatio maior ſæpè in Incipientibus ex ieiunio aliiſque exercitiis, quàm ex conuiuiis aliiſque mundi voluptatibus.* 112
*Senſibilis oblectationis effectus varij in corpus redundantes.* 112. & *ſeqq.*
*exempla.* 116
*Senſibilis gratiæ affluentia ſaluti animæ valdè periculoſa, & quare.* 117 & *ſeqq.*
*Sen-*
Digitized by Google

*Senſibili gratiâ multi abutuntur.* 118
*corporis ſanitati plurimùm nocet, niſi regatur diſcretione, & quare.* 120. & ſeqq.
*quid de cetero faciendum corpore per ſenſibilem deuotionem debilitato.* 122
*Senſibilis deuotio quò vehementiùs quæritur, eò aliquando minùs inuenitur, in magnis præſertim Feſtiuitatibus.* 123 & 154
*Senſibilis deuotionis violenta extorſio noxia & fruſtranea.* 156. & 164
*Senſibilis amor & dulcedo, etiam in corde à Deo alieniſſimo eſſe poſſunt.* 211
*tempore affluentiæ gratiæ ſenſibilis, qualiter ſe gerere debeant ne pereant Incipientes.* 204
*Senſibili gratia non fruendum, ſed vtendum.* 213
*Senſibilem gratiam cur Deus nobis ſæpè ſubtrahit.* 149. vide *Deſolatio.*
*Senſuum externorum oblectationes etiam elargiri ſolere Deum Incipientibus.* 124
*quales eæ ſint, & quàm variæ.* 125. & ſeqq.
*quantum in eis ſæpè ſit periculi & deceptionis.* ibid.
*ex eis etiam carnales delectationes emanare, & quomodo, & quid tunc agendum.* 157. & ſeqq.
*Senſuum externorũ extraordinaria purgatio, per ſpectra, vlulatus, fœtores, amaritudines & flagella.* 165
*Senſuum externorum guſtus & tactus perceptio ſine medio, aliorum per medium fit.* 425
*Senſuum interiorum animæ, quibus ſpiritualia intelligimus & guſtamus, declaratio.* 427
*eorumdem diſcrimen.* 426
*inter Seruos Dei fideles & infideles diſcrimen.* 213
*Signa tria veri ſpiritus à falſo.* 307
*Silentium ſpiritale Myſticorum quid dicatur.* 249
*Silentium omnium potentiarũ in vnione fruitiua.* 38

*Silen-*

Digitized by Google

*Silentium vocatur à S. Ioanne vnio fruitiua.* 465
*Similitudinibus declaratur vnio fruitiua.* 366. 395
*Similitudines & loquendi forma ad explicandam vnionis & matrimonij ſpiritualis naturam, piè tamen interpretandæ.* 462. & ſeqq.
*Somniorum viſiones & reuelationes.* 147
*Somnus ſpiritualis animæ à Myſticis quis dicatur.* 254
*Somni nomen quatenus conueniat vnioni fruitiuæ.* 465
*Species intelligibiles altioris Ordinis in vnione infunduntur.* 487. & ſeqq.
*qualiter tempore ſubtractionis deuotionis cum Abraham contra ſpem in ſpem credere oportet.* 178. & 180
*Spectra diabolica purgationi deſeruiunt.* 164
*Spem ſecuram quando adipiſcatur anima.* 272
*Spiritus ſanctus ſuggerit ad Orationem neceſſaria.* 21
*Spiritus ſanctus Orationis infuſæ efficiens & principalis cauſa.* 16
*Spiritus ſancti plenitudo in quo conſiſtat.* 355
*inter Spiritus ſancti infuſionem, diffuſionem, & effuſionem diſtinctio.* ibid.
*Spiritum ſanctum datũ Apoſtolis non ſolùm per gratiæ & Donorum communicationem, ſed per eſſentialem illapſum & præſentiam perſonæ eiuſdem.* 355. & ſeqq.
*id Patrum teſtimoniis declaratur.* ibid.
*Spiritus ſancti realis præſentia & manifeſtatio in vnione ſupernaturali fruitiua.* 359. & ſeqq.
*declaratur id ex verbis Ioã.* 14. Si diligitis me, &c. ibid.
*præcipuus effectus aduentus Spiritus ſancti.* 362
*Spiritus ſancti aduentus non excludit conſortium totius Trinitatis.* 360
*Diſcipulos ante aduentum Spiritus ſancti habuiſſe*

*iam Spiritum ſanctum.* 354.361
*Spiritus ſancti tam illuſtrem promiſsionem non omnibus ſed tantùm Apoſtolis factam.* 360
*Spiritus ſancti arcanus tactus qualiter fiat.* 403
*Spiritus noſter Spiritui Chriſti qualiter conformetur.* 212
*Spiritus verus à falſo tribus exercitiis dignoſcitur.* 307
*Sobriæ & ebriæ vnionis diſtinctio penes principia diuerſa.* 336
*Splendor lucis quantus ex diuina vnione reſultet.* 551
*Splẽdor lucis diuinæ, effectus orationis à Deo infuſæ.* 69
*vocatur in Scriptura ſacra Vnctio, & quare.* ibid.
*quid hoc ſplendore cognoſcant iuſti.* 70
*nonnumquam offuſcatur, nec omnibus æqualiter affulget.* ibid.
*etiam voluntatem irradiat & exhilarat.* 71
*Sponſa Chriſti pudica quæ.* 207
*Sponſatio ſpiritualis quid ſit, & eius à matrimonio ſpirituali diſcrimen.* 458. & *ſeqq.* 466
*Sterilitatis animæ noſtræ triplex cauſa; negligentia noſtra, impugnatio dæmonis, diſpenſatio diuina.* 151. vide *Deſolatio.*
*Suiipſius cognitio ad cognoſcendum Deum quàm neceſſaria, & eius praxis.* 237.238. & *ſeqq.*
*Suffragia aliorum poſtulare, vtile contra tentationes remedium.* 194
*Superbia cauſa ſubtractionis gratiæ.* 152
*Superbia deuotorum quotuplex.* 156
*eius remedium.* ibid.
*Superbia ſpiritualis.* 161
*Suſpiria vnimæ ad vnionem diuinam anhelantis.* 308. & *ſeqq.* 314. & 315
*Suſpiria D. Bernardi ad ſponſi oſculum & vnionẽ.* 315
*Suſurrium animæ cum Deo.* 271. & *ſeqq.*

*Tactus*

Digitized by Google

## T

TActus non poteſt obiectum ſuum percipere, niſi immutetur ab eo realiter. 619
Tædium ex amore. 270
in Tentationibus non debere nos nimiùm inquietari. 84
Tentationibus permittit Deus infeſtari Incipientes ad expurgationem eorumdem. 148
Tentationes Incipientium permittit Deus, qualiter, & quare. 160. 163
quæ illæ ſint, & quàm graues. 161. 162. 163
cur iis conſentire ſe putent. 163
qualiter de iis dolere debeant. 165
cauſam earum aliquando eſſe indiſcretionem noſtram. 164
Tentationum via Purgatiuæ ſex ſpecies ex S. Bonauentura. 176. & ſeqq.
earum remedia. 183
alia contra Tentationes remedia. 184. & ſeqq.
ad animosè pugnandum contra Tentationes, quatuor conſideranda. 198
modi & artificia quibus virtutes contra Tentationes pugnant. 200
Tentationes acerbiſsimæ & ſubtiliſſimæ quæ. 183
Tentationum & tribulationum vtilitates. 189. & ſeqq. & 196.
Tentationes Proficientium, & earum remedia. 283. & ſeqq.
Thalami nuptialis vnionis diuinæ conditiones. 496
Theologia myſtica idem quòd vnio fruitiua. 466
S. M. N. TERESIÆ feruens ex impulſu Spiritus ſancti oratio. 59
S. M. N. TERESIA octodecim annis animæ ſterilitatem paſſa. 166
Timor omni tempore neceſſarius. 153

præſertim tempore conſolationis. 205
Torpor quorumdam quantus. 179
in Tribulatione perſeueranter orandum, etſi Deus non ſtatim exaudiat. 85. & 86
Tribulatio. vide Afflictio, Deſolatio, Tentatio.
SS. Trinitatis imago in anima. 237
SS. Trinitatis contemplatio. 242
cum quanta humilitate in ea ſe gerere oporteat; & quædam alia documenta. 244. & ſeqq.
SS. Trinitas triplici via & tendentia per animam attingitur. 326
Triſtitia ex difficultate benè operandi. 178

V

à Vanæ gloriæ vitio vt liberemur, Deum ſæpè gratiam ſenſibilem ſubtrahere. 150
Verbum Dei quare appelletur ſcutum. 185
modi quibus eo vtamur. 187. & ſeqq.
Venialiter etiam ſanctiſſimi offendunt. 517
Veritatis incarnatæ velamina quæ, & qualiter penetrentur. 138
Viæ tres Orationis infuſæ, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua: earum diſtinctio & operationum diuerſitas. 41. & ſeqq. 133
in ſingulis Viis aliarum Viarum exercitia exerceri debere, & qualiter. 45. & 46
Viæ Purgatiuæ ſupernaturalis præcipua exercitia. 87
inter diuina trium Viarum exercitia circulus & connexio qualis. 88. & 89
Viciſſitudo crebra viſitationis gratiæ & deſolationis quam ſit neceſſaria ſpiritualibus athletis. 149
Violentia amoris diſpoſitio ad vnionem fruitiuam. 541. & ſeqq.
Virtutum Theologicarum operandi modus humanus eſt, & quomodo diſtinguatur à modo operandi Spiritus

Digitized by Google

ritus ſancti per donum. 17
Virtutes Theologicæ non ſufficiunt hominem perfectè in finem ſupernaturalem dirigere, ſine particulari motione Spiritus ſancti. 16. 17
Virtutes Theologicæ imperfectè in hac vita poſſidentur. 16
Virtutes qualiter pugnent aduerſũ vitia. 200. & ſeq.
Virtutes inſerit in anima Spiritus ſanctus per afflictiones. 296. & ſeqq.
Virtutum gradus, & quo gradu exerceantur in via Illuminatiua. ibid.
Virtutes diuiduntur in Politicas, purgatorias, & purgati animi. 299. & ſeqq.
Virtutum omnium perfectio, ſplendor & ornatus, per diuinam acquiritur vnionem. 570
Viſiones & reuelationes Incipientium. 141
eas periculoſas eſſe, & frequenter falſas. 142. & ſeq.
cautela in ijs adhibenda. 146
de Viſionibus in ſomnio. 147
Viſiones ad conuerſionem excitantes veras eſſe. ibid.
Viſiones Proficientium, & qualiter ab aliis differant. 255. & ſeqq.
non eis adhærendum. 259
Viſionis diuinæ deſiderium. 270. 271
Viſus purgatio per ſpectra. 164
Vitiorum expugnatione obtineri orationem infuſã. 80
Vitium ex vitio ſuperatur. 201
Vnctio diuinitus infuſa, diſpoſitio ad vnionem quid ſit. 541
Vnio ſupernaturalis & fruitiua explicatu difficilis. 312
Vnionis ſiue viæ Vnitiuæ nomine quid intelligatur. 314
eius dignitas & vtilitas. 319
in ea ſitam eſſe huius vitæ felicitatem. 323



Digitized by Google

*diuerſi animæ cum Deo Vnionis modi, & de vnione ſobria, & ebria ſiue ecſtatica.* 328. 333
*Vnionis ecſtaticæ ſiue fruitiua gradus.* 336
*Vnionem fruitiuam non eſſe à Myſticis effictam, probatur teſtimoniis S. Scripturæ, SS. Patrum, & aliorum doctrina & ſanctitate illuſtrium.* 343. *vſq;* 421
*de Vnionis fruitiuæ ſupremo gradu, ſeu de arcano Dei attactu & amplexu obſeruationes.* 421
*Vnitiua via purgatio.* 516
*diſpoſitiones & media ad Vnionem.* 522
*effectus Vnionis.* 548. *& ſeqq.*
*Vnio cum Deo per affectum non dicitur realis.* 591
*Vnio realis aliquando fit cum Deo in Euchariſtiæ Sacramento.* 592
*quid iſta vnio ſit.* ibid. *& ſeqq.*
*rationes quibus hæc Vnio probatur.* ibid. *& ſeqq.* *&* 630. *& ſeqq.*
*diſpoſitio ad hanc Vnionem.* 612
*quid requiratur ad hanc Vnionem ex vtraque parte.* 616. *& ſeqq.*
*Vnio per affectũ eſt proprius effectus Euchariſtiæ.* 617
*Vnio etiam per effectum in Euchariſtia percipitur.* 625
*quare dicatur hæc Vnio ſubſtanitalis ſiue naturalis.* ibid.
*quotuplex ſit Vnio inter dignè ſuſcipientes Chriſtum.* 635
*Vnitas ſpiritus inter Deum & animam quid ſit, & qualiter fiat.* 377
*Vocationum modi varij.* 90. *& ſeqq.*
*duo tamen præcipui, per timorem & amorem.* 91. 92
*Vocationum alia communis, alia ſpecialis.* 92
*Vocationis extraordinariæ exempla.* 92. 93. *& ſeqq.*
*Vocatio ſupernaturalis quæ ſpecialiter dicatur, & quare.* 95

re-

Digitized by Google

*recenter Vocatos inter multa verſari pericula.* 95. & 96
*Vocat ſapè Deus per flagella, quos non traxerunt beneficia.* 130
*Voluntas & intellectus ad orationem concurrere debent.* 8
*in Voluntatem influit Oratio, non tamen in ea ſubiectatur.* 47
*Voluntas Dei omnibus donis præferenda.* 206.207
*Voluntatis proprius actus quis ſit.* 386
*Voluntas erigens ſe ſupra intellectum, non amat abſque omni intellectus operatione.* 429
*Voluntas plus poteſt amare quàm intellectus valeat intelligere.* 430
*in Voluntatem qualiter illabatur Deus in vnione fruitiua.* 444.& 447.& 505.& ſeqq.

Z

*ZElus amoris Dei ſubtrahit aliquando ſenſibilem gratiam.* 158.& 222
*Zelus animarum præproperus quàm ſit noxius.* 201

# APPROBATIO.

LIBRI hi quatuor, quibus methodus, natura & gradus Orationis infuſæ, auctore $\mathrm{R}^{do}$ admodum P. Thoma à Ieſu Carmelita Diſcalceato Myſticæ Theologiæ ſtudioſis exhibentur, vtiliter meo iudicio typis dari poterunt.

*Cornelius de VVitte, S.T. Licent.*
*Canonicus & Archidiaconus*
*Antuerp. Librorum Cenſor.*

HOS quatuor Libros admodum R.P. Thomæ à Ieſu, quibus explicatur methodus, natura & gradus Orationis Infuſæ, diligenter perlegi, nihilq́; in illis reperi quod ſanæ doctrinæ non ſit conſentaneum: quinimò deprehendi Libros iſtos refertos ſublimibus & ſaluberrimis documentis, quibus animus ad eximium illud Orationis donum à Deo obtinendum ſe comparet & diſponat. Proinde ſentio omnibus ad perfectionem & ad ſupremam cum Deo coniunctionem adſpirantibus eorum lectionem fore peropportunam.

*Leonardus Leſſius.*

SVM-

Digitized by Google

# SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici & Sereniſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt; nequis *Libros quatuor de Oratione diuina ſiue à Deo infuſa, auctore R. P. Thoma à Ieſu Carmelitarum Excalceatorum per Belgium & Germaniam Exprouinciali*, præter voluntatem Balthaſaris Moreti vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XV. Nouembris, M. DC. XXII.

*Signat.*

Fourdin.

Digitized by Google

[illegible]

[illegible] condition, [illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google